
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10
O 143

DE LEGIBUS NATURÆ Disquisitio Philosophica,

In qua

EARUM FORMA, SUMMA Capita, Ordo, Promulgatio, & Obligatio è rerum Natura investigantur;

QUIN ETIAM ELEMENTA *PHILOSOPHIÆ HOBBIANÆ,*

Cùm MORALIS tum CIVILIS, considerantur & refutantur.



Authore

RICARDO CUMBERLAND, S. T. B. apud Cantabrigienses.

EDITIO SECUNDA.





MDC LXXXIII.

Lubecæ & Francofurti,
Prostat apud SAMUELEM OTTONEM, & JOANNEM WIEDEMEYERUM.



Imprimatur,

Sam. Parker, Reverendissimo in Christo Patri ac Domino, Dom. *Gilberto* Archi-Ep. *Cantuar.* à Sac. dom.

Julii 25.
1671.



HONORATISSIMO

Illuſtriſſimóque Viro.

DN. ORLANDO BRIDGEMAN,

Equiti Aurato & Baronetto: Regiæ Majeſtati à Sanctioribus Conſiliis, & Magni Sigilli Angliæ Cuſtodi.

Honoratiſſime Domine,



Uæ duæ res in librorum Dedicationibus plurimùm valere ſolent, Operis nempe materia, & Auctoris conditio, eæ ambæ Tuo nomini inſcribendum eſſe hunc librum efflagitârunt. Quandoquidem Leges, de quibus agimus, Naturales fundamenta ſunt Æquitatis, cujus Tu & ex indole Tua es amantiſſimus, & ex Optimi Regis deſignatione Supremus Judex; iniquum ſanè fuiſſet alium hujus Operis Patronum quæſiviſſe. Verùm non ſolius Æquitatis res agitur in hac controverſiâ, ſed totius inſuper Religionis, Juſtitiæ, & Societatis Civilis *a*

a l. Civ. cap. 4 ſect. 1.

Principia quæ Tibi sunt charissima querimur ab Hobbio impugnari. Quanquam enim aliquando fatetur dictata Rationis huc spectantia à Deo unicuique pro actionum suarum Regula esse tributa; hoc tamen non obstante, ea neminem obligare contendit ad actus externos eis conformes, nec propriè Leges esse, nisi ea pars fiat Legis Civilis, *a* adeoque pœnis à Magistratu Civili *b* muniantur; & nisi homines, quorum interest hæc observari, sub eodem fuerint Imperio Civili. *c* Nempe hæc est κυρία δόξα, seu Rata illa Sententia doctrinæ Hobbianæ, cui stabiliendæ cætera ejus dogmata vel inserviunt vel ab ea tanquam satis stabilita deducuntur. Hinc infert quòd Summis Imperiis, seu Civitatibus omnibus quicquid libet licet facere in alias quaslibet Civitates; quæ omnes in statu belli sunt perpetuò, etsi pacta mutuæ fidei intercesserint. Hinc singulis hominibus contendit licere aliis quibuslibet vitam, omniáque eis necessaria eripere, si in statu (quem fingit) naturali considerentur, seu eidem Legislatori Civili se non subjecerint. Nos autem hæc contendimus non solùm Dominio Dei in Actus hominum externos (quod Religio Naturalis agnoscit) repugnare: Verum etiam indè sequi Deum ad externos actus jus suum cuique tribuendi, fidémque datam servandi neminem obligare, sine quibus

a *Civ. cap.* 3. *sect.* 27. b *cap.* 5. *sect.* 2. 5. c *cap.* 6. *sect.* 3. *Leviath. Ang. cap.* 26. *pag.* 143.

nec Societas Civilis, nec Commercia inter diversas Civitates consistere possunt. Sublata autem obligationis vi, quam dictamina hæc Rationis à Deo accipiunt, mirum non erit si Hobbius nullam aliam afferre poterit causam obligationis, quæ sufficiat ad coercendam quidlibet agendi licentiam. Omnis enim Auctoritas Civilis minor est Divina illa Legum Naturalium, & indiget Auctoritate Legum Naturæ ad actus externos obligante, ut licitè fundari, & ut sarta tecta conservari possit. Porrò illi non est visum satis Civitatum, Legúmque fundamenta evertere, nisi Leges omnes postquam scriptæ fuerint, in cujuslibet flagitii favorem flexiles fecerit ex arbitrio sui Leviathanis. Ideoque ut nullus relinquatur Jurisconsultis locus, Armatum introducit Legum Interpretem, qui omnes Legum nodos gladio solvet: Eodémque in capite apertè docuit Judices *a* Legis Communis Anglicanæ non esse propriè judices sed tantùm Jurisconsultos.

Quoniam itaque notissimum est quàm propitio Tu semper fueris animo in Pietatem, & Justitiam; Tibi inprimis isthæc Dissertatio erat offerenda. Tu enim Bonum illud Commune totius Civitatis Dei assiduè, & fœliciter prosequeris; quod Pietatem & Humanitatem universam in se continet, omnésque adeò Leges Naturæ adimplet. Pietatem Tuam in Deum, insigni Tua in ejus Ecclesiam munificentia testatam facis,

a *Leviath. cap.* 26. *Anglic. Edit. p.* 143. & *pag.* 147.

tam Episcopatum Cestriensem, quàm Parochiales Ecclesias complures prædiis ornando. Benevolentia autem erga genus Humanum exerces, partim dum in Consiliis Serenissimi Regis, (in quibus commercia aut fœdera cum Gentibus plurimis transiguntur) Tu jura Gentium, fidem, ac Pacem sanctissimè colis, & ab omni Invasione alieni abhorres: partim verò dum Regno, cui Subditus natus es, adeò constanter te fidelem præstitisti, ut Tibi velut Catoni illius Causa etiam victa placuerit, nec voluisti Rebelli jam Victori Te subditum facere; cùm Hobbius id licitum esse apertè docuerit. *a* Atque has quidem Dedicationis causas suggessit Operis nostri argumentum. Auctorem quod attinet, satìs erit dixisse illum Tibi ut Patrono adeò devinctum esse, ut hunc ingenii sui fœtum Tui juris esse libenter agnoscat, quia in Tua quasi nascitur domo. Eo denique consilio libellum istum ad Te dedi ut genti literatæ (quæ tota tuo assurgit nomini) gratior sit: Filiis autem tuis, Tuarum Virtutum hæredibus, hac ipsa de causa erit, sat scio, longè acceptissimus. Restat ut veniam supplex petam, quòd ea palàm dicere ausus fuerim, quæ Tu in Ecclesiæ commodum secretò præstiteris. Feci certè nullo adulandi studio: sed quia visum est Tuam Munificentiam in honorem Reformatæ Religionis cedere posse, & ut aliis omnibus quibus facultates suppetunt, rarissimum

a *Lev. Ed. Angl. Conclus. pag. 390.*


exem-

exemplum proponerem imitandum. Ignoscas mihi insuper obsecro , quòd ab arduis Regni Negotiis Te diutiùs quàm par erat, distinuerim. Ad vota igitur quotidiana mea me recipio , ut Deus Te Ecclesiæ , Regi , Regno , nobis denique omnibus incolumem quàm diutissimè servet.

Servus tuus humillimus multis

Nominibus devinctissimus,

R. C.





ALLOQUIUM
AD
LECTOREM.

SCias velim, Erudite Lector, Auctorem in Philosophica hac Dissertatione non id agere ut verborum lenociniis,& oratione calamistratâ te captet. Non illo in elegantiis undique conquirendis, non in concinnandis periodis navavit operam. Verùm sicut non in amœnis Oratorum hortis, in suaveolentibus rosetis; ità nec in horridis Scholasticorum dumetis, inter vepres & sentes ambulabis. Nulla hîc barbara Monachorum Vocabula, nullos aut paucissimos *Artis* (ut vocant) *terminos* invenies; nullis denique Sophismatum retibus illaqueaberis. Philosophus noster non adeò prolixam alit barbam, ut eum ab omni elegantiâ abhorruisse, nedum ut æstimationem à neglectu & squalore aucupari dixeris; licèt nec ita comptam nitidámve, ut inter Aulicos censeri debeat. Fatetur se non esse purum putum Ciceronianum, neque in eo ingenium exercuisse suum ut iis placeret quibus *thesaurus in lingua situs est:* verùm in eo duntaxat ut intelligere, aut intelligi posset. Nimirùm omnia curare non potuit, maximum negligere noluit. Ac proinde ad rem attentus, ritu eorum qui ad *rem* paulò attentiores sunt, neglectâ facie & inornato, prodit habitu.

Ad hæc ut ab illo crimen penitus amoveam mihi ipsi scriptum hoc accurandum commisit. Ego verò sive per imperitiam, sive per desidiam, vel (quod perinde est) multi-

multiplices occupationes, partes meas non egi. Mihi igitur imputes velim, quicquid ab illo hac in re peccatum est. Et ob læsam Grammaticorum Majestatem, Capitale scilicet Crimen, pœnas à me gravissimas esse jure meritò exigendas agnoscam oportet. Denique si nihil horum te moveat, ad Scioppium, aliósque rigidos sermonis Latini exactores me conferam: hos in hac causa appellabo, qui nullius unquam patrocinium repudiârunt. Supremi autem hi sunt judices, penès quos est *jus & norma loquendi.* Solent illi phrasin, si qua sit, peregrinam, pro auctoritate quâ pollent gravissimâ, civitate donare. Et procul dubio sermonem rudem argumento philosophico, & facili tractandi methodo congruum esse asseverabant. Cave igitur, bone Lector, si me audis, ut, locutionem nostram increpando, classicum canas ad bellum Grammaticale.

Aliud insuper est quod te monitum vellem, nempe sales & facetias acres, argutásque sententias hoc in Tractatu nequaquam esse expectandas. Nimirum Auctor noster tantùm ab illo confutandi genere abhorruit, quo convitiorum plaustra in Adversarium congeruntur, ut justæ quidem indignationi fræna non semper laxaverit. Profectò *difficile* admodum est *Satyram non scribere* in malè moratam istam Philosophiam, in qua omnis impietatis, injustitiæ, nequitiæ, discordiæ denique jacta sunt fundamenta. Attamen placidissimi ingenii vir leni & temperata Oratione uti voluit, idque multis de causis. Primò enim apud se statuerat Hobbium, virum haud vulgariter doctum, & jam multâ, tristíque *senectâ tabescentem* comiter tractare. Non enim minus inhumanum esse duxit, si in moribundum, & mortem continuò horrentem senem vehementiùs inveheretur, quàm si in sepulti ossa & cineres insultaret, aut si mortui vexaret manes. Deinde in studiis Mathematicis multùm, diúque

 versa-

versatus Auctor noster, ab illis didicerat purâ, simplicíque, nullis ornatâ elegantiis, nullis salibus interspersâ dictione uti. Nec erat cur ab inficeto hoc dicendi genere abstineret, in alio licèt Argumento; quoniam inde fit, ut in Mathesi (nisi fortè *insaniat quispiam*, teste Hobbio) rarissimè errantes deprehenderis. Ut igitur pacato, & tranquillo animo maximi momenti veritates, eásque sanè non obvias investigaret; útque eas perspicuâ & æquabili oratione aliis proponeret amplectendas, more Mathematicorum, incertos, & turbatos fluctuantis ingenii æstus sibi depellendos esse judicavit. Denique, ne molestus sim, quisquis Librum hunc siccum, jejunum, omnium festivitatum, venerúmque expertem esse cavillabitur, sciat is Auctorem id solùm egisse, ut veritatem gravissimam dilucidè explicaret, & ut confirmaret nervosè: quod aut ille egregiè præstitit, aut à quoquam alio posse perfici desperabo. Verùm, ut id obiter moneam, quicquid dixero in Authoris, operísve laudem meritissimam, noli tu ita accipere, quasi præcoci aliquo encomio tuam gratiam occuparem. Integrum (per me licet) esto cuivis judicare, si modò priùs patienti animo & attento librum perlegerit, penitúsque cognoverit; tum demum sententiam ferre (ex bono tamen & æquo) fas erit. Quicquid autem de eo dixerint indocti, malevoli, invidi, derisores; quicquid oggan-niant stulti, oscitantes, *jurati in verba*, Sophistæ; quicquid Athei, Dei, hominúmque Osores cavillentur, eorum maledicta præconii in loco reponemus: certè optimi quique benignè agent, & causam quam agit (*i.e* commune Bonum) in se defendendam suscipient ad unum omnes. Imò omnibus non malis acceptum fore hunc librum nullus dubito, cùm id unum agat, ut communem omnium fœlicitatem unicuique esse pro virili promovendam probet. Itaque nisi me mea fallit conjectura,

lauda-

laudabit eum præsens ætas, admirabitur posteritas; si quid enim judico, non uni scribitur ævo sed æternitati.

Tu autem Præstantissime Vir, perge, pro eâ quâ es charitate profusissimâ, de humano genere optimè mereri: id est præclara illa cogitata αὐτοδίδακτα, quæ ex animo tuo, ceu ex perenni, & limpidissimo Notionum fonte, jugiter promanant, omnibus communicato; ut universi optatissimos illos prudentiæ, virtutis, tranquillitatis capiant fructus, quos nimium pauci hactenus percepimus.

Vos denique, quotquot estis, ubique gentium, Patres, fratrésque mei; Vos Indiarum, Scythiæ, Lybiæ, & ignotarum regionum incolæ; vos qui Religionibus, qui opinionibus & affectibus magìs quàm locis dissiti estis: Audite hunc librum, audite sacrum Codicem si ad vos pertigerint; audite vestram ipsorum rationem, experientiam, sensum susurrantes; imò totam Naturam audite clamantem, vociferantem, nihil esse utilius, excellentius, melius, nihil humanius, divinius nihil Charitate omnium in omnes diffusissimâ. Omnia hæc clarâ voce, & uno ore attestantur, Benevolentiam latissimè diffusam esse officiorum nostrorum principium, mensuram, regulam, unicámque legem; quin etiam eandem actionum nostrarum finem, amplissimum, quod expetimus, præmium, *summum* denique hominis *bonum* esse attestantur. Quousque igitur odium, invidiam, simultates fovebimus stulti mortales? Quin potius depositâ omni malevolentiâ, iracundiâ, nimiâ φιλαυτίᾳ, ardentes & infinitos in nobis omnibus amores excitemus. Tum demum fœlicitatem humanam consequemur maximam; ubi non nobis, non consanguineis, non juxta nobiscum sentientibus, non amicis solùm, verùm omnibus, quotquot sunt, vivemus, ubi in commune consulemus. *Rara erit*

illius

illius temporis fœlicitas, quando omnes omnium beatitudinem summo studio, & junctis viribus promovebunt. *O præclarum illum diem!* O sæculum expetendum? Acceleremus illud, fratres, quantum in nobis est; & benevolos nostros conatus adjuvare dignetur benignissimus Deus (Amor ille æternus, & prototypus) spiritum suum, φιλάνθρωπον illud πνεῦμα, copiosè afflando, ut sanatâ omni animorum exulceratione, universi hujus mundi incolæ ardendi *Omnibus benefaciendi* studio teneamur.

Sic ex intimis præcordiis vovet

Vestrum omnium amantissimus,

H. B.

CONTENTA.

IN primo capite status Quæstionis proponitur. Et Leges Naturæ omnes ad unam de Benevolentiâ erga Rationales omnes reducuntur, ejúsque sanctio ex effectis ab Auctore Naturæ tali Benevolentiæ annexis breviter indicatur. Ostenditur etiam methodus quâ dictamina de effectis Benevolentiæ universalis, actuúmque sub eâ contentorum (qui sunt Divisio rerum operarúmque humanarum inter omnes, fidei datæ observatio, Gratitudo, sui prolísque cura) reducantur ad idoneam similitudinem cum Propositionibus Matheseos Universalis de effectis Computationis Mathematicæ quâ omnes quantitates inter se conferuntur. Inde verò deducitur, & earum veritatem, & impressionem in mentes nostras fieri à Primâ Necess-

Necessariorum omnium effectorum Causâ simili ratione innotescere. Hæc decem sectionibus primi absolvuntur. Ostenditur *Sect. 11, 12.* Hobbium & modò dictis & sibimet ipsi adeò repugnare, ut in Atheismum ruat & neget ullas Leges Divinas propriè dictas vel è naturâ rerum disci posse, vel è sacris Scripturis nisi Revelatio cuique particulariter detur, quòd Scriptores sacri fuerint Prophetæ. Deinde usque ad finem *Sect. 15.* probatur Propositionis nostræ Generalis veritatem manifestò cognosci è phænomenis ubique vulgo agnitis, eámque ab ipso Hobbio ut sibi constat, agnoscendam esse *Sect. 16.* Posteà ostenditur Philosophicâ notitiâ Causarum Naturalium quæ effecta sua generant aut conservant distinctam notitiam hauriri Bonorum quæ non uni tantùm sed pluribus prosunt, aut contra eorum quæ pluribus nocent seu mala sint. Et *Sect. 20.* probatur, Hobbianam Philosophiam evincere talem vim omnibus motibus Corporum inesse. Pari ratione ex cognitione finitæ conditionis creaturarum omnium deducitur necessitas limitandi usus rerum quarumlibet & operarum humanarum ad certas personas pro dato tempore; cujus vi obiter eruitur origo Divisionis rerum & Dominii ad finem *Sect. 23.* *§. 24.* Legum Naturalium summa capita proponuntur, earum ordo inter se innuitur. Modúsque omnes à primaria deducendi indigitatur. *Sect. 26.* Præmia pœnásque cum observatione neglectúque harum è voluntate Primæ causæ in constitutione & gubernatione Mundi cohærere ostenditur. Hobbiúmque hoc aliquando asserere, quandoque autem negare, ut jus Omnium in omnia Doctrinæ suæ Civilis ponat. *Sect. 27.* Fundamentum illud doctrinæ Hobbianæ subruitur ad finem capitis *Sectionibus 35.* absoluti.

C A P. II.

IN Secundo capite explicamus quid in hominis, quid in Naturæ nomine comprehenditur: & Sectione quartâ enumerantur distinctiùs animi humani vires quæ homines cæteris animalibus aptiores faciunt ad Societatem cum Deo hominibúsque universis ineundam. Recta Ratio explicatur à *5. Sectione* ad finem 10. Universalium notionum propositionúmque vis huic fini inserviens, *Sect. 11.* Actuúmque in nosmet reflexorum indigitatur. *Sect. 12.* Deinde ad corporis humani considerationem transimus, & ostendimus esse aliquid quod suadeat ut Commune Bonum nostrúmque ei subordinatè quæramus; quoniam Corpora nostra naturaliter partes sunt Systematis Mundani à Primo Motore perpetuò pendentis, cujúsque omnes partes mutuis mortibus necessariò implicantur, aliæque aliis subordinantur ad Totius conservationem, *Sect. 16.* 20. Animalia sunt aliis hominibus congenera, adeoque pariter limitatos habent se se conservandi appetitus, qui facilè consistunt cum permissione conservationis similium, §. *17.* Quin etiam similitudo phantasmatum quibus ejusdem generis animalia repræsentantur disponit ad effectus similes iis quibus feruntur animalia in suam conservationem. §. *18.* Ipse porro Amor erga congenera animalia jucundus est affectus, ideoque ejus exercitium cum *φιλαυτίᾳ* animalium conjunctissimum est. §. *19.* Tandem idem è naturali earum propensione ad prolem generandam & educandam. *Sect. 20, 21.* Objectiones Hobbii in argumentum à consociatione aliorum animalium solvuntur, & eæ omnes in ipsum retorquentur. *Sect. 22.* Denique idem probatur ex iis quæ corpori humano peculiaria sunt, qualia sunt adjumenta aliquot phantasiæ & memoriæ, adeoque prudentiæ. Hîc considerantur Cerebrum pro mole corporis multò majus quàm in aliis animalibus:

libus: Sanguinis insuper Spirituúmque major copia, defæcatio & vigor; Ætas etiam longior. 2. Quæ faciunt ut Affectus regere homines meliùs possint, ut Plexus nervorum homini proprius; aut ut eorum regimen ipsi magis necessarium sit, ut pericardii cum diaphragmate connexio, aliæque causæ propter quas in affectibus vehementioribus præ cæteris animalibus periclitatur, ad finem *Sect. 27.* 3. Propensiones majores humani generis ad sobolis procreationem & educationem quàm in aliis animalibus observantur. *Sect. 28.* Denique consideratur apta totius hominis conformatio ad Societatem; Vultus præsertim & manus humanæ: quodque societatis aptæque subordinationis adeoque Regiminis commoda è naturali conjunctione mentis cum corpore & illius in hoc imperio commonstrentur.

CAP. III.

IN capite tertio *Sect. 1.* Definitur Bonum Naturale & dividitur in bonum uni proprium & pluribus commune. Actio habitúsve agentis naturalis communi omnium bono naturali inserviens in Legibus præcipitur: & quando existunt tales actus habitúsve propter convenientiam cum Regulis morum dicuntur moraliter Boni. *Sect. 2.* Hobbii sententia bonum æstimantis in statu naturæ à sola persona loquentis traditur, & oppugnatur tam è principiis rationis Communis, quàm è scriptis illius propriis. Evincitur illum non aliis tantùm sed sibi insuper hîc contradicere.

CAP. IV.

CApite Quarto *Sect. 1, 2, 3.* Innuitur definitio Dictaminum practicorum, sunt propositiones actionum humanarum connexionem cum effectibus suis enunciantes: & ostenditur tales propositiones dum causam exhibent idoneã

aut

aut necessariam effectûs destinati, eâdem operâ medium sufficiens aut necessarium ad finem præscribere. Eorum autem variæ formæ inter se conferuntur. Præfertur ea quæ actiones humanas ut causas & omnia inde pendentia velut effectus quosdam exhibet: quippe cæteræ in hanc ultimò resolvantur: hæc ex observatione facillimè discitur. *Sect. 4.* Res tota per comparationem cum praxi Mathematicâ illustratur.

C A P. V.

QUinto Cap. *Sect. 1.* Definitur Lex Naturæ in hanc Sententiam. Est propositio naturaliter cognita actiones indicans effectrices Communis Boni, quas præstitas præmia, neglectas pœnæ naturaliter sequuntur. Cujus prior pars Præceptum effectum finémve Legis Principalem, pars posterior sanctionem effectúmque Legis subordinatum innuit. *Sect. 2.* Ratio redditur, cur obiter hîc definiatur Lex Nat. quam à J. C^tis. Cæsareis. *Sect. 3.* Ostenditur definitio nostra eas vires habere quæ in Pandectis Legibus tribuúntur. Imperare &c. *Sect. 4.* Effectum humanarum actionum, Bonum naturale publicum ulterius explicatur. *Sect. 5.* Stoici reprehenduntur unicè bonam esse affirmarent. Hobbius etiam ostenditur, secum pugnare qui Leges Civiles unicas esse vult regulas discernendi inter Bonum & Malum: & discrimen inter bonum Naturale ac Morale plenius elucidatur, ad finem *Sect. 9.* §. *10.* Breviter attingitur Sanctio, quatenus in definitione datâ innuitur. §. *11.* Obligationis definitio Justinianea consideratur & resolvitur in Legislatoris voluntatem legi suæ pœnas ac præmia annectentem: Ideoque §. *12.* Investigantur præmia cum studio Boni Communis naturaliter conjuncta. Ea imprimis quæ in Mentis Humanæ fœlicitate continentur. Hîc autem osten-

ftenditur argumentis multis Animi nostri statum beatissimum consistere in Benevolentiæ hujus amplissimæ exercitio & sensu intimo ad finem *Sect.* 17. Deinde probatur DEUM hunc finem velle & præmia daturum esse hominibus secum cooperantibus, puniturum autem repugnantes: oppugnatúrque Epicuri ἀπρονοησία ex principiis naturaliter notis & ab ipsis Epicuræis sæpe concessis ad finem *Sect.* 23. Probatur etiam extra statum Civilem expectandas esse pœnas ab iis qui contra Bonum Commune quicquam moliuntur, ad finem §. 31. *Sect.* 32. Illustrantur hæc ex oppositis. *Sect.* 33. 34. à paribus. *Sect.* 35. DEUM hominésque cæteros præcipuas esse & quodammodo generales causas fœlicitatis, quam necessariò singuli expetunt, ideóque nunquam impunè negligi posse. *Sect.* 36. Objectiones duæ proponuntur. 1. Quòd incertæ videantur pœnæ præmiaq; quibus præceptum de studio boni Communis sanciri diximus. Pœnarum sat certa indicia proferuntur ad finem *Sect.* 39. In illis autem sectionibus methodi nostræ discrimen ab Hobbiana evincitur; & probatur, non posse jus quicquam sibi vindicandi, nisi concedatur prius Leges naturæ in statu naturali obligare etiam ad actus externos iis conformes. Hobbiumque adeò apertè sibi contradicere dum jura naturæ valida esse contendit quoad actus externos; Leges autem Naturæ eo in statu ad actus externos non obligare. *Sect.* 40. Probatur præmia, seu bona positiva certò sequi Communis boni studium. Specialim autem Pacem inter rationales non necessariò præsupponere bellum, uti docet Hobbius. Sed eam è natura concordia inter rationales circa media ad eundem finem consentientes definiendam esse; bellúmque ex ejus absentia definiendum esse, contra Hobbium. *Sect.* 41. Majora recensentur præmia: & Epicuri principia Physiologica, quorum vi Providentiam DEI exterminare conatur, breviter refutantur. *Sect.* 43. Societates Civiles omnes

aut necessariam effectûs destinati, eâdem operâ medium sufficiens aut necessarium ad finem præscribere. Eorum autem variæ formæ inter se conferuntur. Præfertur ea quæ actiones humanas ut causas & omnia inde pendentia velut effectus quosdam exhibet: quippe cæteræ in hanc ultimò resolvantur: hæc ex observatione facillimè discitur. *Sect. 4.* Res tota per comparationem cum praxi Mathematicâ illustratur.

CAP. V.

QUinto Cap. *Sect. 1.* Definitur Lex Naturæ in hanc Sententiam. Est propositio naturaliter cognita actiones indicans effectrices Communis Boni, quas præstitas præmia, neglectas pœnæ naturaliter sequuntur. Cujus prior pars Præceptum effectum finémve Legis Principalem, pars posterior sanctionem effectúmque Legis subordinatum innuit. *Sect. 2.* Ratio redditur, cur obiter hîc definiatur Lex Nat. quam à J. Ctis. Cæsareis. *Sect. 3.* Ostenditur definitio nostra eas vires habere quæ in Pandectis Legibus tribuuntur. Imperare &c. *Sect. 4.* Effectum humanarum actionum, Bonum naturale publicum ulterius explicatur. *Sect. 5.* Stoici reprehenduntur unicè bonam esse affirmarent. Hobbius etiam ostenditur, secum pugnare qui Leges Civiles unicas esse vult regulas discernendi inter Bonum & Malum: & discrimen inter bonum Naturale ac Morale plenius elucidatur, ad finem *Sect. 9.* §. *10.* Breviter attingitur Sanctio, quatenus in definitione datâ innuitur. §. *11.* Obligationis definitio Justinianea consideratur & resolvitur in Legislatoris voluntatem legi suæ pœnas ac præmia annectentem: Ideoque §. *12.* Investigantur præmia cum studio Boni Communis naturaliter conjuncta. Ea imprimis quæ in Mentis Humanæ fœlicitate continentur, Hîc autem osten-

oftenditur argumentis multis Animi noftri ftatum beatiffimum confiftere in Benevolentiæ hujus ampliffimæ exercitio & fenfu intimo ad finem *Sect.* 17. Deinde probatur DEUM hunc finem velle & præmia daturum effe hominibus fecum cooperantibus, puniturum autem repugnantes: oppugnatúrque Epicuri ἀπρονοησία ex principiis naturaliter notis & ab ipfis Epicuræis fæpe conceffis ad finem *Sect.* 23. Probatur etiam extra ftatum Civilem expectandas effe pœnas ab iis qui contra Bonum Commune quicquám moliuntur, ad finem §. 31. *Sect.* 32. Illuftrantur hæc ex oppofitis. *Sect.* 33, 34. à paribus. *Sect.* 35. DEUM hominésque cæteros præcipuas effe & quodammodo generales caufas fœlicitatis, quam neceffariò finguli expetunt, ideóque nunquam impunè negligi poffe. *Sect.* 36. Objectiones duæ proponuntur. 1. Quòd incertæ videantur pœnæ præmiaq; quibus præceptum de ftudio boni Comunis fanciri diximus. Pœnarum fat certa indicia proferuntur ad finem *Sect.* 39. In illis autem fectionibus methodi noftræ difcrimen ab Hobbiana evincitur; & probatur, non poffe dari jus quicquam fibi vindicandi, nifi concedatur prius Leges naturæ in ftatu naturali obligare etiam ad actus externos iis conformes. Hobbiumque adeò apertè fibi contradicere dum jura naturæ valida effe contendit quoad actus externos; Leges autem Naturæ eo in ftatu ad actus externos non obligare. *Sect.* 40. Probatur præmia, feu bona pofitiva certò fequi Communis boni ftudium. Speciatim autem Pacem inter rationales non neceffariò præfupponere bellum, uti docet Hobbius. Sed eam è naturali concordia inter rationales circa media ad eundem finem confentientes definiendam effe, bellumque ex ejus abfentia definiendum effe, contra Hobbium. *Sect.* 41. Majora recenfentur præmia; & Epicuri principia Phyfiologica, quorum vi Providentiam DEI exterminare conatur, breviter refutantur. *Sect.* 43. Societates Civiles omnes

 è cura

è cura Boni Communis fundari, adeoque omnia vitæ Civilis ornamenta inter præmia naturalia hujus studii censenda esse. *Sect.* 44. Ex his ostenditur colligi posse DEUM velle homines obligare ad tales actus; re totâ in syllogismum reductâ. *Sect.* 45. Tollitur objectio secunda & probatur methodum nostram indagandi sanctionem Legum Naturæ, ex annexâ fœlicitate nostrâ actibus bonum Commune promoventibus, non efficere ut nosmet ipsos omnibus præponamus. Finis effectumque Legis adæquatum ab omni sapienter judicante præfertur ejus sanctioni quatenus singularem illa quemlibet spectat: explicatur hoc ad finem *Sect.* 49. *Sect.* 50. Examinatur Hobbii ratio propter quam negat Leges Naturæ in statu Naturæ obligare ad actus externos, nempe propter defectû securitatis. Probatur perfectam seu absolutam ab omni metu securitatem non requiri ut valida sit obligatio, nec eam dari in civitatibus. Comparativam autem securitatem, quæ major sit quàm quæ oritur è Bello Hobbiano probatur dari in statu Naturæ. Ostenditur Legum Civilium præsumptionem quòd Homines Boni sint donec contrarium probetur, Hobbianam sententiam evertere, ad finem *Sect.* 52. *Sect.* 53. Probatur hanc Hobbii assertionem jus dare unicuique committendi crimen Læsæ Majestatis, quippe quod ipse asserit non esse transgressionem Legis Civilis sed Naturalis. *Sect.* 54. Probatur hinc tolli omnem obligationem, omnémque adeo usum fœderum inter Civitates diversas, quippe quæ respectu ad se invicem sunt in statu naturæ & Belli. *Sect.* 55. Legatorum & Commerciorum omnium securitas tollitur ab Hobbio. *Sect.* 56. Ostenditur Civitatem constitui non posse aut conservari ab hominibus talibus quales omnes esse contendit Hobbius. *Sect.* 57. Ex his datis colligitur; Dari unam Legem Naturæ Fundamentalem, quærendum esse Commune Rationalium Bonum.

CAP.

CAP. VI.

1. SEct. Derivantur è Generali illo præcepto Leges illæ quæ fælicitati 1. Gentium diversarum quæ ullum inter se commercium habent; 2. Civitatum singularum; 3. Minorum quarumlibet societatum, ut Familiarum & Amicorum. *Sect.* 5. Ostenditur eandem Legem Generalem dirigere omnigenos actus humanos, tam Elicitos, Intellectûs & voluntatis; quàm Imperatos qui corporis motus à Mente determinatos complectuntur. Hinc deducitur hâc Lege imperari in intellectu, Prudentiam in omnigenis actibus circa DEUM hominésque. E quâ oriuntur 1. Animi Constantia ejúsque modi varii: 2. Moderatio vera quæ Integritatem & Industriam complectitur. In voluntate autem, Benevolentiam amplissimam. E prudentiæ autem & Benevolentiæ concursu consurgere Æquitatem, omniúmque Affectuum Regimen, & virtutes quæ speciales Leges Naturæ respiciunt. *Sect.* 9. Explicatur discrimen inter Actus ad finem Necessarios, & Indifferentes, in quibus & libertati locus est, & arbitrio seu Imperio summarum Potestatum.

CAP. VII.

1. SEct. & 2. & 3. Fusiùs traditur origo Dominii in res & personas, & deducitur à Lege Naturæ de jurium divisione faciendâ conservandâque. *Sect.* 4. Ostenditur, hanc Legem in ipsa definitione Justitiæ supponi. *Sect.* 5. Inde verò deducitur discrimen inter Res aut personas sacras, & res personásve usibus communibus destinatas. *Sect.* 6. Dominii divini origo è dictamine D. Sapientiæ huic Legi Naturali analogo deducitur. Hæc

autem dictamina Rationis humanæ consentire cum judicio DEI ostenditur. *Sect.* 7. Ratio redditur ob quam visum est aliquid adjicere iis quæ dici solent de derivatione Dominii divini ab actu Creationis. *Sect.* 8. & 9. E Lege Dominii introductionem & conservationem jubente plura deducuntur circa plenam Divisionem dominiorum tam in Res quàm in Personas earúmve operas faciendam (vel per consensum, aut arbitros aut sortes) vel conservandam, de jurium translatione per pacta; & ostenditur unde obligandi vim hauriunt pacta, eáque ad illicita neminem obligare. *Sect.* 10. Ostenditur ex eâdem Lege derivari obligationem ad Benevolentiam, Gratitudinem, limitatam φιλαυτίαν, & ςοργήν. *Sect.* 11. Atque ad constituendam Potestatem Civilem, quæ subditorum potestate major sit. *Sect.* 12. Necesse esse ut Civitatum constitutio & conservatio imperetur Lege Naturali ad actus externos obligante, priusquam Civitas existat. Sect. 13. Alia inde deducuntur corollaria magni in rebus Sacris & Civilibus momenti.

CAP. VIII.


1. SEct. Ostenditur, obligationem omnem ad exercitium Virtutum Moralium inde immediatè fluere, quod tales Actus Lege Naturæ imperentur. *Sect.* 2. E Lege de constituendis ad Bonum Commune per divisionem dominiis deducitur, 1. Tribuenda esse aliis, 2. Nobismet reservanda esse quæ in hunc finem necessaria sunt, aut maximè conducunt. *Sect.* 3. Commune Bonum omnium partium Systematis Rationalium utrobique necessariò spectandum esse. Mediocritatis naturam in eo consistere ut nulli parti plus vel minus tribuatur, quàm totius ratio postulat. *Sect.* 4. E priore deducuntur præcepta; 1. De Donationibus, in quibus

Liberalitas, & de Conversatione, in quâ Homileticæ virtutes conspiciuntur. *Sect.* 5. Definitur Liberalitas, & huic subservientes virtutes Providentia & Frugalitas, vitiáque his opposita. *Sect.*6. Definiuntur Virtutes Homileticæ in genere: Speciatim autam Gravitas, Comitas, Taciturnitas, Veracitas, & Urbanitas: Vitiáque his contraria. *Sect.* 7. E posteriore parte legis §. secundâ expositæ deducitur obligatio ad limitatam φιλαυτίαν; ejus partes Cultum nempe animi nostri, & corporis, cui præsertim prospicit Temperantia, quæ *Sect.* 8. definitur, ejusque partes enumerantur, quæ ad individui conservationem pertinent, *Sect.*9, quæ ad speciei propagationem explicantur: & ab eâdem Lege ostenditur curam circa liberorum educationem imperari. *Sect.* 10. Transitur ad curam Mediorum, Divitiarum & Honorum, unde Modestia, Humilitas, Magnanimitas definiuntur. *Sect.* 11, 12, 13. Explicatur modus naturaliter investigandi dictamina rationis, quibus omnes actus secundum virtutes omnes diriguntur. *Sect.* 14, 15, 16, 17. Ostenditur Bonum Commune utpote omnium maximum, Mensuram esse naturaliter determinatam, & in partes divisam, cujus ope bonorum malorúmque omnium ratio naturaliter æstimari possit; indéque affectuum omnium circa ea occupatorum mensura determinetur.

CAP. IX.

Consectaria deducit ex antea traditis, eáque spectant 1. Decalogum, 2. Leges Civiles. Decalogum ideo visum est considerare, quoniam in eo Fundamenta Politiæ Judaicæ ab ipso DEO collecta sunt. Necesse est autem ut in Fundamentis cujusvis Politiæ omnes Leges, quæ universos obligant naturaliter contineantur. Quanquam non negaverim aliquid huic Genti proprium in his fundamentis Politiæ Judaicæ contineri. Id autem curavimus omitten-

Principibus in plerisque Civitatibus apertè & constanter rejiciuntur, & ab ipso Hobbio iisdem denegantur, quod exemplis manifestis probatur. *Sect.* 21. Refutatur ejus dogma quòd Summa imperia pactis non obligantur suis subditis; *Sect.* 22. Nec aliis Civitatibus. *Sect.* 23. Ostenditur Hobbianam doctrinam de Crimine Læsæ Majestatis Cives ad hujus criminis perpetrationem animare.



PROLEGOMENA.

§. I.

TUâ pariter ac mea interest (Amice Lector) ut paucis præmonearis de scopo ac methodo hujus opusculi. Indè enim statim intelliges quid à me aut præstitum sit, aut saltem allaboratum; cætera autem videbis vel è tui ingenii penu esse supplenda, vel ex aliorum scriptis adjicienda. Totius Moralis & Civilis disciplinæ fundamenta sunt Leges Naturales, uti in sequentibus fusè ostendimus. Illæ autem (ut omnes aliæ conclusiones naturaliter cognoscibiles) duobus modis investigari possunt. Nempe vel è manifestis quibusdam effectis indè prognatis, vel è causis è quibus ipsæ nascuntur. Nos in posteriore hoc modo illas quærendi operam hanc nostram collocavimus. Ad priorem autem modum commonstrandi illarum existentiam & vires pertinent illa quæ protulerunt Hugo Grotius, ejusque frater in Opere posthumo, & Scharrockius nostras, qui illas probant ex approbatis sententiis variorum Auctorum è Gentibus & seculis variis, nec non è consensu in Moribus & Legibus Gentium, si non omnium, saltem moratiorum. Huc etiam referendum est Opus illud Sel-

deni *de Jure Gentium juxta placita Hebræorum.* Atque ego quidem existimo hos omnes de genere humano bene meruisse, præsertim verò opus illud Hugonis Grotii quod in hoc genere primum erat, Auctore suo, & immortalitate planè dignum esse reor. Lapsus enim pauci, iique in rebus, in quibus Patriæ suæ mores virum summum transversim rapuisse videntur, ab humano Lectore veniam non difficulter impetrabunt.

§. II. Nec sanè tanti sunt momenti objectiones, quæ contra hanc methodum probandi Leges Naturales afferri solent, ut eam prorsus fallacem & inutilem esse evincant; quanquam libenter agnoscam eas tantisper apud viros cordatos valere posse, ut suadeant utile fore, tutissimumque uberiorem quærere probationem ex indagatione causarum, quarum vi Legum Naturalium notitia mentibus humanis ingeneretur. Hoc autem luculentius patebit si illas summatim proponamus, & responsionum pariter summa capita breviter indicemus.

Objicitur itaque primò. Invalidam esse hujusmodi Inductionem, quâ è verbis moribúsve paucorum hominum aut Civitatum conclusio deducitur de sententia seu judicio omnium. Quandoquidem vix quisquam est hominum, qui vel unius Regni Leges Morésque omnes perfectè calleat, multò minùs scire poterit omnium Civitatum Leges, nedum singulorum hominum sensa interiora, ut iis inter se collatis colligere possit, quænam sint in quibus omnes inter se consentiunt.

Respondetur autem, Judicia diversarum Gentium de materia quotidiè obvia (qualis est Religio seu cultus aliquis Numinis, universaliter sumptus, & humanitas aliqualis, quæ sufficiat ad prohibenda homicidia, furta & adulteria (facilè sine recondita illa peritia in Legibus à quovis ubivis observari poterint; talia autem judicia sufficienter indicant earum consensum in Legibus Naturæ. Quod autem in multis Gentibus

tibus experimur agnitum esse velut Bonum naturaliter, præsumere licet à cæteris pariter agnosci propter Naturæ humanæ similitudinem, præsertim cùm Adversarii nostri exemplum nullũ, certâ experientiâ cognitum, afferre possunt quod ullam Gentem secùs sentire evincat. Mihi sanè dubiæ aut potiùs malæ fidei videntur esse illæ narrationes de paucis aliquot barbaris Americanis, atque de Souldaniæ incolis, quòd nullum numini cuivis cultum exhiberent. Nam negativa ejusmodi assertio vix unquã testimonio probari potest. Ideóq; temerè videntur Acosta aliíq; de his pronunciare, quorum linguam & mores animíque cogitata non potuerunt intimè callere tam brevi temporis spacio. Legimus enim Judæos & Christianos quorum disciplina cæterarum Gentium religione sanctior erat, à multis tamen aliquando summæ impietatis falsò esse accusatos. Utcunque, manifestum est eas veritates satis apertè omnibus propositas esse, quæ à plerisque omnibus facilè fuerint agnitæ, etsi eædem à paucis quibusdam aut neglectæ fuerint, aut etiam oppugnatæ. Hoc autem observâsse tum demum utilissimũ erit cùm aliunde, quàm ex hujusmodi testimonio aut consuetudine constiterit, has propositiones vera docere media ad finem optimum, omnésque ad ejus finis prosecutionem per hæc media indispensabiliter obligari. Id autẽ è contemplatione causarum dictata hujusmodi Rationis Mentibus nostris proponentium fieri poterit commodissimè.

§. III. Objicitur secundò; Quòd etsi à Mente nostra, aliorúmq; plurimorum moribus approbentur dictata quædam rationis, desideratur tamen noti Legislatoris auctoritas ut ea Legum vigorem apud omnes obtineant. Aliter enim (inquiunt) licet cuivis ea contemnere volenti, aliorum quorumlibet judicium rejicere pari jure, quo illi ejus sententiam dictis aut factis condemnãt. Hunc fere in sensum objiciunt, præter antiquos Hobbius & Seldenus, sed dissimili admodũ proposito. Hobbius enim in eum collimat finem ut nemo

 dictamini-

dictaminibus Rationis se obligari credat circa actus suos externos antequam Magistratus constituatut Civilis; illius autem omnia dictata pro rectæ Rationis dictaminibus prorsus obligatoriis habeantur; uti ostendimus in sequentibus. Huc præterea pertinet illud ejus effatum quod habetur in *Lib. de Cive. c.14. §.15. Leges Naturales quanquam in libris Philosophorum descripta fuerint, non esse ob eam rem vocandas Leges scriptas, neque scripta Jurisprudentum esse Leges, ob defectum Authoritatis summa.* Noluit scilicet, Legum nomen iis adimere, quod jam iis dare dignatus fuerat; (licet impropriè ut alibi fatetur;) innuere tamen voluit eas ab Authoritate sufficiente non promulgari etsi è natura rerum à Philosophis discantur, indéque in eorum libros transcribantur. Manifestum tamen est eas, si jam sint veræ leges quæ ab Auctore naturæ factæ fuerint, non indigere novâ auctoritate ut, postquam à quovis scriptæ fuerint, fiant Leges scriptæ.

Seldenus autem ideo tantùm causatur defectum Authoritatis in dictatis Rationis Humanæ per se consideratis, ut ostendat opus esse, ut indè recurramus ad Potestatem Legislativam DEI; doceátque ejusmodi dictamina indè tantùm propriam Legum virtutem acquirere quòd hominibus à DEO eorum omnis cognitio derivetur, qui dum hæc iis nota facit, suas Leges reipsâ promulgat. Atque hoc sanè (si quid ego judico) non imprudenter suggessit Philosophis Moralibus, qui Rationis suæ dictata velut Leges considerare solent absque idonea probatione, quòd aut formam habeant Legum necessariam, aut quòd à Deo stabiliantur. Verùm cùm modus quo DEUS Leges has suas esse humano generi patefaciat ostendendus est, duos proponit *Lib. 1. cap. 9.* (1) Quòd DEUS Adamo & Noæ sanctissimâ suâ voce illas pronunciaverit, & imperaverit eis perpetuam obedientiam: unde Noachidarum præcepta per Traditionem tantùm ad Posteros omnes manaverint,

naverint. (2) DEUM Animis rationalibus talem indidiſſe facultatem, quæ ſaltem ope Intellectûs Agentis ipſam illuſtrantis, Leges has nobis indicare poſſit, & propoſitas dignoſcere ab omni jure poſitivo.

Poſteriorem hunc modum generaliter adeò propoſitum obiter tantùm indicat, qui tamen mihi multâ videtur egere explicatione & probatione; ſed ad priorem illum ſe totum recipit & è traditionibus Doctorum quorundam Judaicorum probare nititur Deum filiis Noæ ſeptem præcepta dediſſe, in quorum obſervatione omnis Juſtitia apud illos conſiſteret. Et ſanè ea quæ tradidit in Libro illo *de Jure Gentium juxta diſciplinam Ebræorum* abundè evincunt Judæos cenſuiſſe omnes qui uſpiam ſunt Gentes (etſi Moſaicas Leges non reciperent) aliquibus tamen DEI Legibus obligari, quarum ſumma capita in illis Noachidarum præceptis indicari autumabant. Hoc autem hactenus ſaltem valet, ut probetur, Gentis hujus nec exiguæ nec indoctæ teſtimonio, totum Genus humanum Legibus à nulla Civitate latis obligari. Fatendum eſt inſuper virum eruditum hunc præcipuè ſcopum ſpectâſſe, quem non infœliciter aſſecutus eſt; habétque hujus rei notitia uſus quoſdam in Chriſtiana Theologia non contemnendos. Interim tamen non ſatis fœliciter à Seldeno ſoluta eſt objectio quam ex ejus ſententia antea propoſuimus. Quanquam enim traditiones hæ Judæorum ipſi & penitus notæ fuerint, & animitùs fortaſſe creditæ; non tamen toti pariter generi humano illæ innotuerunt; & à multis riſu ac ludibrio accipiuntur, quæ apud illos traduntur velut maxima Religionis myſteria. Et ſuâ ſanè luce mihi videtur manifeſtum eſſe, traditionem non ſcriptam Doctorũ ex una Gente non eſſe ſufficientem promulgationem Legis Naturalis cui omnes Gentes obedire tenerentur.

§. IV. Quapropter ut dictatis Rationis de Re Morum ſua luculentiùs conſtaret Auctoritas eáque Divina

quâ

quâ Leges fiunt, visum est Philosophicè inquirere in earum Causas tam internas, quàm externas, proximas & remotiores, hâc enim serie deducemur tandem ad primum eorum Auctorem seu Causam efficientem, à cujus perfectionibus intrinsecis, & sanctione intrinsecâ per pœnas & præmia eorum auctoritatem profluere ostendimus. Contenti fuerunt pleriq; alii dicere generaliter; Hæc dictamina aut actus iis consentaneos à Natura doceri; mihi autē necessarium (hisce saltem temporibus) est visum distinctiùs indagari quomodo Rerum extra nos & intra nos positarum vis concurrat ad ea nobis imprimenda & sancienda. Tale quiddam desiderari docuit Verulamius noster *de Augment. Scientiarum Lib. 8.c.3.* Hoc, si solidè præstitum fuerit, ideò utilissimum erit, quoniam inde innotescet & quo modo naturaliter instituatur Mens nostra in notitia Voluntatis seu Legum DEI, adeò ut esse nequeat sine Conscientiæ synteresi; & quænam sit norma ad quam Civitatis cujuslibet Leges exigi possint; an justæ sint & rectæ, vel etiam à summo Imperio corrigi possint & emendari, sicubi erraverint ab Optimo Maximóq; fine. Hinc etiam ostenditur esse aliquid in Natura DEI, aliorum hominum, nostrâ propriâ quod in rectè factis ministrat solamina & gaudia præsentia, nec non solida futurorum præsagia: contrà autem naturales esse causas acerrimi doloris metûsq; post maleficia, unde Conscientiæ crisis velut flagellis in improbitatem armata meritò spectetur: ut pateat humanum Genus in Moralibus nec ab Ecclesiasticis nec à Politicis deludi.

§. V. Faciliore sanè methodo difficultatem hanc expediunt Platonici per innatas, quas ponunt, rerum Legúmque naturalium idæas. Verùm mihi certè non obvenit tanta fœlicitas, ut tanto compendio ad Legum Naturalium notitiam pervenirem. Nec visum est consultum totam Religionis Naturalis & Morum doctrinam illi hypothesi superstruere, quæ à plerisque tam Ethnicis Philosophis, quàm Chri-

Christianis fuerit rejecta, quæque Epicureis (contra quos præcipuè nostra instituitur disputatio) nunquam potest probari. Statui tamen hanc opinionem non impugnare, quoniam animitus exopto ut valeat quantum valere potest quicquid pietati & bonis moribus favet; (atque his favere censeo Platonicos nostros:) & quoniam non est impossibile ut & nobiscum nascantur hujusmodi notitiæ, & ab extrà denuo imprimantur.

§. VI. Eædem porro rationes quæ vetârunt innatas mentibus nostris supponere leges naturales, vetârunt pariter ne sine probatione supponerem illas ab æterno in mente Divina extitisse; sed necessarium duxi ab iis incipere quæ sensu & experientiâ quotidiana cognoscuntur; atque indè evincere propositiones quasdam practicas immutabilis veritatis circa curam fœlicitatis seu Boni omnium Rationalium simul consideratorum mentibus nostris necessariò imprimi à Natura Rerum, quam Prima Causa perpetuò determinat. Atque in harum propositionum terminis intrinsecè includi denunciationem præmiorum observantiæ iis præstitæ, pœnarúmque gravissimarum earum violationi annexarum in ipsa Rerum constitutione à Prima Causa. Unde manifestum est, eas esse verè Leges quæ nihil aliud sunt, quam ejusmodi Propositiones practicæ cùm annexis pœnis præmiisque ab Auctore idoneo promulgatæ. Postquam autem hinc constiterit harum Legum notitiam, & praxin iis conformem naturalem esse perfectionem seu statum fœlicissimum naturæ nostræ Rationalis, sequitur perfectionem huic Legum notitiæ & praxi conformi Analogam, sed infinitè superiorem, necessariò inesse Primæ Causæ, à qua proficiscitur tum nostra illa perfectio, tum etiam effectorum extra nos sapientissima ordinatio ad Communem totius Systematis conservationem & perfectionem; quam indies oculi nostri contuentur. Illud enim mihi inter certissimè comperta censetur, à nobis necessariò

priùs

è cura Boni Communis fundari, adeoque omnia vitæ Civilis ornamenta inter præmia naturalia hujus studii censenda esse. *Sect.* 44. Ex his ostenditur colligi posse DEUM velle homines obligare ad tales actus: re totâ in syllogismum reductâ. *Sect.* 45. Tollitur objectio secunda & probatur methodum nostram indagandi sanctionem Legum Naturæ, ex annexâ fœlicitate nostrâ actibus bonum Commune promoventibus, non efficere ut nosmet ipsos omnibus præponamus. Finis effectumque Legis adæquatum ab omni sapienter judicante præfertur ejus sanctioni quatenus singularem illa quemlibet spectat: explicatur hoc ad finem *Sect.* 49. *Sect.* 50. Examinatur Hobbii ratio propter quam negat Leges Naturæ in statu Naturæ obligare ad actus externos, nempe propter defectû securitatis. Probatur perfectam seu absolutam ab omni metu securitatem non requiri ut valida sit obligatio, nec eam dari in civitatibus. Comparativam autem securitatem, quæ major sit quàm quæ oritur è Bello Hobbiano probatur dari in statu Naturæ. Ostenditur Legum Civilium præsumptionem quòd Homines Boni sint donec contrarium probetur, Hobbianam sententiam evertere, ad finem *Sect.* 52. *Sect.* 53. Probatur hanc Hobbii assertionem jus dare unicuique committendi crimen Læsæ Majestatis, quippe quod ipse asserit non esse transgressionem Legis Civilis sed Naturalis. *Sect.* 54. Probatur hinc tolli omnem obligationem, omnemque adeo usum fœderum inter Civitates diversas, quippe quæ respectu ad se invicem sunt in statu naturæ & Belli. *Sect.* 55. Legatorum & Commerciorum omnium securitas tollitur ab Hobbio. *Sect.* 56. Ostenditur Civitatem constitui non posse aut conservari ab hominibus talibus quales omnes esse contendit Hobbius. *Sect.* 57. Ex his datis colligitur; Dari unam Legem Naturæ Fundamentalem, quærendum esse Commune Rationalium Bonum.

CAP. VI.

1. SEct. Derivantur è Generali illo præcepto Leges illæ quæ fælicitati 1. Gentium diversarum quæ ullum inter se commercium habent; 2. Civitatum singularum; 3. Minorum quarumlibet societatum, ut Familiarum & Amicorum. *Sect.* 5. Ostenditur eandem Legem Generalem dirigere omnigenos actus humanos, tam Elicitos, Intellectûs & voluntatis, quàm Imperatos qui corporis motus à Mente determinatos complectuntur. Hinc deducitur hâc Lege imperari in intellectu, Prudentiam in omnigenis actibus circa DEUM hominésque. E quâ oriuntur 1. Animi Constantia ejúsque modi varii: 2. Moderatio vera quæ Integritatem & Industriam complectitur. In voluntate autem, Benevolentiam amplissimam. E prudentiæ autem & Benevolentiæ concursu consurgere Æquitatem, omniúmque Affectuum Regimen, & virtutes quæ speciales Leges Naturæ respiciunt. *Sect.* 9. Explicatur discrimen inter Actus ad finem Necessarios, & Indifferentes, in quibus & libertati locus est, & arbitrio seu Imperio summarum Potestatum.

CAP. VII.

1. SEct. & 2. & 3. Fusiùs traditur origo Dominii in res & personas, & deducitur à Lege Naturæ de jurium divisione faciendâ conservandâque. *Sect.* 4. Ostenditur, hanc Legem in ipsa definitione Justitiæ supponi. *Sect.* 5. Inde verò deducitur discrimen inter Res aut personas sacras, & res personásve usibus communibus destinatas. *Sect.* 6. Dominii divini origo è dictamine D. Sapientiæ huic Legi Naturali analogo deducitur. Hæc

autem dictamina Rationis humanæ consentire cum judicio DEI ostenditur. *Sect.* 7. Ratio redditur ob quam visum est aliquid adjicere iis quæ dici solent de derivatione Dominii divini ab actu Creationis. *Sect.* 8. & 9. E Lege Dominii introductionem & conservationem jubente plura deducuntur circa plenam Divisionem dominiorum tam in Res quàm in Personas earúmve operas faciendam (vel per consensum, aut arbitros aut sortes) vel conservandam, de jurium translatione per pacta; & ostenditur unde obligandi vim hauriunt pacta, eáque ad illicita neminem obligare. *Sect.* 10. Ostenditur ex eâdem Lege derivari obligationem ad Benevolentiam, Gratitudinem, limitatam φιλαυτίαν, & στοργήν. *Sect.* 11. Atque ad constituendam Potestatem Civilem, quæ subditorum potestate major sit. *Sect.* 12. Necesse esse ut Civitatum constitutio & conservatio imperetur Lege Naturali ad actus externos obligante, priusquam Civitas existat. Sect. 13. Alia inde deducuntur corollaria magni in rebus Sacris & Civilibus momenti.

CAP. VIII.

1. SEct. Ostenditur, obligationem omnem ad exercitium Virtutum Moralium inde immediatè fluere, quod tales Actus Lege Naturæ imperentur. *Sect.* 2. E Lege de constituendis ad Bonum Commune per divisionem dominiis deducitur, 1. Tribuenda esse aliis, 2. Nobismet reservanda esse quæ in hunc finem necessaria sunt, aut maximè conducunt. *Sect.* 3. Commune Bonum omnium partium Systematis Rationalium utrobique necessariò spectandum esse. Mediocritatis naturam in eo consistere ut nulli parti plus vel minus tribuatur, quàm totius ratio postulat. *Sect.* 4. E priore deducuntur præcepta; 1. De Donationibus, in quibus

Libera-

Liberalitas, & de Converſatione, in quâ Homileticæ virtutes conſpiciuntur. *Sect.* 5. Definitur Liberalitas, & huic ſubſervientes virtutes Providentia & Frugalitas, vitiáque his oppoſita. *Sect.*6. Definiuntur Virtutes Homileticæ in genere: Speciatim autam Gravitas, Comitas, Taciturnitas, Veracitas, & Urbanitas: Vitiáque his contraria. *Sect.* 7. E poſteriore parte legis §. ſecundâ expoſitæ deducitur obligatio ad limitatam φιλαυτίαν; ejus partes Cultum nempe animi noſtri,, & corporis, cui præſertim proſpicit Temperantia, quæ *Sect.* 8. definitur, ejusque partes enumerantur, quæ ad individui conſervationem pertinent, *Sect.*9. quæ ad ſpeciei propagationem explicantur: & ab eâdem Lege oſtenditur curam circa liberorum educationem imperari. *Sect.* 10. Tranſitur ad curam Mediorum, Divitiarum & Honorum, unde Modeſtia, Humilitas, Magnanimitas definiuntur. *Sect.* 11, 12, 13. Explicatur modus naturaliter inveſtigandi dictamina rationis, quibus omnes actus ſecundum virtutes omnes diriguntur. *Sect.* 14, 15, 16, 17. Oſtenditur Bonum Commune utpote omnium maximum, Menſuram eſſe naturaliter determinatam, & in partes diviſam, cujus ope bonorum malorúmque omnium ratio naturaliter æſtimari poſſit; indéque affectuum omnium circa ea occupatorum menſura determinetur.


CAP. IX.

Conſectaria deducit ex antea traditis, eáque ſpectant 1. Decalogum. 2. Leges Civiles. Decalogum ideo viſum eſt conſiderare, quoniam in eo Fundamenta Politiæ Judaicæ ab ipſo DEO collecta ſunt. Neceſſe eſt autem ut in Fundamentis cujusvis Politiæ omnes Leges, quæ univerſos obligant naturaliter contineantur. Quanquam non negaverim aliquid huic Genti proprium in his fundamentis Politiæ Judaicæ contineri. Id autem curavimus omittendum

dum esse in nostrâ deductione quæ *Sectionibus* 4. prioribus absolvitur. *Sect.* 5. E principiis nostris deducimus particulariùs Necesse esse ad Boni Communis prosecutionem ut constituantur & conserventur Societates cum imperio, seu Regimen Civile. *Sect.* 6. Imperii initia in Familiâ videantur. Viri in uxorem, Parentum in Liberos potestas è respectu ad finem derivatur, Imperiique justi limites inde petuntur. *Sect.*7. Summa imperia à subditis suis licitè puniri non posse. *Sect.* 8. Amplissimam juxta hæc principia ostenditur Principibus dari potestatem: Hobbiana autem Principia Imperiorum omnium fundamenta subruere; 1. Quia Principum Naturam depingunt naturâ ferarum ferociorem & crudeliorem, *Sect.*9. 2. Quia omnibus ipsisque adeo Principibus denegavit rectam Rationem quâ statuere possint juxta Naturam rerum seu effectuum, quales Actus Boni sint aut Mali aliis præterquàm sibimet ipsis, *Sect.*10. §. 11. Refutatur ratio Hobbii quâ contendit ideo parendum esse Civitatis Rationi, quia nulla datur Ratio recta, seu quæ judicet secundum normam à rerum naturis sanctam. *Sect.*12. Ostenditur Hobbianam doctrinam de jure omnium ad omnia non pati, ut quisquam Societatem Civilem iniri possit. *Sect.* 13. Ejus sententiam Cives armare ad rebellionem, *Sect.*14. Hobbianam doctrinā de pactis, Imperiis summis periculosam esse. *Sect.* 16. Pernitiosa etiam est Principibus ejus doctrina de juramentis. *Sect.*17. Ostenditur per jurium translationem in eandem Personam (quâ solâ Civitatem generari docuit Hobbius) neminem teneri ad obedientiam Principi præstandam. *Sect.* 18. Hobbium omnia Principibus adimere quæ adulationis causâ videri vult illis tribuere ultra alios Philosophos. Immo pessimorum flagitiorum illos incusat, dum nullis legibus astrictos esse contendit. *Sect.*19. Omnem principibus adimit sapientiæ & justitiæ laudem. *Sect.* 20. Quæ Hobbius iis tribuit; ab ipsis

Prin-

Principibus in plerisque Civitatibus apertè & constanter rejiciuntur, & ab ipso Hobbio iisdem denegantur, quod exemplis manifestis probatur. *Sect.* 21. Refutatur ejus dogma quòd Summa imperia pactis non obligantur suis subditis; *Sect.* 22. Nec aliis Civitatibus. *Sect.* 23. Ostenditur Hobbianam doctrinam de Crimine Læsæ Majestatis Cives ad hujus criminis perpetrationem animare.



PROLEGOMENA.

§. I.

TUâ pariter ac mea interest (Amice Lector) ut paucis præmonearis de scopo ac methodo hujus opusculi. Indè enim statim intelliges quid à me aut præstitum sit, aut saltem allaboratum; cætera autem videbis vel è tui ingenii penu esse supplenda, vel ex aliorum scriptis adjicienda. Totius Moralis & Civilis disciplinæ fundamenta sunt Leges Naturales, utì in sequentibus fusè ostendimus. Illæ autem (ut omnes aliæ conclusiones naturaliter cognoscibiles) duobus modis investigari possunt. Nempe vel è manifestis quibusdam effectis indè prognatis, vel è causis è quibus ipsæ nascuntur. Nos in posteriore hoc modo illas quærendi operam hanc nostram collocavimus. Ad priorem autem modum commonstrandi illarum existentiam & vires pertinent illa quæ protulerunt Hugo Grotius, ejusque frater in Opere posthumo, & Scharrockius nostras, qui illas probant ex approbatis sententiis variorum Auctorum è Gentibus & seculis variis, nec non è consensu in Moribus & Legibus Gentium, si non omnium, saltem moratiorum. Huc etiam referendum est Opus illud Sel-

deni *de Jure Gentium juxta placita Hebræorum.* Atque ego quidem existimo hos omnes de genere humano bene meruisse, præsertim verò opus illud Hugonis Grotii quod in hoc genere primum erat, Auctore suo, & immortalitate planè dignum esse reor. Lapsus enim pauci, iique in rebus, in quibus Patriæ suæ mores virum summum transversim rapuisse videntur, ab humano Lectore veniam non difficulter impetrabunt.

§. II. Nec sanè tanti sunt momenti objectiones, quæ contra hanc methodum probandi Leges Naturales afferri solent, ut eam prorsus fallacem & inutilem esse evincant; quanquam libenter agnoscam eas tantisper apud viros cordatos valere posse, ut suadeant utile fore, tutissimumque uberiorem quærere probationem ex indagatione causarum, quarum vi Legum Naturalium notitia mentibus humanis ingeneretur. Hoc autem luculentius patebit si illas summatim proponamus, & responsionum pariter summa capita breviter indicemus.

Objicitur itaque primò. Invalidam esse hujusmodi Inductionem, quâ è verbis moribúsve paucorum hominum aut Civitatum conclusio deducitur de sententia seu judicio omnium. Quandoquidem vix quisquam est hominum, qui vel unius Regni Leges Moresque omnes perfectè calleat, multò minùs scire poterit omnium Civitatum Leges, nedum singulorum hominum sensa interiora, ut iis inter se collatis colligere possit, quænam sint in quibus omnes inter se consentiunt.

Respondetur autem, Judicia diversarum Gentium de materia quotidiè obvia (qualis est Religio seu cultus aliquis Numinis, universaliter sumptus, & humanitas aliqualis, quæ sufficiat ad prohibenda homicidia, furta & adulteria (facilè sine recondita illa peritia in Legibus à quovis ubivis observari poterint; talia autem judicia sufficienter indicant earum consensum in Legibus Naturæ. Quod autem in multis Gentibus

tibus experimur agnitum esse velut Bonum naturaliter, præsumere licet à cæteris pariter agnosci propter Naturæ humanæ similitudinem, præsertim cùm Adversarii nostri exemplum nullū, certâ experientiâ cognitum, afferre possunt quod ullam Gentem secùs sentire evincat. Mihi sanè dubiæ aut potiùs malæ fidei videntur esse illæ narrationes de paucis aliquot barbaris Americanis, atque de Souldaniæ incolis, quòd nullum numini cuivis cultum exhiberent. Nam negativa ejusmodi assertio vix unquā testimonio probari potest. Ideóq; temerè videntur Acosta aliíq; de his pronunciare, quorum linguam & mores animíque cogitata non potuerunt intimè callere tam brevi temporis spacio. Legimus enim Judæos & Christianos quorum disciplina cæterarum Gentium religione sanctior erat, à multis tamen aliquando summæ impietatis falsò esse accusatos. Utcunque, manifestum est eas veritates satis apertè omnibus propositas esse, quæ à plerisque omnibus facilè fuerint agnitæ, etsi eædem à paucis quibusdam aut neglectæ fuerint, aut etiam oppugnatæ. Hoc autem observâsse tum demum utilissimū erit cùm aliunde, quàm ex hujusmodi testimonio aut consuetudine constiterit, has propositiones vera docere media ad finem optimum, omnésque ad ejus finis prosecutionem per hæc media indispensabiliter obligari. Id autē è contemplatione causarum dictata hujusmodi Rationis Mentibus nostris proponentium fieri poterit commodissimè.

§. III. Objicitur secundò; Quòd etsi à Mente nostra, aliorúmq; plurimorum moribus approbentur dictata quædam rationis, desideratur tamen noti Legislatoris auctoritas ut ea Legum vigorem apud omnes obtineant. Aliter enim (inquiunt) licet cuivis ea contemnere volenti, aliorum quorumlibet judicium rejicere pari jure, quo illi ejus sententiam dictis aut factis condemnāt. Hunc fere in sensum objiciunt, præter antiquos Hobbius & Seldenus, sed dissimili admodū proposito. Hobbius enim in eum collimat finem ut nemo

dictaminibus Rationis se obligari credat circa actus suos externos antequam Magistratus constituatur Civilis ; illius autem omnia dictata pro rectæ Rationis dictaminibus prorsus obligatoriis habeantur ; uti ostendimus in sequentibus. Huc præterea pertinet illud ejus effatum quod habetur in *Lib. de Cive. c.14. §.15. Leges Naturales quanquam in libris Philosophorum descriptæ fuerint, non esse ob eam rem vocandas Leges scriptas, neque scripta Jurisprudentum esse Leges, ob defectum Authoritatis summa.* Noluit scilicet, Legum nomen iis adimere, quod jam iis dare dignatus fuerat ; (licet impropriè ut alibi fatetur ;) innuere tamen voluit eas ab Authoritate sufficiente non promulgari etsi è natura rerum à Philosophis discantur, indéque in eorum libros transscribantur. Manifestum tamen est eas, si jam sint veræ leges quæ ab Auctore naturæ factæ fuerint, non indigere novâ auctoritate ut, postquam à quovis scriptæ fuerint, fiant Leges scriptæ.

Seldenus autem ideo tantùm causatur defectum Authoritatis in dictatis Rationis Humanæ per se consideratis, ut ostendat opus esse, ut indè recurramus ad Potestatem Legislativam DEI ; doceátque ejusmodi dictamina indè tantùm propriam Legum virtutem acquirere quòd hominibus à DEO eorum omnis cognitio derivetur, qui dum hæc iis nota facit, suas Leges reipsâ promulgat. Atque hoc sanè (si quid ego judico) non imprudenter suggessit Philosophis Moralibus, qui Rationis suæ dictata velut Leges considerare solent absque idonea probatione, quòd aut formam habeant Legum necessariam, aut quòd à Deo stabiliantur. Verùm cùm modus quo DEUS Leges has suas esse humano generi patefaciat ostendendus est, duos proponit *Lib. 1. cap. 9.* (1) Quòd DEUS Adamo & Noæ sanctissimâ suâ voce illas pronunciaverit, & imperaverit eis perpetuam obedientiam : unde Noachidarum præcepta per Traditionem tantùm ad Posteros omnes manaverint.

naverint. (2) DEUM Animis rationalibus talem indidisse facultatem,quæ saltem ope Intellectûs Agentis ipsam illustrantis, Leges has nobis indicare possit, & propositas dignoscere ab omni jure positivo.

Posteriorem hunc modum generaliter adeò propositum obiter tantùm indicat, qui tamen mihi multâ videtur egere explicatione & probatione; sed ad priorem illum se totum recipit & è traditionibus Doctorum quorundam Judaicorum probare nititur Deum filiis Noæ septem præcepta dedisse, in quorum observatione omnis Justitia apud illos consisteret. Et sanè ea quæ tradidit in Libro illo *de Jure Gentium juxta disciplinam Ebræorum* abundè evincunt Judæos censuisse omnes qui uspiam sunt Gentes (etsi Mosaicas Leges non reciperent) aliquibus tamen DEI Legibus obligari, quarum summa capita in illis Noachidarum præceptis indicari autumabant. Hoc autem hactenus saltem valet, ut probetur, Gentis hujus nec exiguæ nec indoctæ testimonio,totum Genus humanum Legibus à nulla Civitate latis obligari. Fatendum est insuper virum eruditum hunc præcipuè scopum spectâsse,quem non infœliciter assecutus est; habétque hujus rei notitia usus quosdam in Christiana Theologia non contemnendos. Interim tamen non satis fœliciter à Seldeno soluta est objectio quam ex ejus sententia antea proposuimus. Quanquam enim traditiones hæ Judæorum ipsi & penitus notæ fuerint,& animitùs fortasse creditæ; non tamen toti pariter generi humano illæ innotuerunt; & à multis risu ac ludibrio accipiuntur, quæ apud illos tradunrur velut maxima Religionis mysteria. Et suâ sanè luce mihi videtur manifestum esse,traditionem non scriptam Doctorũ ex una Gente non esse sufficientem promulgationem Legis Naturalis cui omnes Gentes obedire tenerentur.

§. IV. Quapropter ut dictatis Rationis de Re Morum sua luculentiùs constaret Auctoritas eáque Divina

quâ

quâ Leges fiunt, visum est Philosophicè inquirere in earum Causas tam internas, quàm externas, proximas & remotiores, hâc enim serie deducemur tandem ad primum eorum Auctorem seu Causam efficientem, à cujus perfectionibus intrinsecis, & sanctione intrinsecâ per pœnas & præmia eorum auctoritatem profluere ostendimus. Contenti fuerunt pleriq; alii dicere generaliter; Hæc dictamina aut actus iis consentaneos à Natura doceri; mihi auté necessarium (hisce saltem temporibus) est visum distinctiùs indagari quomodo Rerum extra nos & intra nos positarum vis concurrat ad ea nobis imprimenda & sancienda. Tale quiddam desiderari docuit Verulamius noster *de Augment. Scientiarum Lib. 8. c. 3.* Hoc, si solidè præstitum fuerit, ideò utilissimum erit, quoniam inde innotescet & quo modo naturaliter instituatur Mens nostra in notitia Voluntatis seu Legum DEI, adeò ut esse nequeat sine Conscientiæ synteresi; & quænam sit norma ad quam Civitatis cujuslibet Leges exigi possint; an justæ sint & rectæ, vel etiam à summo Imperio corrigi possint & emendari, sicubi erraverint ab Optimo Maximóq; fine. Hinc etiam ostenditur esse aliquid in Natura DEI, aliorum hominum, nostrâ propriâ quod in rectè factis ministrat solamina & gaudia præsentia, nec non solida futurorum præsagia: contrà autem naturales esse causas acerrimi doloris metûsq; post maleficia, unde Conscientiæ crisis velut flagellis in improbitatem armata meritò spectetur: ut pateat humanum Genus in Moralibus nec ab Ecclesiasticis nec à Politicis deludi.

§. V. Faciliore sanè methodo difficultatem hanc expediunt Platonici per innatas, quas ponunt, rerum Legúmque naturalium idæas. Verùm mihi certè non obvenit tanta fœlicitas, ut tanto compendio ad Legum Naturalium notitiam pervenirem. Nec visum est consultum totam Religionis Naturalis & Morum doctrinam illi hypothesi superstruere, quæ à plerisque tam Ethnicis Philosophis, quàm

Chri-

Christianis fuerit rejecta, quæque Epicureis (contra quos præcipuè nostra instituitur disputatio) nunquam potest probari. Statui tamen hanc opinionem non impugnare, quoniam animitus exopto ut valeat quantum valere potest quicquid pietati & bonis moribus favet; (atque his favere censeo Platonicos nostros :) & quoniam non est impossibile ut & nobiscum nascantur hujusmodi notitiæ, & ab extrà denuo imprimantur.

§. VI. Eædem porro rationes quæ vetârunt innatas mentibus nostris supponere leges naturales, vetârunt pariter ne sine probatione supponerem illas ab æterno in mente Divina extitisse; sed necessarium duxi ab iis incipere quæ sensu & experientiâ quotidiana cognoscuntur; atque indè evincere propositiones quasdam practicas immutabilis veritatis circa curam fœlicitatis seu Boni omnium Rationalium simul consideratorum mentibus nostris necessariò imprimi à Natura Rerum, quam Prima Causa perpetuò determinat : Atque in harum propositionum terminis intrinsecè includi denunciationem præmiorum observantiæ iis præstitæ, pœnarúmque gravissimarum earum violationi annexarum in ipsa Rerum constitutione à Prima Causa. Unde manifestum est, eas esse verè Leges quæ nihil aliud sunt, quam ejusmodi Propositiones practicæ cum annexis pœnis præmiisque ab Auctore idoneo promulgatæ. Postquam autem hinc constiterit harum Legum notitiam, & praxin iis conformem naturalem esse perfectionem seu statum fœlicissimum naturæ nostræ Rationalis, sequitur perfectionem huic Legum notitiæ & praxi conformi Analogam, sed infinitè superiorem, necessariò inesse Primæ Causæ, à qua proficiscitur tum nostra illa perfectio, tum etiam effectorum extra nos sapientissima ordinatio ad Communem totius Systematis conservationem & perfectionem; quam indies oculi nostri contuentur. Illud enim mihi inter certissimè comperta censetur; à nobis necessariò

prius

priùs cognoſci quid ſit Juſtitia, atque ideo quæ ſint Leges in quarum obſervatione ea tota conſiſtit, quàm diſtinctè ſcire poſſimus Juſtitiam DEO attribuendam eſſe, ejúſque Juſtitiam velut exemplar à nobis eſſe ſpectandam. Deum enim non cognoſcimus per intuitionem immediatam perfectionum ejus, ſed ex effectis illius ſenſu & experientiâ priùs cognitis; nec tutum eſt attributa illi affingere quæ aliunde non ſatis intelligimus.

§. VII. Oſtenſâ hactenus generaliter differentiâ inter methodum noſtram, & illas quas ſecuti ſunt alii, viſum eſt hîc paucis indicare ſumma eorum capita quæ per totum opus fuſiùs & ſparſim tradidimus. Quæ à Phyſiologis (iis præſertim qui Mathematicis nituntur principiis) demonſtrari ſolent, ſupponimus ſatis probata; quoniam Moralis tantùm Philoſophiæ præcepta hîc tradere ſuſcepimus, eáque è ſuppoſita aliquali Naturæ cognitione deducere. Præſertim verò ſuppoſui effecta omnia motuum corporeorum quæ naturaliter neceſſaria ſunt, & fiunt abſque interventu libertatis humanæ, à Voluntate Cauſæ Primæ fieri. Hoc enim nihil aliud ſignificat quàm motus Corporum omnium à vi impreſſâ primi motoris primùm cieri, & ab eadem permanente, ſecundùm leges Motûs, perpetuò determinari. Supervacaneum enim viſum eſt id probare, quod à Phyſicis plurimis antea probatum fuerit, quódque ab Hobbio quem ad examen revocamus apertè agnoſcitur. *Leviath. cap. 12.* ubi poſtquam Religionis in Hominibus cauſam ex anxietate circa futurum deduxiſſet (viderint alii an ſubdolè hoc factum fuerit necne) addit hæc verba. *Agnitio verò Unici, Æterni, Infiniti, Omnipotentis DEI ab inveſtigatione Cauſarum, virtutum operationúmque corporum naturalium, quàm à Cura futuri temporis faciliùs derivari potuit. Nam qui ab effectu quocunque quem viderit ad cauſam ejus proximam procederet, in cauſarum deinceps ordinem profundè ſe immergeret, inveni-*

ret tandem (cum veterum Philosophorum sanioribus) unicum esse primum Motorem, id est, unicam & æternam Rerum omnium Causam; quam appellant omnes DEUM. Dato autem quòd effectus quilibet naturalis DEUM velut causam suam indicet, negari nequit omnes ejusmodi effectus ab ejus Voluntate determinari, nisi quis adeò insaniat ut Deum quidem Causam eorum agnoscat, sed eum non voluntariò agere contendat.

§. VIII. Porro omnis motus organis sensuum nostrorum impressus (hujusmodi motus *species sensibiles* à Peripateticis dicuntur) quo mens ad res apprehendendas & ad judicia de iis ferenda impellitur, est effectum planè naturale, adeoque mediantibus causis inferioribus Primæ tandem causæ originem suam acceptam refert. Indéque sequitur DEUM per hosce motus velut per penicilla rerum omnigenarum, causarum præsertim & effectuum indè ortorum, notitias aut imagines in mentibus nostris delineare: eundémque postquam ab eadem re varias aliquantisper notiones eam inadæquatè repræsentantes nobis impressit nos excitare ad eas inter se conferendas & conjungendas, itáque nos determinare ad propositiones veras de rebus intellectis efformandas. Sic eò quòd res quævis aliquando tota simul oculis nostris exponitur, aliquando autem eadem secundum omnes ejus partes accuratiùs spectatur, sentítque animus notionem totius eandem prorsus rem referre cum omnibus singularum partium notionibus simul sumptis, impellitur ad propositionem faciendam de identitate inter totum & omnes partes; aut ad affirmandum quòd Causæ quæ conservant Totum, conservant etiam omnes Partes ejus Essentiales.

§. IX. Deinde verò à diligente contemplatione earum omnium Propositionum, quæ universalium Legum Naturæ honorem meritò sibi vendicent, observavi eas ad unicam generalissimam reduci posse, è cujus commoda expli-

explicatione limitationes omnes aut exceptiones cum quibus singulæ intelligendæ sunt petantur, & ex ejusdem evidentia omnes lucem accipiant. Ea autem in hanc sententiã, aut huic parilem exprimatur. Studium, quoad possumus, communis Boni totius systematis agentium Rationalium conducit, quantum in nobis est, ad Bonum singularum ejus partium, quo nostra velut partis unius continetur fœlicitas: Actus autem huic studio oppositi effectus etiam secum ducunt oppositos, nostrámque adeò inter alia miseriam. Quapropter operis nostri summa in his versatur, quæ vel (1) materiam spectant hujus propositionis; terminorum scilicet notitiam è natura rerum hauriendam; vel (2) formam ejus, horum nempe connexionem in propositione practica, & speciatim tali quæ propter annexas pœnas præmiáque à Naturæ Opifice Lex dici mereatur; vel (3) denique deductionem aliarum Legum Naturalium eai úmq; limitationem naturalem è respectu ad Totius aggregati Commune Bonum seu statum fœlicissimum.

§. X. Ad terminorum notitiam pertinent ea omnia quæ generaliter diximus *de natura rerum, humanâq;* præsertim, nec non *de communi Bono.* In his rogandus est Lector ne iniq; ferat quòd Deo Rationem tribuamus, ipsumq; inter Rationales numeremus; quódque dicamur aliquando Deum benevolentiâ prosequi, seu aliquid ejus naturæ conveniens i.e. bonum velle. Nempe profitemur hæc non propriè & eodem sensu de Deo dici, quo utimur his verbis cùm de hominibus loquimur. Sed absolutam in illo intelligimus Omniscientiam, & Sapientiam; nec ipse Cicero eam meliùs describere potuit, quàm nomine adultæ rationis. Nec imaginamur nos affectus nostros erga Deum testari posse adjiciendo quicquam perfectionibus ab æterno infinitis. Verùm dubitare non possumus quin illius Naturæ gratius & convenientius sit in factis nostris obsequium &

illius

illius imitatio in cura boni publici totius generis humani quod ab ipso indies conservatur; in dictis item nostris nec non in cogitationibus & affectibus honor, cultus & amor beneficæ ipsius naturæ manifestò magìs conveniunt, quàm illius neglectus aut odium aut θεομαχία. Quoniam si abstractè comparemus duas naturas Rationales inter se, agnoscemus majorem convenientiam inter ipsas quando altera alteri consentit & cooperatur, quàm si dissensum inter eas supponamus, finemq; ab una intentum ab altera oppugnari. Nec video quid impediat, quò minùs idem dicatur, si altera harum naturarum rationalium cogitetur esse Deus, altera autem Homo. Ideoq; quemadmodum sensuum ope notum est, gratius esse cuivis homini amari & honorari quàm odio haberi & contemni; ita rationi per manifestam analogiam compertum est, gratius esse summo Rationali, nempe Deo, amari & honorari hominum obsequio, quàm odio haberi & contemni. Siquidem certum est, velle amari nullam imperfectionem in hominibus arguere; in Deo autem tantum abest ut imperfectionis suspicionem ullam habeat, ut è contrario benignitatem illius arguat, quoniam ipsum amando homines perficiuntur, & illi assimilantur. Hoc autem cùm & ratione & experientiâ notum sit, exinde certò probatur Deum Amori sui præmium maximum annexuisse inseparabiliter, quod quidem nunquam fecisset nisi voluisset amari."

Cæterùm si placeat Lectori tria illa hujus Tractatûs capita quorum titulos modò recensuimus perlegere, videbit nos dum terminos (ut loquuntur Scholę) propositionis prędictæ explicamus, non occupari in verborũ interpretatione, sed notiones & rerum è quibus oriuntur naturam quatenus ad rem nostram attinet proponere: eâdemq; operâ ipse observabit me directè & immediatè explicare vim & necessitatem earum actionum humanarum quæ aut ad communem omnium hominũ fœlicitatem, aut ad privatam singulorum requiruntur: quanquam utile visum fuerit adeò generalibus uti verbis ut ea sano sensu Divinæ Majestati tribui possint;

idque eo fine fecisse ut ope analogiæ prudenter adhibitæ non modò obligatio nostra ad Pietatem, verùm etiam natura justitiæ & dominii divini exinde intelligi possit.

§. XI. Ad formam Propositionis illius quod attinet, manifestum est eam esse practicam, utpote quæ de effectu actionis humanæ pronunciat. Notandum autem quòd etsi verbum *conducit* in præsenti ponatur tempore, quoniam è rebus præsentibus edicitur, non tamen limitatur ad tempus præsens sed ab eo abstrahit; & quoniam ejus veritas cumprimis dependet ab identitate inter totum & partes, æquè manifestò vera est de futuro (quod aliundè probamus in hoc tractatu) & cum respectu ad futura à nobis semper ponitur. Præterea ideo accommodatior est hæc thesis nostro proposito, quoniam nulli speciali hypothesi innititur. Non enim supponit homines in statu Civili natos, nec extra eum. Non supponit natam esse inter homines universos cognationem propter eosdem è quibus omnes nascimur parentes primos, utì ex historia sacra didicimus: (demonstranda enim est obligatio Legum Naturalium apud eos qui Scripturas sacras non agnoscunt:) nec contrà supponit (utì Hobbius *de Civ. cap. 8. §. 1.*) homines plurimos subitò è terra, fungorum more, exortos & adultos. Nostra autem propositio omniaque quæ indè deduximus intelligi posset & agnosci ab ipsis protoplastis sese cum Deo & sobole possibili considerantibus; nec minùs facilè intelligatur ab universis Gentibus quæ historiam de primis parentibus non audiverunt.

§. XII. Nec pigebit hoc etiam annotare circa sensum prædictæ propositionis, iisdem verbis quibus causa effectûs maximi optimíque traditur, tradi etiam breviter media ad finem summum. Quippe effectus agentis Rationalis postquam animo ejus concipitur atque ei producendo operam suam navare decrevit, ejus Finis dicitur, actionésque seu causæ quarum vi id efficere conatur, dicuntur

tur

tur Media. Sic etiam in praxibus Geometricis causæ ponuntur effectionum Geometricarum, linearum scilicet ductiones præscriptæ: quòd si effectio ejusmodi consideretur ut problema cujus solutio quæritur, seu tanquam finis nobis proponitur, tum demum praxeos verba suggerunt Geometræ media fini assequendo idonea. Ex hoc autem observato ostenditur methodus reducendi ea omnia quæ dixerunt Morales Philosophi circa media ad finem optimum, in theoremata de vi actionum humanarum in producendis effectibus; in hac autem forma faciliùs examinari possunt, &c, si vera sint, evidentiùs demonstrari. Pari ratione hinc etiam discimus quàm facilè omnis vera cognitio circa vim causarum (quas ullatenus flectere ad usus nostros possumus) medium suggerit ad finis noti assecutionem, adeoque ad praxin pro re natâ applicari possit. Denique hinc etiam constat propositionem illam quam tractamus hactenus saltem ad Legis naturam accedere, quòd finem respiciat Lege verè dignam, Commune Rationalium omnium Bonum; seu Honorem Dei cum publica totius humani generis fœlicitate conjunctum.

§. XIII. Verùm primâ fortasse facie non conspiciantur in illa propositione duo illa necessariò ad Legis vigorem requisita, Auctor nempe idoneus & Sanctio per pœnas præmiáve sufficiens. At si illa paulò attentiùs inspiciatur, videbimus illam hoc ipso quòd à Rerum natura mentibus nostris imprimitur, Auctorem suum manifestò indicare, nempe Primam rerum omnium, simúlque omnium veritatum indè ortarum, Causarum. Inter eas autem veritates cumprimis censenda est vera hæc propositio quam Legem Naturæ fundamentalem in se continere asserimus. Nec quisquam cum ratione postulare potest ut evidentiùs probetur, Deum hujus propositionis esse Auctorem quàm probatum est eum esse Auctorem Naturæ Rerum è qua propositionis veritas exoritur. Quapropter noto jam ejus

auctore, id unum restat ut sufficientem sanctionem ab eodem Auctore factam esse, eámque in ea propositione satìs indicari, ostendamus.

§. XIV. Non me latet sanctionem, strictissimo sensu verbi, à Cicerone & Papiniano dici eam legis partem quæ certam pœnam irrogat iis qui præceptis legis non optemperaverint. Verùm paulò laxiore sensu verbum sumere visum est, ut etiam præmia complectatur quæ lex pollicetur obedientiam præstantibus. Quippe etiam his ab injuria hominum defenduntur & muniuntur leges, indéque sanctæ dicantur, juxta laxiorem Sancti definitionem quam habemus *d. lib. 1. tit. 8. leg. 8.* è Marciano, *Sanctum est quod ab injuria hominum defensum atque munitum est*; secundùm quam leges sanctas esse affirmat Ulpianus, lege proximè sequente propter sanctionem quâ confirmantur. Si quis tamen discedere nolit à strictiore verbi significatione, non est cur de verbo litigemus si modò de re constet. Addidimus itaque illorum gratiâ, propositionem de actibus studio Boni Communis oppositis, neglectu scilicet illius aut violatione hinc mala singulis systematis Rationalium partibus inferri, ipsis autem maleficis maxima. Hæc autem pœnam, sine mentione præmii apertè satìs exprimit. Diligentiam autem nostram totam pęne erogavimus in probatione prioris propositionis quæ de præmiis agit in fœlicitate inclusis, quoniā indè hæc posterior apertissimè demonstratur: & quoniam Pœnæ natura malum includit, id est privationem bonorum illorum quæ ex naturæ nostræ necessitate efflagitamus ad fœlicitatem; privationes autem hæ intelligi nequeunt, nisi priùs intelligantur illa bona quibus opponuntur. Denique natura rerum (cujus vestigia à nobis in hoc Tractatu accuratissimè erant premenda) tota fere est in immittendis positivis causarum & effectuum notionibus in mentes nostras per sensus externos qui negationes & privationes non capiunt; movétque affectus boni priùs potiúsque præsentis amore aut futuri spe, quàm mali odio metúve. Nemo enim vitam,

valetu-

valetudinem, gratósque nervis ac spiritibus motus qui voluptates corporeæ dicuntur ideo amat, cupítve eorum causas, ut mortem, morbos, ægritudinésq; his oppositas evitet, sed propter intrinsecam ipsis bonitatem seu convenientiam (ut loquuntur Scholæ) positivam cum natura nostri corporis. Paritérque nemo mentis perfectiones, cognitionem nempe ampliorem magisque distinctam objectorum nobilissimorum placidissimâ quâdam harmoniâ sibimet ubique consonam, sensumque gratissimum benevolentiæ, spei solidæ, gaudiique in Universorum Rationalium prospero statu, ideo expetit, ut solummodò effugiat ignorantiæ, malevolentiæ, invidiæ & commiserationis molestias, sed propter summam quam in illis actibus habitibúsque experientiâ degustamus suavitatem, quæ reverà facit ut his privari ingratissimum sit, taliúmq; privationum causæ molestæ judicentur. Hinc igitur patet ipsas etiam Leges Civiles, cùm sanciantur pœnis, morte *v.g.* aut mulctatione bonorum, si rem ipsam spectemus, homines impellere ad obedientiam præstandam ex amore vitæ suæ, aut divitiarum quas leges ostendunt per eam ulteriùs conservari posse. Scilicet fuga mortis & egestatis est amor vitæ ac divitiarum; uti qui per duo negativa dicit se nolle vitâ carere (id est eam non habere) tantundem dicit ac si affirmaret velle se vitâ frui. Quibus hoc etiam adjicere placuit, ipsas leges Civiles mihi videri multò magis stabiliri è fine quem respiciunt tum earum Latores, tum etiam Cives optimi, Bono nempe Civitatis publico quod fœlicitatem quandam innuit, cujus pars aliqua singulis bonis Civibus comunicatur, adeoq; obsequii præmium naturaliter secum affert, quàm per pœnas quas minantur, quarum metu moventur pauci tantùm, pessimíque.

§. XV. Summulam autem tum præceptorum omnium Legis Naturalis, tum sanctionum eis annexarum in propositione nostra ejúsque consectario de oppositis contineri sic breviter ostendimus. Subjectum illius est studium, pro viribus nostris, Communis Boni totius systematis

Rationalium; in hoc autem exprimitur Amor erga Deum & homines universos, qui scilicet sunt partes hujus systematis. Deus quidem est pars præcipua: Homines sunt partes ei subordinatæ: erga utrosque Benevolentia Pietatem, & Humanitatem complectitur, hoc est, utramque Legis Naturæ Tabulam. Prædicatum verò illius propositionis est conducens ad bonum singularum ejus partium, quo nostra, velut partis unius, fœlicitas continetur. In eo verò, ut omnia quæ possumus omnibus bona dicuntur esse hujusce studii effectus, ita inter alia non omittitur illa bonorum omnium complexio è qua nostra consistit fœlicitas: quæ obsequii præmium est summum, uti miseria ex oppositis actibus consequens pœna est summa nequitiæ. Nexus verò prædicati cum subjecto naturalis & fundamentum est veritatis propositionis, & indicium naturalis nexûs inter obsequium & præmia, nec non inter transgressionem & pœnas.

Indè verò facilè observabit Lector veram rationem ob quam hæc practica propositio, omnésque quæ ex ea deducantur, rationales eam intelligentes obligent, dum aliæ (puta Geometricas) à Natura atque ideo Deo mentibus humanis pariter impressæ, ad praxin secundùm eas instituendam homines non obligent; sed à plerisque quibus praxis Geometrica necessaria non est, tutò negligi possint. Tota scilicet sumenda est è natura effectuum à praxibus his atque illis oriundorum. Effectus praxium Geometricarum tales sunt ut iis absque noxa carere possint plerique. Effectus autem studii Boni Communis adeò intimè respiciunt Universos, quorum nos pars sumus, & à quorum voluntate uniuscujusque aliquatenus pendet fœlicitas, ut sine periculo illam aut illius spem amittendi illud studium abjici nequeat, idque ex ipsa Rerum Natura Deus nobis notum fecit. Adeoque pœnarum præmiorúmve nexum cum actibus nostris à se factum esse satis promulgavit, unde ipsius

auctoritate tam hæc propositio quàm cæteræ omnes quæ in ea continentur, in Legum dignitatem intelliguntur transiviſſe.

§. XVI. Verùm ex ipſis Propoſitionis noſtræ terminis liquet effectum adæquatum & immediatum praxeos de qua Lex hæc ſancitur, eſſe id quod Deo gratum eſt, Hominibusque univerſis ſalutare, quod Bonum eſt Naturale omnium partium totius ſyſtematis Rationalium, immò Bonorum omnium quæ iis præſtari poſſunt maximum; utpote majus ſimili Bono cujuslibet partis ejusdem ſyſtematis. Quin etiam ſatìs in ea innuitur Hominum ſingulorum fœlicitatem (è cujus proſpectu vel privatione tota ſumitur ſanctio) à ſtatu optimo totius ſyſtematis derivari; velut nutritio cujusvis membri corporis animalis, à nutritione totius maſſæ ſanguineæ per omnia diffuſæ derivatur.

Indè autem conſtat effectum hunc optimum, non autem exiguam illiùs particulam, privatam puta cujuslibet hominis fœlicitatem, finem eſſe principalem Legislatoris, omniſque qui ejus voluntati verè obſequitur. Pari ratione hinc patet eas Actiones humanas quæ ex vi aut efficacia ſua naturali aptæ ſunt Communi Bono deſervire meritò dici naturaliter bonas, & quidem magìs bonas quàm quæ bono cujusvis hominis proprio inſerviunt, eâ proportione, quâ Bonum Commune proprio majus eſt. Pariter etiam hujusmodi actiones quæ viâ tranſeunt breviſſimâ ad hunc effectum velut finem naturâ ſuâ Rectæ ſunt, propter naturalem ſimilitudinem cum linea recta quæ inter datos terminos eſt breviſſima. Eædem tamen actiones poſtea dum comparantur cum Lege ſive Naturali ſive Poſitivâ, quæ morum eſt norma, eíque conformes reperiuntur, dicuntur moraliter Bonæ, vel etiam Rectæ, id eſt, normæ congruæ: ipſa autem Norma, Recta dicitur quoniam viam docet breviſſimam ad finem. Sic etiam quoniam ſtatus Univerſo-

rum hominum omnibus animi corporísque bonis naturalibus, aptè inter se proportionatis & ad optimum finem ordinatis, cumulatissimus, naturaliter pulcherrimus est, (utpote definitioni pulchritudinis è partium figura & symmetria desumtæ planè congruus) manifestum est illas actiones quæ ita eliciuntur ut ad hunc statum constituendum aut conservandum ex intrinseca sua vi sint idoneæ, meritò dici Pulchras seu Decoras: atque hinc explicari potest τὸ καλὸν & τὸ πρέπον seu decorum, quod in actionibus virtutis toties celebrant Philosophi. Denique cùm in capite *de Bono* latè ostensum sit, illud distinctè intelligi posse & amari absque respectu ad nosmet-ipsos, dubitare nequit Lector quin agnoscamus per se amabile esse hoc Bonum quod omnia omnium bona in se complectitur, ideoque minimè idoneum est ut unius hominis fœlicitati (quæ tanti Boni exigua est particula) subordinetur; parique ratione patet actiones huic fini idoneas, utpote optimas & pulcherrimas, per se esse amabiles, & ab omnibus rationalibus summè laudabiles, adeóque propter summum quo ex natura sua omnibus benefica dignæ sunt honorem, meritò dici per se Honestas. Hæc autem diligentiùs monenda censuimus ne quis perperàm existimaret nos non satìs agnovisse intrinsecas Pietatis aut Charitatis perfectiones, quoniam sanctionem Legum Naturalium quibus hujusmodi actus imperantur investigavimus, ex annexa obedientiæ fœlicitate singulorum, violationi autem miseriâ. Etiam in Legibus Civilibus Sanctiones Legum ab earum fine & effectu adæquato, Bono scilicet publico, manifestò distinguuntur; pars tamen effectûs Legis Civilis est inflictio pœnæ, aut collatio mercedis quâ Lex firmatur.

§. XVII. Quoniam autem pœnarum præmiorúmque connexio cum actibus publico bono inservientibus sive oppositis nonnihil obscuratur per ea quæ bonis mala, malisque bona contingunt, visum est necessarium ad rem nostram diligentiùs ostendere, eam (his non obstantibus) satìs

esse

esse constantem & manifestam in Natura Humana ut indè certò colligatur Sanctio Legis Naturalis hos actus imperantis, illos prohibentis. Supponimus interim pœnam illam, illúdve præmium ad sanctionem sufficere cujus valor, omnibus rectè perpensis, excedit lucrum ex actu legi contrario oriturum: in comparatione effectuum qui actus hinc bonos illinc malos sequuntur, æstimari non debere bona illa aut mala quæ consilio vel industriâ nostrâ aut non possunt acquiri, aut non possunt evitari. Qualia sunt tum ea quę è naturali necessitate, tum quæ ex mero casu à causis externis cuivis contingant. Hæc enim pariter bonis ac malis accidere & possunt & solent. Illa tantùm hîc æstimabimus quæ à ratione humana provideri possunt, velut aliquatenus dependentia ab actibus nostris. Præmissâ itaque generali probatione, quæ deducitur ex eo quòd singuli qui inserviunt bono communi, aut illud oppugnant, sunt partes totius illius quod ipsorum operâ conservatur aut læditur, adeoq; necessariò partem aliquam emolumenti vel detrimenti indè oriundi percipiunt, descendimus ad probationes speciales desumtas partim è causis ejusmodi actuum de quibus in capite *de Nat. Humanâ*; partim ex eorum effectis & consequentibus, de quibus in capite *de Oblig.* uberiùs tractavimus. Est autem caput illud cæteris prolixius & minùs perspicuum, quoniam in eo sæpe coactus sum Adversarium sequi in statum illum quem supponit confusissimum, ut ex confessis ipsum redarguerem; & necesse habui multas non illius solùm, verùm aliorum meliùs Philosophantium objectiones diluere. Quapropter visum est hîc paucis ob oculos ponere Lectori, & scopum in quem ibi collimavimus, & viam quâ illa omnia in nostrum tendant finem, ne in tanta rerum sylva me à recto tramite aberrâsse suspicetur.

§. XVIII. Actuum humanorum Causæ sunt vires Mentis & Corporis humani. Quapropter, quoniam manifestum esse observavi fœlicitatem seu summum præmium

essentialiter connecti cum exercitio plenissimo & constantissimo virium nostrarum omnium circa objecta & effecta maxima optimáque eis adæquata & proportionata, hinc colligi, homines hisce facultatibus præditos sub pœna amittendi beatitudinem suam naturaliter teneri eas occupare seu exercere circa nobilissima in Rerum Natura objecta, Deum scilicet & humanum Genus illi simillimum. Nec diu dubitari potest utrum facultates nostræ fœliciùs exerceantur amicitiam cum his colendo an inimicitiam, pacem cum eis ineundo an bellum. Constat autem nullum esse posse statum neutrum quo Deus hominésque nec amentur nec odio habeantur & irritentur, seu quo horum neutri nec grata fiunt nec ingrata; præsertim cùm rebus externis utimur. Quippe necessariò vel curabimus ut aliis quæ ad suum finem necessaria sunt non auferantur, id autem sine benevolentia esse nequit; vel libenter ea eripiemus, quod est animi malevoli certum indicium. At si concedatur manifestam esse necessitatem, si beati esse volumus, amicitiam cum Deo Hominibúsque colendi, statim agnoscitur Sanctio Legis illius Naturæ generalissimæ quam hîc unicè investigare volumus. Ea enim unica & Religionem totam naturalem, & omnia ad humani generis fœlicitatem necessaria stabilit; ea verò sunt præter Pietatem, (1) pacifica inter Gentes diversas commercia, quò spectant Jura Gentium omnium; (2) Societatis Civilis constitutio, aut conservatio, quò collimant Leges Civiles; (3) Domesticæ necessitudinis & amicitiæ omnis firmitas, de quibus tum generales regulæ quæ Gentium pacem firmant, tum speciales Oeconomicæ præcipiunt. Congessimus itaque valdè multa in capite de *Nat. Hum.* quibus singuli aliquatenus capaces fiunt tantæ Societatis, & ad eam remotè saltem disponuntur. Atque hîc Lectorem rogamus ut ea non separatim tantùm sed conjunctim consideret, ut ex omnibus conjunctis unum exsurgat argumentum Sanctionem Legis Generalissimæ

Indè evincens, quòd homines necessariò excident summâ suâ fœlicitate, quæ in actione seu usu facultatum suarum proprio & adæquato consistit, nisi eas exerceant in colenda cum Deo Hominibusque amicitia, ad quem effectum præ cæteris omnibus à natura adaptantur, quod quidem Legis transgressoribus excusationem nullam relinquit.

§. XIX. Ab effectibus autem actionum ad Bonum Commune Rationalium sic ostendimus sanctionem per præmia pœnásque iis annecti. Manifestum est tali studio inprimis Deum, utpote summè sapientem, aliisque Rationalibus summè beneficum, amari & honorari. Hominum verò è qualibet Gente vitam bonáque omnia in tuto pro viribus nostris collocari. Regimen Civile hunc in finem, si opus sit, fundari libenter; at ubi jam existit libentissimè conservari. Omniáque singulis (adeoque nobismet-ipsis etiam) tribui commoda quæ totius ratio postulat, nihil cuiquam fieri quod totius cura non patitur. Nihil in homine cogitari potest præter voluntatem in omnium bona propensam prudentis intellectûs ductu gubernatam à quo tanta provenire possunt; nec, si hoc studium in nobis supponatur, quicquam expeti potest in hunc finem quod non libenter, pro viribus, præstabimus. Quapropter cùm certò præsciri possunt hi effectus ex hoc studio secuturi, neminem latere potest in iis contineri Religionis solamina gaudiáque præsentia, cum beatæ immortalitatis spe ubique terrarum conjuncta, multáque insuper pacati cum exteris commercii commoda, omniáque Regiminis Civilis & domestici, nec non amicitiæ emolumenta huic studio velut præmia annecti; eáque non aliâ ratione quæ in nostra est potestate acquiri posse: ipsúmque adeò qui Boni Communis curam rejicit, eatenus rejicere has suæ fœlicitatis causas, & miseriæ seu pœnæ imminentis causas amplecti.

Breviter dicam; Quoniam manifestum est è rerum natura summam quæ à nostra potestate nobis procurari potest fœli-

fœlicitatem è cura ſimul Pietatis ac Pacis, Commerciiq́ue inter Gentes mutui Regiminis Civilis & domeſtici, nec non firmæ amicitiæ provenire; harum autem rerum omnium curas inter ſe conſiſtere poſſe in illius tantùm animo qui Bono Rationalium omnium Communi ſtudet; ſequitur maximum quod homo acquirere poteſt præmium huic ſtudio naturaliter annecti, ejuſque adeò privationem ſeu pœnam actibus oppoſitis adhærere. Horum prius, quod aſſignat cauſas fœlicitatis quam ſinguli obtinere aut ſolent aut poſſunt, probavimus ab effectibus experientiâ cognitis; poſterius, nempe Pietatem omnémque erga homines univerſos benevolentiam in ſtudio Boni Communis contineri ex ejus definitione & partibus oſtendimus in Conſectariis. E talibus autem præmiſſis deducta concluſio eſt naturæ lumine nota.

§. XX. Agnoſco interim hos effectus non omnes à ſola poteſtate noſtra pendere, ſed eorum multos à benevolentia etiam aliorum Rationalium; verùm cùm ex ipſorum natura, quia noſtræ eſt analoga, ſcire licet, Commune Bonum finem eſſe optimum maximumq́ue quem ſibi poſſint proponere, & ipſorum perfectionem naturalem poſtulare ut agant & propter finem, & propter hunc potius quàm quemvis minùs bonum, & experientiâ inſuper notum eſt tales univerſalis benevolentiæ effectus ab aliis per actus noſtros plerumque impetrari poſſe, æquum eſt ut illi inter eorum effectus, vel conſequentia quæ contingunt ſaltem ut plurimum, numerentur & æſtimentur. Quia id quiſque facere poſſe cenſetur quod amicorum ope poteſt præſtare. Integrum præmium quod actibus bonis per Naturalem hujus Univerſi conſtitutionem annectitur, ſimile eſt quodammodo redditibus Fiſci è quibus publicum Patrimonium conſtituitur, quod non è certis tantùm conſtat penſitationibus, ſed è compendiis aliquam multis ſubinde contingentibus, quorum valor ingens eſt licèt non planè certus, &

certo

certo ſæpe talia locantur pretio: puta, vectigalia quæ ob portus, vias & pontes publicos ſolvuntur. Ideoque in æſtimando hoc præmio in rationes venire debent non eæ tantùm ejus partes quæ immutabiliter actionibus bonis adhærent (qualia ſunt beatitudo illa (ut loquuntur) formalis, quæ in Cognitione & Amore Dei (hominumque forte cum illo conſentientium) conſiſtit, abſolutum affectuum omnium Regimen, ſuaviſſimus conſenſus inter omnia actionum noſtrarum principia, omnéſque vitæ noſtræ partes, Numinis favor & Immortalitatis beatæ ſpes ratione nixa;) verùm etiam in cenſum venire debent quæ contingenter eis cohærent bona, quæ ſcilicet aut ex aliorum Religione nobis accedunt, aut fluunt è Societate ſive Civili, ſive inter gentes diverſas aut amicos quam his actibus, quantum poſſumus, procuramus. Pari ratione intelligimus è quibus partibus conſiſtat integra pœna quæ actibus publico ſtatui nocuis annectitur; nempe per omnia conſequentia modò dictis oppoſita Lex illas prohibens propriè ſancitur.

§. XXI. Diſcimus autem ſinguli è neceſſitate conditionis quâ naſcimur vivimusque bona contingentia, id eſt, cauſas contingenter profuturas æſtimare, & talium ſpe ad actiones impellimur. Quippe aer ipſe ad quem hauriendum naturali ferimur impetu, non ſemper ſanguini noſtro ſpiritibusque prodeſt, ſed aliquando lethali imbuitur contagio: cibus, potus & exercitia non ſemper vitam conſervant, imò ſæpe morbos generant: ipſa agricultura aliquando labores humanos non lucro ſed damno rependit. Non minùs itaque naturaliter quàm ad tales actus ducimur è ſpe boni indè probabiliter proventuri; pari ſpe movemur ad cultum Boni Communis, quæ tamen nec ſola nec præcipuè nos impellit, ſed cum præmiis (quæ diximus) intrinſecè & immutabiliter annexis conſpirat. Quàm probabiliter autem ſperemus ex aliis hominibus conjunctim conſideratis aliquid quo labores noſtri in Bonum Commune collati rependantur, indè

opti-

optimè æstimabimus, si consideremus quid & præsentis temporis experientia & præteriti historia testetur de Gentium omnium quæ nobis innotuêre praxi hunc finem spectante. In earum omnium moribus publicè observatur aliqua erga numen saltem unum reverentia, quâ à perjuriis post fidem datam arcentur: ubique vigent commercia inter notas invicem Gentes utilissima, nisi bello solenni abrumpantur: ubique Regimen Civile conservatur, & in eo contenta dominiorum distinctio: ubique familiarum & amicorum necessitudines observantur plerumque. Quoniam autem totum studium Boni Communis nihil aliud significat præter Cultum numinis, curam commercii pacisque inter gentes, Regiminis Civilis ac domestici, nec non amicitiæ, velut partes conjunctim sumtas, manifestum est boni illius studium quadantenus ubique inter homines reperiri, unde necesse est ut multa singulis conferantur pacis auxiliiq; mutui commoda. Immò verò manifestum mihi videtur singulos qui ad virilem ætatem pervenerint, omnes illos quos exegerint annos multò magis debere aliorum operæ Bono Communi impensæ quàm suæ curæ, quæ in tenera adhuc ætate pene nulla est. Toti tum pendemus ab obedientia, quā alii præstant præceptis Oeconomicis, Ligibus Civilibus, & Religionis, quæ omnes à Boni Communis cura profluunt. Hinc fit ut si postea vitam nostram periculo exponamus, immò si moriamur pro Bono publico, minus amittamus, ejus causâ, quàm indè jam jam accepimus. Amittimus enim tantùm incertam futurorum, si vixerimus, gaudiorum spem; immò potiùs certum est vix ullam singulis spem superesse posse, ubi Bonum commune conculcatur; accepimus autem indè realem vitæ omniumque quibus ornati fuimus perfectionum possessionem. Nec dubito quin maxima quæ experimur in statu Civili è mutuo auxilio commoda præsciri potuissent ex hominum natura à primis Parentibus, si supponamus ab illis deliberatum fuisse, utrùm ipsorū filiis plus prodessent suadendo ut Pietatem erga Deum & Parentes

exercerent, & mutuam inter fratres benevolentiã, in quibus Religionis, Regiminísque Civilis (quippe familia est prima Civitas) & Juris Gentium summa continetur, quàm instituendo eos in atheismi mysteriis, eósque adhortando ut omnia sibi singuli vendicarent, adeoque in rapinas & cædes mutuas statim ruerent. Præcognita autem è Natura consequentia hujusmodi actuum humanorum bona & mala, quoniam à Deo hominibus de actionibus suis deliberantibus præmonstrantur ut ad agendum impellantur, aut indè deterreantur, integram habent rationem præmiorum pœnarúmque quibus Lex sancitur.

§. XXII. Hæc autem ideo mihi videntur manifestissima, quoniam simillima sunt illi methodo quâ naturaliter docentur omnia animalia conservandam esse singulorum membrorum corporis sui sanitatem & robur per alimentorum assumtionem & respirationem aeris, quibus crasis vitalis sanguinis totum corpus permeantis immediatè conservari solet, etsi vel morbi intra corpus, vel accidentia multa ab extrà ut contusiones, vulnera, fracturæ impedire aliquando possunt, ne membris accedat illud robur quod ex alimentis quærebatur. Pari planè modo docemur per actus Communi Bono immediatè inservientes singulorum hominum (qui Systematis Rationalis membra sunt) perfectiones varias ordinariò expectandas esse; utpote quæ indè non minùs naturaliter derivantur, quàm manuum nostrarum vires à justo sanguineæ massæ statu proficiscuntur. Fatemur tamen multa accidere posse propter quæ generalis hæc totius cura non semper efficiat ut expetitâ fœlicitate singuli intemeratè perfruantur, utì aeris & alimentorũ cura utcunq; necessaria toti corpori morbos omnes casúsque non prohibet. Contingat enim tam per enormes concivium actus, velut per morbosam visceris alicujus diathesin, quàm per hostium invasiones, ut aliquibus rectè factorum præmiis priventur boni, maláque patiantur externa. At quoniam hujusmodi mala sæpe quidem Concordiæ & Regiminis viribus (quæ à studio

ſtudio Boni Communis ſemper profluunt) propulſantur, ſæpe etiam poſt breviuſculam perpeſſionem excutiuntur noſtrarum virium & judiciorum Civilium ope, uti morbi ſolvuntur per criſin ſalutarem, ſæpe etiam majoribus bonis penſantur, partim per aliorum virtutes, præcipuè verò per vim Regiminis Civilis, fœderúmque cum externis Civitatibus initorum; hinc fit ut genus humanum nullâ ætate extinguatur, & ut imperia pleraque ſingulis hominibus & animalibus vel maximè longævis ſint magìs diuturna. Ex his perpenſis luculentum eſt pravos quorundam hominum appetitus, nec eos qui omnibus aliquando accidunt affectuum motus Bono Communi oppoſitos, non magìs impedire ne agnoſcamus valentiores propenſiones totius generis humani ſimul conſiderati in id ferri quod ab eo re ipsâ procurari fierique indies videmus, totius nempe conſervationem & perfectionem ulteriorem; quàm impediunt morbi in partibus animalium quandoq; naſcentes ne fateamur totam corporis humani compagem partiúmque functiones naturales aptatas eſſe ad vitæ conſervationem, ſpeciei propagationē, & ad tuendum ſingulorum membrorum vigorem ad tempus ordinariò præſtitutum. Hinc enim non modò primùm conſtitutæ ſunt Civitates & Legationes, fœderáque cum exteris, verùm etiam ſi quando violetur fides cum una gente, ipſe violator fidei ſtatim ſe confert ad fidem aliarum gentium per fœdera cum iis inita, ſuoque facto ſeipſum damnat; & ſi quando una Religio in quavis gente tollatur alia ſtatim ponitur, quâ cum Deo amicitiam quærunt. Sic ubi una Civitas ſeditione aut bello diſſolvatur, alia mox indè generatur aut augetur. Hæc autem evincunt totum Syſtema rationalium pariter, immò aptiùs, comparatum eſſe ad ſui ſuorúmque membrorum ſubordinatam conſervationem, ac Syſtema Corporum Univerſorum ad ſuam, dum è corruptione unius ſequitur generatio alterius, & in generatione ſingulorum animalium, dantur iis organa quibus ſe aliquandiu tueantur, ſpeciémque ſuam propagent.

§. XXIII.

§. XXIII. Tradidimus hoc compendio summam methodi quâ sanctionem Legum Naturalium investigavimus, in qua fœlicitatem ex actibus bonis naturaliter consequentem consideravimus velut præmium à Naturæ Auctore illis annexum: ejus autem amissionem velut pœnam non minùs naturaliter cum actibus malis cohærentem. Quæ enim bona vel mala actibus hominum connectuntur, eadem etiam in dictaminibus practicis actuum illorum consequentia verè enunciantibus contineri necesse esse. Ipse Deus autem ea dictamina practica enunciare intelligitur, quæ à natura actionum nostrarum aliorúmve rationalium necessariò mentibus nostris suggeruntur, & quæ verè prædicunt effectus indè secuturos. Bona autem & mala in dictaminibus à Deo enunciatis actibus humanis annexa, quibus monemur hos prosequi, illos autem evitare, integram in se continent præmiorum pœnarúmque definitionem. In his autem consentio tum cum illis qui virtutem fœlicitatem in se continere ajunt, sibique adeò esse præmium, tum cum aliis qui alia insuper spectant bona Mentis aut Corporis à Deo, à propria conscientia, à familia aut amicis, à Civitate sua aut Gentibus exteris expectanda; sive illis in hac vita fruamur, sive in futura speramus rationis jussu. Multúmque videtur methodus nostra exinde confirmari quòd omnes utcunque diversa sentientes de Moribus in hoc tamen consentiunt, actus bonos idoneis præmiis necessariò cohonestandos esse & re ipsâ cohonestari; malos autem pœnis necesse esse, ut coerceantur & reverà coerceri. In his idem sentiunt Philosophi utcunque aliàs inter se litigantes; idem etiam omnium Religionum fundatores; omniúmq; Legum Civilium latores. Ipsi etiam illi qui præmia videri volunt negligere, & è sola gratitudine omnes deducere volunt virtutes, necesse tamen habent agnoscere gratitudinem è memoria acceptorum beneficiorum fluere. Tantundem autem amoris erga nosmet-ipsos arguit quòd stimulamur ad bene agendum per accepta jam beneficia, quàm quòd eadem

faciamus proptet talia posthac speratà; immò videtur aliquantisper generosiùs agere qui movetur bono tantũ sperato, quoniam spei plerũq; adhæret aliquid incerti, quàm qui tantundem facit propter bona paria quibus certò jam fruitur. Præterea autem præteritorum beneficiorum memoria dulcedine quâdã animum perfundit, quæ fœlicitatis, adeoque præmii pars est, quam libenter agnoscimus idoneum esse ad rectè agendum argumentum. Nec videtur fieri posse ut tantus esset omnium in his consensus, nisi communis omnium Natura seu Ratio idem omnibus dictaret, Summum Finem Commune omnium Bonum non aliter à violatione tutum conservari posse, quàm per pœnas & præmia; iisque igitur illud ubique munitum esse.

§. XXIV. Porro utilis videtur hæc methodus quâ reduximus Omnia Naturæ præcepta ad unicum; quoniam facilior & expeditior est unius hujusce propositionis probatio, quàm plurium illorum quæ à Philosophis proponi solent; & memoriæ melius consulitur; quæ unius sententiæ quotidianâ recordatione non gravabitur, & (quòd longè maximum est) ex ipsa Natura Communis Boni cui studere dirigimur in hac propositione, prudentis judicio datur regula vel mensura certa cujus ope actibus suis & affectibus certum statuat modum in quo virtus consistit. Hoc sanè opus prudentis judicio demandavit Aristoteles in Virtutis definitione, verùm judicii ab eo ferendi normam non indicavit. Nostra propositio normam sumendam esse docet à natura finis optimi maximíque, habito scilicet respectu ad omnes partes totius Systematis Rationalium, seu Civitatis illius cujus Caput est Deus, membra omnes Deo subditi. Hinc enim dirigemur ad tales actus Pietatis erga Deum, qui probè consistunt cum pace & commerciis inter omnes Gentes conservandis, cum constitutione Regiminis Civilis & obsequi o illi præstando, nec non cum cura privatæ fœlicitatis singulorum; paritérq; dirigemur ad tales diffusissimæ humanitatis actus qui exactè

subordi-

subordinentur veræ Pietati: & universaliter, affectus actusque nostri singuli eam habebunt ad summam virium nostrarum eamque inter se proportionem, quam habet bonum illud cui procurando illorum quilibet inservit, ad Bonum Commune maximum, quod totus vitæ nostræ decursus possit efficere. Hinc certò cavebitur ne circa res levioris momenti diligentes, nec remissi simus circa graviora, neve in publicis commodis ignavi, in privatis fervidi simus, sed à rerum efficiendarum dignitate effectuum nostrorum mensura determinabitur.

Ab hoc deniq; fonte derivandus est ille ordo inter Leges Naturæ speciales secundùm quem prior posteriorem quodammodo limitat, quem prudenter admodum & solidè observavit Doctissimus Sharrockius Legum Doctor in Libro *de Officiis*, capite præsertim 10. ut *prior habeatur ratio abstinendi ab invasione alieni, quàm standi promissis; fidei licitè data potior sit ratio; quàm vices rependendi, &c.* Horum autē ratio ab hoc nostro principio petenda est, quoniam ad Bonum Commune magis conducit ut primaria Lex Naturæ specialis de dominiorum divisione facienda servandaque non violetur per invasionem alieni, quàm ut promisso tali quispiam staret, quod fieri nequit sine invasione alieni: & par est ratio in cæterarum legum comparatione, quas secundùm ordinem dignitatis suæ recensui in sequentibus. Qui plura hac de re velit, legat Auctorem jam citatum; mihi sufficit rationem Ordinis inter Leges Naturales è nostro principio deduxisse. Nisi fortè hoc addendum esse videatur, Nemini id mirum videri debere quòd nullum uspiam jus, nullamque virtutem planè explicari posse diximus sine respectu ad statum omnium Rationalium seu totius Mundi intellectualis. Quippe videmus in Physiologia, accidentia corporum quotidiè sensibus obvia, qualia sunt Motûs communicatio, Gravitatio, lucis & caloris actio, firmitas & fluiditas, rarefactio & condensatio planè explicari non posse,

ſine reſpectu ad Totum ſyſtema Mundi corporei, motumq; in eo conſervandum. Quin etiam in Geometria manifeſtum eſt nullius motus aliis implicati, eisque continuâ ſerie ſubordinati effectum ullum accuratè inveſtigari poſſe, niſi ii omnes & ſecundùm ſuum ordinem quo alii ab aliis pendent ad calculum revocentur, & inter ſeſe conferantur. Denique ex hoc ordine inter Leges Naturæ quo ſpeciales omnes Generali ſubordinantur & illarum poſteriores prioribus, commodiſſimè oſtendi poſſe videtur de illarum nullâ unquam à Deo diſpenſatum eſſe, ſed in iis caſibus in quibus poſterioris obligatio tolli videatur, materiam ita mutari, ut priori tantùm Legi obſervandæ locus ſit. Sic patet non diſpenſari de Lege Dominiorum diviſionem ſtabiliente, & alieni invaſionem prohibente, ſi Deus licitum faciat Iſraelitis Cananæorum in ipſum delinquentium terram invadere. Quippe eadem illa Lex decernit neceſſe eſſe ad Bonum Commune ut Deo inprimis tribuatur dominiũ illud eminens in omnes & omnia, cujus vi ipſe (quoties ad ſummum finem id conducere videbitur) auferre poteſt dominium cujusvis creaturæ in ſuam vitam; ac bona & illud in alteram transferre per idonea voluntatis ſuæ ſigna; quod in Caſu propoſito factum fuiſſe legimus; unde Iſraelitæ ſua ſibi vendicabant, non aliena invadendi poteſtatem accipiebant. Pariter etiam non diſpenſatur de Lege, quæ propter Bonum commune vetat innocentibus nocere, ſi quando jubeatur innocens (cùm ad hunc finem neceſſarium eſt) periculum noxæ, ipſamve mortem ſubire: Deo præſertim voluntatem ſuam hac in re ſatis apertè indicante. Hinc enim & Deo omnium Regi ſuus defertur honos; & aptiſſimè, quia ſecundùm ipſius judicium ſummo fini conſulitur. Adeoque unius incolumitas non eſt hoc in caſu vel pars vel cauſa Boni Communis, ſed è contrà ejus noxa ponitur eſſe medium ad illud neceſſarium. Hæc autem inde elucescent magis ſi conſideremus veritatem generalis hujus propoſitionis,

nis, *Causa conservans quoad potest totum, conservat quoad potest omnes,* non mutari in casu quovis particulari, etsi aliquando contingat ut manus sana in defensione capitis periculo exposita ab externa vi abscindatur. Ostendimus enim antea obligationem perpetuam harum Legum fundari in veritate propositionis practicæ, quæ in hac fundatur, & ideo pariter est nullo in casu mutabilis.

§. XXV. De Consectariis quæ in sequenti Tractatu deduximus nihil hîc dicam; quoniam non occurrit animo meo quicquam quo ea vel breviùs, vel magis perspicuè tradam. Dicam tamen me non omnia indicasse utilia, quæ è nostris sponte manant principiis, nec possum sanè ea omnia enumerare. Quippe in his continentur generalissimæ æquitatis regulæ, quæ novis circumstantiis indies exorientibus applicari possunt tum à Magistratibus tum à privatis. Ex iis Magistratus intelligant quænam Leges Civiles æquæ sunt, adeoq; dignæ quæ retineantur, quænam opus habent correctione ab æquitate: percipiant etiam exinde quænam conditiones fœderum, quæque causæ bellorum cum exteris æquæ sint, quænam iniquæ. Hinc etiam privati discent & perpetuam Legibus Divinis ac Civilibus, quæ indè auctoritatem derivant præstare obedientiam, & in casibus per has Leges eorum libertati permissis, qui indies occurrunt innumeri, ad optimum finem semper respiciendum dirigentur, & ab omnibus illicitis mediis suam fœlicitatem quærendi arcebuntur. Utrique autem percipient se ad majores in virtute profectus indies faciendos obligari; idque eâ ratione, quâ ipsorum peritia & vires bono publico inserviendi ex usu fiunt majores, & quâ publica fœlicitas capax est alicujus incrementi.

§. XXVI. Civitatum genesin è duabus Legibus Naturæ, quæ hunc in finem simul considerandæ sunt deduximus; nempe (1) ex illa quæ distincta constituere jubet dominia in res & personarum operas, sicubi nondum talia constituta reperiantur; at ubi reperiuntur eadem inviolata

fœlicitatem è cura ſimul Pietatis ac Pacis, Commerciique inter Gentes mutui Regiminis Civilis & domeſtici, nec non firmæ amicitiæ provenire; harum autem rerum omnium curas inter ſe conſiſtere, poſſe in illius tantùm animo qui Bono Rationalium omnium Communi ſtudet; ſequitur maximum quod homo acquirere poteſt præmium huic ſtudio naturaliter annecti, ejuſque adeò privationem ſeu pœnam actibus oppoſitis adhærere. Horum prius, quod aſſignat cauſas fœlicitatis quam ſinguli obtinere aut ſolent aut poſſunt, probavimus ab effectibus experientiâ cognitis; poſterius, nempe Pietatem omnémque erga homines univerſos benevolentiam in ſtudio Boni Communis contineri ex ejus definitione & partibus oſtendimus in Conſectariis. E talibus autem præmiſſis deducta concluſio eſt naturæ lumine nota.

§. XX. Agnoſco interim hos effectus non omnes à ſola poteſtate noſtra pendere, ſed eorum multos à benevolentia etiam aliorum Rationalium; verùm cùm ex ipſorum natura, quia noſtræ eſt analoga, ſcire licet, Commune Bonum finem eſſe optimum maximumque quem ſibi poſſint proponere, & ipſorum perfectionem naturalem poſtulare ut agant & propter finem, & propter hunc potius quàm quemvis minùs bonum, & experientiâ inſuper notum eſt tales univerſalis benevolentiæ effectus ab aliis per actus noſtros plerumque impetrari poſſe, æquum eſt ut illi inter eorum effectus, vel conſequentia quæ contingunt ſaltem ut plurimum, numerentur & æſtimentur. Quia id quiſque facere poſſe cenſetur quod amicorum ope poteſt præſtare. Integrum præmium quod actibus bonis per Naturalem hujus Univerſi conſtitutionem annectitur, ſimile eſt quodammodo redditibus Fiſci è quibus publicum Patrimonium conſtituitur, quod non è certis tantùm conſtat penſitationibus, ſed è compendiis aliquam multis ſubinde contingentibus, quorum valor ingens eſt licèt non planè certus, &

certo

certo ſæpe talia locantur pretio: putà, vectigalia quæ ob portus, vias & pontes publicos ſolvuntur. Ideoque in æſtimando hoc præmio in rationes venire debent non eæ tantùm ejus partes quæ immutabiliter actionibus bonis adhærent (qualia ſunt beatitudo illa (ut loquuntur) formalis, quæ in Cognitione & Amore Dei (hominumque fortè cum illo conſentientium) conſiſtit, abſolutum affectuum omnium Regimem, ſuaviſſimus conſenſus inter omnia actionum noſtrarum principia, omnéſque vitæ noſtræ partes, Numinis favor & Immortalitatis beatæ ſpes ratione nixa;) verùm etiam in cenſum venire debent quæ contingenter eis cohærent bona, quæ ſcilicet aut ex aliorum Religione nobis accedunt, aut fluunt è Societate ſive Civili, ſive inter gentes diverſas aut amicos quam his actibus, quantum poſſumus, procuramus. Pari ratione intelligimus è quibus partibus conſiſtat integra pœna quæ actibus publico ſtatui nocuis annectitur; nempe per omnia conſequentia modò dictis oppoſita Lex illas prohibens propriè ſancitur.

§. XXI. Diſcimus autem ſinguli è neceſſitate conditionis quâ naſcimur vivimusque bona contingentia, id eſt, cauſas contingenter profuturas æſtimare, & talium ſpe ad actiones impellimur. Quippe aer ipſe ad quem hauriendum naturali ferimur impetu, non ſemper ſanguini noſtro ſpiritibusque prodeſt, ſed aliquando lethali imbuitur contagio: cibus, potus & exercitia non ſemper vitam conſervant, imò ſæpe morbos generant: ipſa agricultura aliquando labores humanos non lucro ſed damno rependit. Non minùs itaque naturaliter quàm ad tales actus ducimur è ſpe boni indè probabiliter proventuri; pari ſpe movemur ad cultum Boni Communis, quæ tamen nec ſola nec præcipuè nos impellit, ſed cum præmiis (quæ diximus) intrinſecè & immutabiliter annexis conſpirat. Quàm probabiliter autem ſperemus ex aliis hominibus conjunctim conſideratis aliquid quo labores noſtri in Bonum Commune collati rependantur, indè opti-

optimè æstimabimus, si consideremus quid & præsentis temporis experientia & præteriti historia testetur de Gentium omnium quæ nobis innotuêre praxi hunc finem spectante. In earum omnium moribus publicè observatur aliqua erga numen saltem unum reverentia, quâ à perjuriis post fidem datam arcentur: ubique vigent commercia inter notas invicem Gentes utilissima, nisi bello solenni abrumpantur: ubique Regimen Civile conservatur, & in eo contenta dominiorum distinctio: ubique familiarum & amicorum necessitudines observantur plerumque. Quoniam autem totum studium Boni Communis nihil aliud significat præter Cultum numinis, curam commercii pacísque inter gentes, Regiminis Civilis ac domestici, nec non amicitiæ, velut partes conjunctim sumtas, manifestum est boni illius studium quadantenus ubique inter homines reperiri, unde necesse est ut multa singulis conferantur pacis auxiliiq; mutui commoda. Immò verò manifestum mihi videtur singulos qui ad virilem ætatem pervenerint, omnes illos quos exegerint annos multò magis debere aliorum operæ Bono Communi impensæ quàm suæ curæ, quæ in tenera adhuc ætate pene nulla est. Toti tum pendemus ab obedientia, quā alii præstant præceptis Oeconomicis, Ligibus Civilibus, & Religionis, quæ omnes à Boni Communis cura profluunt. Hinc fit ut si postea vitam nostram periculo exponamus, immò si moriamur pro Bono publico, minus amittamus, ejus causâ, quàm indè jam jam accepimus. Amittimus enim tantùm incertam futurorum, si vixerimus, gaudiorum spem; immò potiùs certum est vix ullam singulis spem superesse posse, ubi Bonum commune conculcatur; accepimus autem indè realem vitæ omniumque quibus ornati fuimus perfectionum possessionem. Nec dubito quin maxima quæ experimur in statu Civili è mutuo auxilio commoda præsciri potuissent ex hominum natura à primis Parentibus, si supponamus ab illis deliberatum fuisse, utrùm ipsorū filiis plus prodessent suadendo ut Pietatem erga Deum & Parentes

exerce-

exercerent, & mutuam inter fratres benevolentiã, in quibus Religionis, Regiminísque Civilis (quippe familia est prima Civitas) & Juris Gentium summa continetur, quàm instituendo eos in atheismi mysteriis, eósque adhortando ut omnia sibi singuli vendicarent, adeoque in rapinas & cædes mutuas statim ruerent. Præcognita autem è Natura consequentia hujusmodi actuum humanorum bona & mala, quoniam à Deo hominibus de actionibus suis deliberantibus præmonstrantur ut ad agendum impellantur, aut indè deterreantur, integram habent rationem præmiorum pœnarúmque quibus Lex sancitur.

§. XXII. Hæc autem ideo mihi videntur manifestissima, quoniam simillima sunt illi methodo quâ naturaliter docentur omnia animalia conservandam esse singulorum membrorum corporis sui sanitatem & robur per alimentorum assumtionem & respirationem aeris, quibus crasis vitalis sanguinis totum corpus permeantis immediatè conservari solet, etsi vel morbi intra corpus, vel accidentia multa ab extrà ut contusiones, vulnera, fracturæ impedire aliquando possunt, ne membris accedat illud robur quod ex alimentis quærebatur. Pari planè modo docemur per actus Communi Bono immediatè inservientes singulorum hominum (qui Systematis Rationalis membra sunt) perfectiones varias ordinariò expectandas esse; utpote quæ indè non minùs naturaliter derivantur, quàm manuum nostrarum vires à justo sanguineæ massæ statu proficiscuntur. Fatemur tamen multa accidere posse propter quæ generalis hæc totius cura non semper efficiat ut expetitâ fœlicitate singuli intemeratè perfruantur, uti aeris & alimentorũ cura utcunq; necessaria toti corpori morbos omnes casúsque non prohibet. Contingat enim tam per enormes concivium actus, velut per morbosam visceris alicujus diathesin, quàm per hostium invasiones, ut aliquibus rectè factorum præmiis priventur boni, maláque patiantur externa. At quoniam hujusmodi mala sæpe quidem Concordiæ & Regiminis viribus (quæ à

studio

studio Boni Communis semper profluunt) propulsantur, sæpe etiam post breviusculam perpessionem excutiuntur nostrarum virium & judiciorum Civilium ope, uti morbi solvuntur per crisin salutarem, sæpe etiam majoribus bonis pensantur, partim per aliorum virtutes, præcipuè verò per vim Regiminis Civilis, fœderúmque cum externis Civitatibus initorum; hinc fit ut genus humanum nullâ ætate extinguatur, & ut imperia pleraque singulis hominibus & animalibus vel maximè longævis sint magìs diuturna. Ex his perpensis luculentum est pravos quorundam hominum appetitus, nec eos qui omnibus aliquando accidunt affectuum motus Bono Communi oppositos, non magìs impedire ne agnoscamus valentiores propensiones totius generis humani simul considerati in id ferri quod ab eo re ipsâ procurari fierique indies videmus, totius nempe conservationem & perfectionem ulteriorem; quàm impediunt morbi in partibus animalium quandoq; nascentes ne fateamur totam corporis humani compagem partiúmque functiones naturales aptatas esse ad vitæ conservationem, speciei propagationẽ, & ad tuendum singulorum membrorum vigorem ad tempus ordinariò præstitutum. Hinc enim non modò primùm constitutæ sunt Civitates & Legationes, fœderáque cum exteris, verùm etiam si quando violetur fides cum una gente, ipse violator fidei statim se confert ad fidem aliarum gentium per fœdera cum iis inita, suoque facto seipsum damnat: & si quando una Religio in quavis gente tollatur alia statim ponitur, quâ cum Deo amicitiam quærunt. Sic ubi una Civitas seditione aut bello dissolvatur, alia mox indè generatur aut augetur. Hæc autem evincunt totum Systema rationalium pariter, immò aptiùs, comparatum esse ad sui suorúmque membrorum subordinatam conservationem, ac Systema Corporum Universorum ad suam, dum è corruptione unius sequitur generatio alterius, & in generatione singulorum animalium, dantur iis organa quibus se aliquandiu tueantur, speciémque suam propagent.

§. XXIII.

§. XXIII. Tradidimus hoc compendio summam methodi quâ sanctionem Legum Naturalium investigavimus, in qua fœlicitatem ex actibus bonis naturaliter consequentem consideravimus velut præmium à Naturæ Auctore illis annexum: ejus autem amissionem velut pœnam non minùs naturaliter cum actibus malis cohærentem. Quæ enim bona vel mala actibus hominum connectuntur, eadem etiam in dictaminibus practicis actuum illorum consequentia verè enunciantibus contineri necesse esse. Ipse Deus autem ea dictamina practica enunciare intelligitur, quæ à natura actionum nostrarum aliorúmve rationalium necessariò mentibus nostris suggeruntur, & quæ verè prædicunt effectus indè secuturos. Bona autem & mala in dictaminibus à Deo enunciatis actibus humanis annexa, quibus monemur hos prosequi, illos autem evitare, integram in se continent præmiorum pœnarúmque definitionem. In his autem consentio tum cum illis qui virtutem fœlicitatem in se continere ajunt, sibique adeò esse præmium, tum cum aliis qui alia insuper spectant bona Mentis aut Corporis à Deo, à propria conscientia, à familia aut amicis, à Civitate sua aut Gentibus exteris expectanda; sive illis in hac vita fruamur, sive in futura speramus rationis jussu. Multúmque videtur methodus nostra exinde confirmari quòd omnes utcunque diversa sentientes de Moribus in hoc tamen consentiunt, actus bonos idoneis præmiis necessariò cohonestandos esse & re ipsâ cohonestari; malos autem pœnis necesse esse, ut coerceantur & reverà coerceri. In his idem sentiunt Philosophi utcunque aliàs inter se litigantes; idem etiam omnium Religionum fundatores; omniúmq; Legum Civilium latores. Ipsi etiam illi qui præmia videri volunt negligere, & è sola gratitudine omnes deducere volunt virtutes, necesse tamen habent agnoscere gratitudinem è memoria acceptorum beneficiorum fluere. Tantundem autem amoris erga nosmet-ipsos arguit quòd stimulamur ad bene agendum per accepta jam beneficia, quàm quòd eadem

faciamus proptet talia posthac sperata; immò videtur aliquantisper generosiùs agere qui movetur bono tantū sperato, quoniam spei plerūq; adhæret aliquid incerti, quàm qui tantundem facit propter bona paria quibus certò jam fruitur. Præterea autem præteritorum beneficiorum memoria dulcedine quâdā animum perfundit, quæ fœlicitatis, adeoque præmii pars est, quam libenter agnoscimus idoneum esse ad rectè agendum argumentum. Nec videtur fieri posse ut tantus esset omnium in his consensus, nisi communis omnium Natura seu Ratio idem omnibus dictaret, Summum Finem Commune omnium Bonum non aliter à violatione tutum conservari posse, quàm per pœnas & præmia; iisque igitur illud ubique munitum esse.

§. XXIV. Porro utilis videtur hæc methodus quâ reduximus Omnia Naturæ præcepta ad unicum; quoniam facilior & expeditior est unius hujusce propositionis probatio, quàm plurium illorum quæ à Philosophis proponi solent; & memoriæ meliùs consulitur; quæ unius sententiæ quotidianâ recordatione non gravabitur, & (quòd longè maximum est) ex ipsa Natura Communis Boni cui studere dirigimur in hac propositione, prudentis judicio datur regula vel mensura certa cujus ope actibus suis & affectibus certum statuat modum in quo virtus consistit. Hoc sanè opus prudentis judicio demandavit Aristoteles in Virtutis definitione, verùm judicii ab eo ferendi normam non indicavit. Nostra propositio normam sumendam esse docet à naturâ finis optimi maximíque, habito scilicet respectu ad omnes partes totius Systematis Rationalium, seu Civitatis illius cujus Caput est Deus, membra omnes Deo subditi. Hinc enim dirigemur ad tales actus Pietatis erga Deum, qui probè consistunt cum pace & commerciis inter omnes Gentes conservandis, cum constitutione Regiminis Civilis & obsequi o illi præstando, nec non cum cura privatæ fœlicitatis singulorum; paritérq; dirigemur ad tales diffusissimæ humanitatis actus qui exactè

subordi-

subordinentur veræ Pietati: & universaliter, affectus actusque nostri singuli eam habebunt ad summam virium nostrarum eamque inter se proportionem ; quam habet bonum illud cui procurando illorum quilibet inservit ; ad Bonum Commune maximum , quod totus vitæ nostræ decursus possit efficere. Hinc certò cavebitur ne circa res levioris momenti diligentes, nec remissi simus circa graviora, neve in publicis commodis ignavi, in privatis fervidi simus, sed à rerum efficiendarum dignitate effectuum nostrorum mensura determinabitur.

Ab hoc deniq; fonte derivandus est ille ordo inter Leges Naturæ speciales secundùm quem prior posteriorem quodammodo limitat, quem prudenter admodum & solidè observavit Doctissimus Sharrockius Legum Doctor in Libro *de Officiis*, capite præsertim 10. ut *prior habeatur ratio abstinendi ab invasione alieni; quàm standi promissis; fidei licitè data potior sit ratio; quàm vices rependendi, &c:* Horum autē ratio ab hoc nostro principio petenda est; quoniam ad Bonum Commune magis conducit ut primaria Lex Naturæ specialis de dominiorum divisione facienda servandaque non violetur per invasionem alieni, quàm ut promisso tali quispiam staret, quod fieri nequit sine invasione alieni: & par est ratio in cæterarum legum comparatione, quas secundùm ordinem dignitatis suæ recensui in sequentibus. Qui plura hac de re velit, legat Auctorem jam citatum; mihi sufficit rationem Ordinis inter Leges Naturales è nostro principio deduxisse. Nisi fortè hoc addendum esse videatur, Nemini id mirum videri debere quòd nullum uspiam jus, nullamque virtutem planè explicari posse diximus sine respectu ad statum omnium Rationalium seu totius Mundi intellectualis. Quippe videmus in Physiologia, accidentia corporum quotidiè sensibus obvia, qualia sunt Motûs communicatio, Gravitatio, lucis & caloris actio, firmitas & fluiditas, rarefactio & condensatio planè explicari non posse,

 sine

ſine reſpectu ad Totum ſyſtema Mundi corporei, motumq; in eo conſervandum. Quin etiam in Geometria manifeſtum eſt nullius motus aliis implicati, eisque continuâ ſerie ſubordinati effectum ullum accuratè inveſtigari poſſe, niſi ii omnes & ſecundùm ſuum ordinem quo alii ab aliis pendent ad calculum revocentur, & inter ſeſe conferantur. Denique ex hoc ordine inter Leges Naturæ quo ſpeciales omnes Generali ſubordinantur & illarum poſteriores prioribus, commodiſſimè oſtendi poſſe videtur de illarum nullâ unquam à Deo diſpenſatum eſſe, ſed in iis caſibus in quibus poſterioris obligatio tolli videatur, materiam ita mutari, ut priori tantùm Legi obſervandæ locus ſit. Sic patet non diſpenſari de Lege Dominiorum diviſionem ſtabiliente, & alieni invaſionem prohibente, ſi Deus licitum faciat Iſraelitis Cananæorum in ipſum delinquentium terram invadere. Quippe eadem illa Lex decernit neceſſe eſſe ad Bonum Commune ut Deo inprimis tribuatur dominiũ illud eminens in omnes & omnia, cujus vi ipſe (quoties ad ſummum finem id conducere videbitur) auferre poteſt dominium cujusvis creaturæ in ſuam vitam; ac bona & illud in alteram transferre per idonea voluntatis ſuæ ſigna; quod in Caſu propoſito factum fuiſſe legimus; unde Iſraelitæ ſua ſibi vendicabant, non aliena invadendi poteſtatem accipiebant. Pariter etiam non diſpenſatur de Lege, quæ propter Bonum commune vetat innocentibus nocere, ſi quando jubeatur innocens (cùm ad hunc finem neceſſarium eſt) periculum noxæ, ipſamve mortem ſubire: Deo præſertim voluntatem ſuam hac in re ſatis apertè indicante. Hinc enim & Deo omnium Regi ſuus defertur honos; & aptiſſimè, quia ſecundùm ipſius judicium ſummo fini conſulitur. Adeoque unius incolumitas non eſt hoc in caſu vel pars vel cauſa Boni Communis, ſed è contrà ejus noxa ponitur eſſe medium ad illud neceſſarium. Hæc autem inde elucеſcent magis ſi conſideremus veritatem generalis hujus propoſitionis,

nis, *Causa conservans quoad potest totum, conservat quoad potest omnes,* non mutari in casu quovis particulari, etsi aliquando contingat ut manus sana in defensione capitis periculo exposita ab externa vi abscindatur. Ostendimus enim antea obligationem perpetuam harum Legum fundari in veritate propositionis practicæ, quæ in hac fundatur, & ideo pariter est nullo in casu mutabilis.

§. XXV. De Consectariis quæ in sequenti Tractatu deduximus nihil hîc dicam; quoniam non occurrit animo meo quicquam quo ea vel breviùs, vel magis perspicuè tradam. Dicam tamen me non omnia indicasse utilia, quæ è nostris sponte manant principiis, nec possum sanè ea omnia enumerare. Quippe in his continentur generalissimæ æquitatis regulæ, quæ novis circumstantiis indies exorientibus applicari possunt tum à Magistratibus tum à privatis. Ex iis Magistratus intelligant quænam Leges Civiles æquæ sunt, adeoq; dignæ quæ retineantur, quænam opus habent correctione ab æquitate: percipiant etiam exinde quænam conditiones fœderum, quæque causæ bellorum cum exteris æquæ sint, quænam iniquæ. Hinc etiam privati discent & perpetuam Legibus Divinis ac Civilibus, quæ indè auctoritatem derivant præstare obedientiam, & in casibus per has Leges eorum libertati permissis, qui indies occurrunt innumeri, ad optimum finem semper respiciendum dirigentur, & ab omnibus illicitis mediis suam fœlicitatem quærendi arcebuntur. Utrique autem percipient se ad majores in virtute profectus indies faciendos obligari; idque eâ ratione, quâ ipsorum peritia & vires bono publico inserviendi ex usu fiunt majores, & quâ publica fœlicitas capax est alicujus incrementi.

§. XXVI. Civitatum genesin è duabus Legibus Naturæ, quæ hunc in finem simul considerandæ sunt deduximus; nempe (1) ex illa quæ distincta constituere jubet dominia in res & personarum operas, sicubi nondum talia constituta reperiantur; at ubi reperiuntur eadem inviolata conser-

conservare, uti medium ad Bonum commune inprimis necessarium. (2) Verò ex illa quæ peculiarem parentum erga suos liberos benevolentiam imperat, illa enim sese exerere non potest quin parentes primi suis filiis jam adultis, & rem familiarem propriam concedant, è pleno quod per primam Legem haberent in omnia dominio, & paternam in posteros suos potestatem. Hinc facilè contingere potuit ut auctis familiis aliqui patresfamiliâs, aut dum viverent aut per testamenta jam moribundi, dominium suum dividerent inter plures filios, singulis dando absolutum in suam familiam, aut in multas imperium, unde plures nascerentur Monarchiæ: potuerunt etiam alii patresfamiliâs alicubi Aristocratiam, alibi Democratiam constituere. Inter omnia tamen hæc suma imperia maneret obligatio tum ad studium Boni Communis, tum etiam ad præcepta indè necessariò consequentia, de divisione faciendâ alienisque non invadendis beneficiis, de fide servandâ, de rependendis beneficiis, de limitata sese conservandi cura, de sobolis cura, & de humanitate erga omnes exercendâ, in quibus summa Juris Gentium consistit. Verùm hæc est tantùm possibilis & legitima Civitatum diversarum Generatio, quæque universales omnes Civitatum proprietates exhibet, nec alias hypotheses quærit vera Philosophia. Quæstio de actuali earum genesi tota est de re facta, ab agentibus liberis, ideoque non est è principiis rationis demonstrabilis. E solis testimoniis hîc petenda est prolatio. Facta autem intra viventium memoriam, vivâ voce testium probentur; at antiquiora ratio hominibus naturalis non aliter posteris tradere potest, quàm vel per traditionem oralem (qualis nulla fide digna hac de re reperitur;) vel per scripta ad memoriam rerum gestarum consultò inventa: Talia sunt in Civitatum archivis asservata monimenta, & historiæ.

Cùm itaque constet Civitatum, quas novimus omnium originem antiquiorem esse, quàm quæ è viventium memoria probari possit, restat ut de earum constitutione & statu

judice-

judicemus è cujusque Civitatis Legibus antiquis & aliis monimentis publicè asservatis & approbatis: aut si altiùs libeat inquirere, ad historias antiquissimas & fide dignissimas recurrendum est. Inter has autem nullam reperimus, quæ paris antiquitatis aut fidei sit cum Mosaica, quæ infra Deum nullam agnoscit antiquiorem Potestatem in Res aut Personas, quàm sit illa Patrumfamiliâs in conjuges & prolem, filiorumq; post illos primogenitorum. Nusquam illic legimus Adamo & Evæ jus fuisse in omnia, unde liceret ipsis (si hoc ad suam conservationem facere falsò judicâssent) bellum cum DEO & inter se adhuc innocentes gerere, victúmque adeò & vitam sibi mutuò eripere. Sed è contrariò ea omnia quæ ad Commune Bonum nascentis adhuc Civitatis DEI requiruntur, agnita fuisse subindicatur. Nam divisionem dominiorum (qualem quidem nos necessariam esse diximus) indè necesse est ut agnoscamus, quoniam Divinum ibi exercetur Dominium in Legibus ferendis, & humanum dominium è donatione Divina ibi derivatur. Quin etiam inviolatâ hâc donatione non potuit protoplastarum alter alteri victum ad vitam necessarium eripere, multò minùs ipsam vitam. Immò tantùm abfuerunt ab exercenda inimicitia, ut è primo aspectu ortam legimus amicitiam; quæ sine fide & gratitudine, sui amorem limitantibus esse nequit; & mox sequatur sobolis quærendæ, adeoque etiam conservandæ cura. Positâ autem singulari hâc amicâque necessitudine inter conjuges, & peculiari erga prolem futuram στοργῇ, quoniam aliæ nullæ secundùm hanc historiam esse possent partes humani generis præter conjuges & liberos à primis parentibus spectandæ, manifestum est humanitatem erga omnes in his contineri ut minus in majore. Ex his autem manifestum est Philosophiam nostram cum historia divina planè consentire.

§. XXVII. Verùm in sequente Tractatu consultum duximus intra Philosophiæ fines nos totos continere; ac pro

inde omnino abſtinuimus à quæſtionibus Theologicis, de jure Dominii divini in re prædeſtinationis, aut ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ; nec conſideravimus quantum detrimenti facultates hominum qui nunc ſunt, paſſæ ſint è peccatis protoplaſtarum, de quibus è Scripturæ teſtimoniis judicium ferendum eſt; ſed Legem Naturalem è ſola cujus nunc conſcii ſumus ratione & experientiâ conati ſumus probare. Certi interim ſumus nihil unquam veris rationis noſtræ dictatis contradictorium à Deo unquam revelari poſſe. Immò ſacras Scripturas ideo credimus à Deo ſeu Naturæ Auctore proficiſci, quoniam Leges Naturales ubique illuſtrant, muniunt, promoventque.

Huic autem conſilio abſtinendi à Theologicis controverſiis conſonum eſt, quòd noluimus cum ipſo Hobbio circa Scripturæ ſenſa litigare. Addo tamen hoc ideo præcipuè fruſtraneum eſſe viſum, quoniam credere non poſſum illum earum auctoritate animitùs moveri, quippe quam à voluntate ſingularum Civitatum totam derivari ſtatuit, adeoque earum arbitrio eſſe mutabilem; hîc validam, alibi nullam eſſe docuit.

§. XXVIII. De æternitate Legum Naturæ fere nihil diximus: eidem tamen ſummâ quâ potui diligentiâ ubiq; proſpeximus, dum harum propoſitionum immutabilem veritatem è naturali nexu inter earum terminos conamur demonſtrare. Æternitas ſcilicet è neceſſaria illarum veritate unicè innoteſcit. Dubium enim non eſt quin propoſitiones neceſſariæ veritatis quandocunque cogitari potuerint, veræ fuerint; nec minùs manifeſtum talium veritatem ab æterno Divinæ menti cognitam fuiſſe. Hujuſmodi æternitatem mathematicis propoſitionibus etiam recens inventis ſeu notis inter homines nemo (quantum ſcio) denegat. Illud itaque unicum in hunc finem inculcandum eſſe cenſemus, non minùs neceſſarium eſſe nexum inter actus humanos (utcunque liberos) poſtquam exerantur, & ſuos effectus.

ctus, quàm inter actus motusve merorum corporum & effectus indè demonstratos. Tres scilicet rectæ libere ductæ ab homine juxta præscriptum elementi primi Euclidis non minùs necessariò triangulum constituunt, quàm si eædem à causis planè necessariis ducerentur. Nec dissimili ratione Amor erga Deum hominesque universos, etsi liberrime eliciatur, postquam tamen elicitur necessariò unumquemque (quantum in ipso est) beatissimum facit, uti latius explicavimus. Nec minùs manifestum est consensum de dividendis rebus & operis hominum, aut de facta divisione conservanda per innocentiam, fidem, gratitudinem, curam limitatam nostrum ipsorum, prolisque, latamque erga omnes humanitatem esse partes universalis illius Amoris, suaque adeò proportione ad fœlicitatem tum omnium, tum singulorum, illius inprimis cui insunt, quàm quòd quadrantes aliive minores arcus vel sectores sunt partes circuli. Ideoque harum atque illarum coæva est æternitas.

§. XXIX. Hactenus de re tractata præfari visum est; de modo illam tractandi paucula tantùm adjiciam. Multa sunt in stylo nostro quæ candore tuo (Amice Lector) egent, eundemque efflagitant. De re admodum solliciti fuimus, de verbis nimis incuriosi. Scripsimus hæc raptim & per intervalla, qualia quidem nobis permitterent sæpiuscule vacillans corporis valetudo, & sacræ functionis curæ gravissimæ. Illustravimus rem nostram comparationibus subinde à Mathesi desumptis; quippe alias ferè omnes disciplinas rejiciunt illi contra quos disputamus. Præterea verò visum est operæ pretium ostendere Pietatis & Moralis Philosophiæ fundamenta à Mathesi & Physiologiâ, quæ illi innititur non convelli (uti nonnulli mussitant) sed confirmari; adeòque Physiologos illos, qui Mechanices armis præcepta Morum evertere conantur, suis armis oppugnari posse & debellari. Ab hypothesi qualibet Physica de mundi systemate consultò

consultò abstinui, cùm propter alias rationes, tum ob hanc præcipuè, quoniam, salvo fine nostro, liceat Lectori quamcunque libuerit sumere hypothesin, modò talis sit quæ ex ordine inter Causas phænomenorum naturales nos deducat ad Primam. Respexi tamen aliquando ad hypothesin Mechanicam, cujus specimen nobis dedit ingeniosissimus Cartesius, (aliæ tamen hypotheses juxta Mechanicæ leges excogitari possunt & debent, si id postulent phænomena) quoniam viâ brevissimâ ad primum nos deducit Motorem, & ab adversariis plerisque admittitur.

Rogatum insuper hoc velim, ut Lector non prius judicium ferat admodum rigidum de hoc opere, quàm illud totum perlegerit, ejusq; partes inter se omnes contulerit, quippe certum est, quòd si quid sit aut roboris aut formæ in hoc ingenii nostri fœtu, illud è firmo partium omnium inter se nexu, aptâq; singularum proportione tam ad proprium, quā ad communem finem consurgit. Nusquam in ejus facie conspicies floridos Rhetorum colores, nec in eo videbis nitentes ac ludibundos oculos volatilis ingenii indices, sed ad Naturalis Philosophiæ studium, ad Morum gravitatem, & ad cultum severiorum Musarum totus est compositus, ac si illico natus fuisset senex.


§. XXX. Deniq; scribendi scopus præcipuus is erat ut publicis inservirem commodis, Virtutis & Societatis normam à Natura Rerum omnium animis humanis propositam apertè exhibendo. Non enim operæ pretium esse duxi totum librum ejusve partem majorem in refutandis Hobbii erroribus insumere, quanquam necessarium duxi illos diligenter refutare, qui tam multos adeò fœdè corruperint. Hunc itaque in finem satis est visum doctrinæ illius fundamenta tam in libro *de Cive*, quàm in *Leviathane* tradita funditus diruere, & apertè ostendere illa non solùm Religioni, sed & omni Civili Societati è diametro repugnare. His certè sublatis, corruunt omnia quæ iis superstruxit Hobbius


nefaria

nefaria dogmata. Quid autem reipsâ præstitum fuerit Lectoris tandem judicio permittimus. De refutatione quam dedi parùm sollicitus sum, nec Lectoris candorem imploro, censuram exerceat quantumlibet severam. In confirmatione autem sententiæ meæ, quoniam me scio non omnia distinctè intelligere quæ Rerum Natura aliquo modo suggerit ad mentes hominum instituendas in Virtute; nec potuisse opportunè in memoriam revocare ea omnia, quæ ipse distinctè aliquando consideravi, voluique hoc scripto exprimere; exorandus est Lector ut non nostra solùm perpendat verba, sed Naturam Dei Hominúmq; scrutetur, suumque diligenter excutiat pectus; hinc enim innumera indies observabit, quæ ad eundem scopum per virtutum tramites pleniùs dirigent. Porrò autem quoniam scio me de causis quæ Leges Naturæ animis nostris imprimunt, diversum sentire à viris aliquot doctissimis, hoc adjiciendum esse censui, æquum esse tamen ut amemus nos mutuò, atq; adeò impleamus illam Legem, quam utriq; agnoscimus Deum cordibus nostris inscripsisse. Ego certè hæc mea cogitata scripto nunquam commisissem, multò verò minùs publici juris fecissem, nisi amicorum aliquot Cantabrigiensium (quibuscum his de rebus sermones libentissimè miscere soleo) importunitas id mihi extorsisset. Inter hos autem primi, & præ aliis omnibus animum meum devicerunt viri optimi doctissimique Dr. Hezechias Burton, & Dr. Johannes Hollings, egregium amicorum par, quibuscum etiam ego arctissimam amicitiam, eamque fructuosam, & jucundam sanè per spatium viginti annorum lubentissimè colui. Horum judiciis tantum tribuo & amicitiæ tantum debeo, ut nefas esse censuerim illorum hortatibus diutiùs repugnare. Tu verò (amice Lector) conatibus his nostris aliorum bono utere, tuo fruere, &

Vale.

CAP.





DE

LEGIBUS NATURÆ DISQUISITIO PHILOSOPHICA, &c.

ET

Elementorum Philosophiæ *Hobbianæ* Refutatio.

CAP. I.

De Natura Rerum.



Uamquam Nonnulli, Sceptici scilicet, & Epicuræi, Leges Naturales existere negarunt olim, & etiamnum pernegant, convenit tamen inter nos atque illos quid hoc nomine significare velimus utrinq;. Enimvero utrobique intelligimus Propositiones quasdam immutabilis veritatis quæ Actiones voluntarias citra Bonorum Electionem, malorúmque Fugam dirigunt, ac Obligationem ad actus externos inducunt: etiam citra Leges Civiles, & sepositâ consideratione pactorum Regimen constituentium. Hujusmodi aliquot veritates à rerum, hominumque Natura mentibus humanis necessariò suggeri, ab iis percipi, & Memoriâ (dum valent) retineri, adeoque ibidem existere; hoc est quod à nobis affirma-

tur, hoc idem à dictis adversariis non minùs disertè denegatur.

Quocirca ut harum Propositionum essentia, ac Formà meliùs innotescat, necesse est ut primò Rerum universim, deinde Hominum, denique Boni naturam, quatenus ad hanc Quæstionem spectant, inspiciamus: Poststea verò ut ostendamus quales Propositiones Praxin Humanam dirigant ac Legum vim, seu obligationem naturaliter secum ferant, utpote indicantes praxin ad finem necessariò quæsitum necessarium. Tandem earum existentia ex Causarum illas generantium existentia, ac determinato influxu satìs evincetur.

§. II. Nec mirum cuiquam videri debet, quòd primò Rerum hujus universi Naturam respiciendam dixerim; quippe haud aliter Hominum amplissimæ Facultates rerum plurimarum indigæ, & ab omnibus ad operandum excitatæ intelligi possunt. Ecquis enim intelligere valeat quid Humanæ menti aut corpori maximè conveniat, quidve iisdem noceat, nisi consideret omnes (quoad possit) Causas tam remotas, quàm proximas quæ Hominem constituerunt ac jam conservant, quæque eundem in posterum tueri, aut corrumpere possunt? Immò nec satìs intelligitur quid optimum sit quod in dato Casu quispiam facere possit, nisi effecta tam remota quàm proxima, quæ ab ipso in omni Circumstantiarum varietate proveniant, prospiciantur, & inter se comparentur.

Cogitatio autem tam Causarum à quibus Homines pendent, quàm Effectorum quæ ab eorum viribus aliquantisper concurrentibus produci possint, mentem cujusque necessariò perducet tum ad considerandos alios Homines ubicunque sparsos, seipsum autem velut exiguam Humani generis partem, tum etiam ad perpendendam totam hanc rerum Compagem, primùmque ejus Conditorem Regémque Deum. His tandem pro virili expensis,

genera-

generalia quædam Dictamina proferre poterit animus noster, quibus pronunciet quales Actus Humani ad Commune Bonum Entium, præsertim Rationalium, (quo propria Fœlicitas cujusque continetur) maximè conducant. In hujusmodi autem Dictaminibus, si modò vera fuerint & necessaria, Legem Naturæ contineri postea videbimus.

§. III. Nihilominus instituti nostri Ratio non postulat, ut rerum omnium Genera quæ sint ostendamus: Gratulamur potiùs fœliciori doctioris hujusce sæculi Genio, quòd Mundi pars Intellectualis plurimùm illustrata fuerit clarioribus Demonstrationibus, de Dei Existentia, & Animarum Immortalitate quas indies crescens naturæ Inferioris Cognitio suggessit luculentiores. Gratulamur etiam tam nobis, quàm posteris quòd nunc tandem ejusdem Universi pars Corporea meliore Physiologiâ (Matheseos Principiis innitente) cœperit explicari. Grande profectò est opus mundum hunc Aspectabilem in simplicissima principia, materiam scilicet variè figuratam, motúmque diversimodè implicatum resolvere; & post investigatas Geometrico calculo figurarum, motuúmque implicatorum Proprietates, è Phænomenis ritè observatis, totius Naturæ Corporeæ Historiam cum Legibus motûs, & Figurarum accuratè consentientem exhibere. Verum est, illud opus non unius tantùm Hominis, sed & unius sæculi viribus impar. Dignum tamen illud conjunctâ operâ, & perenni Industriâ illustrissimorum Ingeniorum è Regali Societate: Dignum serenissimo Rege Carolo illius Fundatore, Patrono & Exemplari. Tutò itaque manibus tam peritis, ac fidelibus rem tantam committamus. Sufficiet nobis in Opusculi hujus initio Lectorem monuisse, totam Moralis Philosophiæ, Legúmque Naturalium Doctrinam in observationes Naturales omnium Experientiâ notas, aut in Conclusiones à vera Physiologia agnitas, & stabilitas ultimò resolvi.

Physiologiam autem tam lato hîc sumo sensu, ut ea non tantùm omnia quæ experimur, corporum Naturalium Phænomena complectatur, sed & prætetea Animorum nostrorum Naturam ex observatis eorum Actibus, perfectionibúsque propriis investiget; tandémque ex ordine Causarum Naturalium ad Primi Motoris notitiam homines deducat, dúmque Effectuum omnium necessariorum Causam esse agnoscat. Enimverò Natura tam creata, quàm Creatoris notiones illas omnes, adeoque materiam è qua Leges Naturales conflantur, ut propositionum practicarum veritatem suggerit; Creatoris autem agnitio iisdem plenam insuper præstat authoritatem. Atque hæc quidem hoc loco paulo uberiùs veniunt illustranda.

§. IV. Quamquam autem Innumera sint quæ è cognitione Universi desumi possint in materiam particularium Dictaminum ad mores formandos dirigentium, visum est tamen pauca tantùm, eáque Generalissima seligere, quæ generalem, quam initio proposui, Legum Naturæ Descriptionem aliquatenus explicent, & in unico Dictamine, omnium Legum Naturalium parente, paulo apertiùs continentur. Illud autem ita se habet; *Benevolentia maxima singulorum agentium Rationalium erga omnes statum constituit singulorum, omniúmque Benevolorum, quantum fieri ab ipsis potest, fœlicissimum; & ad statum eorum, quem possunt assequi, fœlicissimum necessariò requiritur; ac proinde, Commune bonum erit suprema lex.* Sensus hujus propositionis (1) Rectè explicandus est. (2) Ostendendum est, quomodo ea è rerum Natura discatur; tandem ex iis quæ in sequente Libello continentur eam vim habere Legis, immò & omnia Naturæ præcepta indè profluere liquidò uti spero constabit. Sciant itaque Lectores, me nusquam Benevolentiæ nomine intelligere languidam illam & emortuam eorum volitionem, quæ nihil efficiat eorum quæ dicuntur velle,

sed

ſed illam ſolùm cujus vi quamprimùm & quantum poſſumus exequimur quæ animitùs volumus. Liceat interim hoc nomine complecti affectum etiam illum, quo ſuperioribus grata volumus, qui Pietatis in Deum, Patriam, Parentes, nomine ſpeciatim inſignitur. Atque ideò hoc verbo uti placuit potiùs quàm [Amor] quoniam vi ſuæ compoſitionis actum voluntatis noſtræ cum objecto ſuo generaliſſimo conjunctum innuit, & in malum ſenſum non uſurpatur, quod Amori contigit. Maximam autem Benevolentiam hîc ſumpſimus, ut idonea Cauſa ſummæ Fœlicitatis poneretur. Alibi indicabimus quomodo ſcrupuli qui indè oriuntur, facilè eximantur. Verbo [omnes]. Totum illud innuo quod conſtituitur è ſingulis ſimul conſideratis, in ordine ad unum finem quem ſtatus fœliciſſimi nomine ibidem indigitamus. Deum autem hominéſque Rationalium nomine complecti liceat; ídque Cicerone præeunte, feci, quem in uſu verbi Latini tutò mihi videor ducem ſequi. Is enim 1. *de Legibus*, Rationem Deo, Hominibúsque communem agnoſcit, & ſapientiam (quam omnes Deo tribuunt) nihil aliud eſſe docuit præter rationem adultam. Uſus ſum verbo [conſtituit] ut innuerem Benevolentiam illam & cauſam eſſe intrinſecam præſentis, & efficientem futuræ fœlicitatis, & utriusque reſpectu neceſſariò requiſitam. Addidi autem [quantum ab ipſis fieri poteſt] ut innuerem rerum Externarum adjumenta in noſtra ſæpè non eſſe poteſtate, quamquam illa ad vitæ animalis Fœlicitatem requirantur; & à Legibus Naturæ moraliſque Philoſophiæ non alia expectanda eſſe vitæ Beatæ auxilia, quàm præcepta circa actiones, & ea actionum objecta quæ in noſtra ſunt poteſtate. Et quamquam contingat, ut diverſi Homines pro diverſis animorum, & corporum viribus, imò ut iidem in diverſis Circumſtantiis poſiti, nunc plùs nunc minùs poſſint ad commune bonum: Lex tamen Naturalis ſatis obſervatur, & Finis ejus obtinetur, ſi quantum quiſque in datis Circum-

ſtantiis valeat, præſtetur. Verùm latior hujus ſententiæ explicatio in ſequentibus occurret.

§. V. Illud nunc agendum eſt, ut oſtendatur, & quo pacto notiones in illa contentæ in animos hominum neceſſariò penetrent, & cùm ibi exiſtunt neceſſariò inter ſe cohereant, hoc eſt veram faciant propoſitionem, quam poſtea practicam eſſe, legiſque vim habere docebimus. Quandoquidem igitur omnium experientiâ notiſſimum eſt, duobus modis notiones ſeu Cogitationes, quæ Apprehenſiones ſimplices à Logicis dicuntur, in animo Hominis excitari; (1) Scilicet per immediatam præſentiam, & operationem objecti in mentem; quo modo ſuarum Actionum nec non motuum Imaginationis, ſeu phantaſmatum ſibi obverſantium mens eſt conſcia; & ex analogia ad hæc de mentibus aliorum Rationalium Dei, Hominûmque judicamus. (2) Mediante ſenſuum externorum, nervorum, membranarúmque miniſterio, quo pacto alios Homines, reliquáſque Mundi hujus aſpectabilis partes percipimus; ſtatim patet Propoſitionis quam exhibui Terminos partim per internam, partim per externam ſenſationem innoteſcere. Enimverò Benevolentia quid ſit, & quinam ſint ejus gradus, adeoque quæ ſit cujuſque Benevolentia maxime non aliter quiſpiam intelligit, quàm in ſeſe animum reflectendo; nec opus eſt aliis auxiliis, quippe ea eſt mentis conditio, ut actus, affectúſque ſuos utpote intimè ſibi conjunctos non poſſit non perſentiſcere. Agnoſcimus interim quòd ſenſuum externorum beneficio debemus Bonorum extra nos cognitionem, quæ inter omnes Benevolentia diſtribuit, de quibus poſtea. Eodem planè modo Rationis naturam ex interno ejus ſenſu cognoſcimus, adeoque quæ ſint agentia rationalia, quorum mentio fit in ſubjecto Propoſitionis; quòd autem alii ſint præter noſmetipſos qui Ratione utantur, ex indiciis per ſenſus externos obſervatis colligimus. Cauſas autem rem quamlibet, ſive intrinſecè ſive per

modum

modum Efficientis constituentes, plerumque externorum sensuum ministerio, ac Ratiocinatione in eorum phænomenis fundatâ assequimur. Mentis autem nostræ naturam intrinsecam, ac vim Effectricem quâ motus corporum nostrorum voluntarios ad Boni apparentis prosecutionem determinat, ipsa partim aciem suam in se convertendo, partim sensuum ope, observando effecta voluntatis nostræ nutum consequentia percipit. Denique statum Hominum ejúsque Fœlicitatem iisdem modis intelligimus, quibus innuimus eorum Naturam, & Bona cognosci. Quippe status rerum naturis nihil adjicit præter notionem aliqualis durationis, aut permanentiæ. Fœlíxque dicitur è bonorum plurimorum maximorúmque confluxu.

§. VI. Quod attinet ad nexum terminorum hujus Propositionis in quo necessaria ejus veritas consistit, is mihi videtur admodum evidens. Idem enim significat ac si diceretur. Ea volitio, seu prosecutio Bonorum omnium in nostra potestate sitorum, quæ maximè efficax est ad nostrûm aliorumque Rationalium fruitionem, maximum est quod Homines efficere possunt, ut ipsi, aliique iis fœlicissimè perfruantur. Seu nulla vis in hominibus major est, quâ sibi, aliisque omnium Bonorum complexionem comparent, quàm voluntas suam cujusque Fœlicitatem, simul cùm Fœlicitate aliorum prosequendi: In quibus verbis illud primò patet, nullam esse in hominibus majorem vim quicquam efficiendi quàm sit voluntas ad ultimum virium suarum determinata. Deinde & illud liquidò constat, Fœlicitatem singulorum *v. g.* Socratis & Platonis & cæterorum individuorum (de qua prædicatum loquitur) sigillatim non posse separari à Fœlicitate omnium (cujus Causa in subjecto continetur) quippe Totum à partibus simul sumptis non differt. Intelligenda autem est hæc Propositio Universalis de omnium Benevolentia pronuncians, hactenus cum legibus convenire,

quòd indicet, non quid unus quispiam aut pauci faciant ad suam sejunctam ab aliorum cura fœlicitatem, sed quid & omnes simul facere possunt ut sint beati, & quid singuli absque ulla inter se repugnantia (quippe quæ cum ratione, cujus omnes participes sunt, non consistit) faciant, ut communem omnium fœlicitatem assequantur, in qua maxima singulis Possibilis continetur, & efficacissimè promovetur. Priùs & pleniùs notum est in genere, utpote è communibus & essentialibus Humanæ naturæ attributis fluens, quid omnes facere possint, aut non possint ad communem finem conducens, quàm quid singulari alicui in determinatis Circumstantiis possibile est; hæ enim infinitæ sunt, & ideò nemini cognoscibiles. Ut productis pluribus in Campum exercitibus, notiùs est non posse omnes pugnando vincere, quàm quis Exercitus vincet.

Tertiò denique singularis cujuspiam, aut paucorum fœlicitatis cura exuitur de præsenti, & nulla probabili ratione sperari potest inposterum, dum quæritur per oppugnatam, aut posthabitam aliorum omnium rationalium beatitudinem. Quippe & animo ita affecto pars quædam essentialis suæ Perfectionis deest; nempe pax interna ex uniformi sapientia secum semper consentiente. Repugnat enim sibi quum aliter circa se agendum esse statuit, aliter circa alios ejusdem naturæ participes. Deest etiam magna illa Lætitia quæ in animo benevolo ex alienæ Fœlicitatis sensu nascitur: nè quid nunc dicam de Invidia, Superbia cæterisque omnibus vitiis quorum Legiones omnes malevolum obsident, & necessariò miserum constituunt, utpote pessimis animi morbis laborantem.

Præterea verò non est, cur quis meritò speret se fœlicem fore, siquidem Causas externas cæteras Rationales (Deum nempe & Homines à quorum auxilio spes illa necessariò dependet) negligit, immò in suam perniciem lacessit.

Non

Non alia ergo est via quæ quemlibet ad suam ducat Fœlicitatem, quàm quæ omnes ducat ad communem. Sufficiat hæc hoc loco breviter indicâsse, quod eo tantùm consilio feci, ut ostendam ex hujusmodi observatis, vulgari Experientiâ notissimis, veritatem prædictæ propositionis admodum luculenter constare. Hæc autem latiùs postea deducemus.

§. VII. Agnosco interim hanc propositionem non priùs efficacem esse posse ad cujusvis mores formandos, quàm ille Effectum, de quo hîc pronunciatur, nempe Fœlicitatem suam cum aliorum fœlicitate conjunctam in finem sibi proposuerit, & varios, quos Benevolentia in se continet, actus pro mediis sumpserit. Veritas tamen illius necessaria priùs innotescere potest, & earum omnium Propositionum quæ exinde justâ consequentiâ deduci possunt, quales sunt illæ minùs generales, quæ pronunciant de vi fidei, gratitudinis, στοργῆς, & cæterarum virtutum particularium, ad partem aliquam humanæ fœlicitatis obtinendam. Tota enim tam generalis illius propositionis, quàm earum quæ inde sequuntur veritas dependet à naturali, & necessaria vi talium actuum, velut causarum, ad tales effectus producendos. Abstrahunt autem ab existentia ejusmodi actuum, quæ quidem à liberis pendet causis. Interim sufficit ad eandem veritatem, quòd quandocunque tales causæ existent, effectus ejusmodi indè enascentur. In confesso res est in solutione omnigenorum problematum Mathematicorum; De qua tamen quin vera detur scientia, nemo dubitat. Nôrunt omnes actus ducendi Lineas, eásque inter se conferendi in calculatione Geometrica à libero Hominum arbitrio produci. Liberè addimus, subtrahimus, &c. interim necessariò quisquis secundum Regulas operatur, verùm reperit Summam, quæ æquatur partibus inter se additis. Similia de Differentia, Facto, Ortu, Radice dicantur: & generatim in omni quæstione cujus solutio possibilis est è

datis, necessariò ex his operationibus ritè peractis quæsitum invenitur. Certus est nexus inter Effectum desideratum, ejusque Causas ab hac scientia indicatas. Ad hoc Exemplar conformandæ sunt aliæ disciplinæ practicæ, ídque in principiis morum emendandorum tradendis, conati sumus assequi; reducendo ad unum generale nomen [Benevolentia] actus Voluntarios à morali Philosophia dirigendos: ejus species quærendo, nexum denique ostendendo hujus actus cum effectu expetito.

§. VIII. Quum autem voluntarii tantùm actus à ratione humana regi possint; iique tantum qui ad entia intelligentia spectant, in moribus considerentur; & objectum voluntatis sit Bonum (nam malum ex boni privatione æstimatur) patet nullum actuum hujusmodi conceptum magis generalem formari posse, quàm qui Benevolentiæ nomine indigitatur: siquidem bonorum omnigenorum volitionem, adeoque malorum omnium amolitionem illa complectitur. Præterea verò vis Benevolentiæ se extendit ad omnes actus tum considerandi & conferendi inter se bona, ac disquirendi de mediis in quibus Intellectus nostri viribus liberè utimur, tum etiam facultatum corporearum quas Imperio voluntatis ad bona procuranda determinamus. Universaliter autem verum est, quòd non certiùs fluxus puncti Lineam producit, aut additio numerorum summam, quàm quòd Benevolentia Effectum (personæ cui bene volumus) præstat bonum, potentiæ agentis in dato casu & affectûs gradui proportionatum. Pariter etiam certum est fidei datæ observationem, gratitudinem, στοργὴν *&c.* esse partes efficacissimæ erga omnes benevolentiæ, aut ejus modos certis casibus accommodatos; eásque certissimè bonum suum effectum producere; eodem modo quo certum est Additionem, Subductionem, Multiplicationem, & Divisionem esse Calculationis partes seu modos; ac rectam, Circulum, Parabolam, cæterásque curvas varios Effectus exprimere,

quos

quos motu puncti Geometria producat. Eâdem igitur methodo qua generalia Mathesios Theoremata Problematum constructioni deservientia liberantur ab incertitudine præsagiorum, quæ fiunt de actibus contingenter futuris, abstrahendo nempe ab affirmationibus de Futura existentia talium constructionum, & demonstrando proprietates & effecta indè secutura (si quando fiant) visum est primò principia quædam clara de Effectis propriis, partibus, variísque respectibus amoris universalis tradere, nihil interim pronunciando de ejus existentia; certus intereà eò quòd possibilis sit, multa inde deduci posse quæ in praxi morali nos dirigant, quod Theoremata præstant in possibili constructione Problematum. Fatemur interim, quòd dum prudentissimè nonnulla conamur quæ aliorum concursum postulant, fieri posse ut pro voto res non succedat, salvâ tamen regularum veritate. Invenitur enim tentando effectum illud in nostra non fuisse potestate, vel, ut loquuntur Mathematici, Problema propositum è datis non posse solvi, seu penitus determinari; quo invento ut acquiescunt illi, ita meritissimè prudentes animi tranquillitate perfruantur. Verùm præteritorum Experientia, & virium nostrarum observatio brevì efficiet, ut possimus in plerisque casibus judicare, an Effectus quilibet in datis Circumstantiis nobis sit possibilis, necne; ídque plerumque sine experiundi molestia. Atque hoc equidem ut fiat, ratio postulat, quoniam stultitiæ crimen vix evitare poterit, qui magno conatu finem prosequitur, quem non novit vires suas unà cum auxiliis meritò expectatis assequi posse, aut saltem opus est ut certò constet spem probabilem finem suum obtinendi pluris valere, quàm Effectus ullus quem eodem tempore conatu suo certò possit producere. Ostendimus enim in sequentibus propositiones quasdam immutabilis veritatis fieri posse de valore bonorum contingentium.

§. IX. Quin etiam rerum Natura priùs in ordine di-

stinctæ

ſtinctæ cognitionis docet, quis optimus eſt Effectus in noſtra poteſtate, quàm quis Finis eſt ſummus quem præ cæteris reſpicere oporteat. Reſponſum enim ad priorem Quæſtionem è terminis conſiſtit ſimplicioribus, adeoque magìs certò ſignificantibus. Reſponſum ad poſteriorem, ſicut id omne complecti debet quod in priore continetur, ita inſuper denotat agentem rationalem ſecum ſtatuiſſe Effectum illum uſu mediorum producere. Quoniam autem ex eo quòd Effectus aliquam multi in commune Bonum ceſſuri in noſtra ſunt poteſtate, iidémque ad aſſecutionem Fœlicitatis noſtræ à voluntate Primæ Cauſæ facti ſunt neceſſarii, oritur tum obligatio ad intentionem eos producendi, tum & ipſa actualis illa intentio quandocunque in Hominibus reperitur: neceſſe eſt, ut in obſervatis evidentiſſimis de viribus humanis, quarum uſu determinato ſe invicem beare poſſint, immò certiſſimè beabunt, Fundamenta Legum Naturalium jaciamus. Harum autem ſumma, [Benevolentia,] aut [Amor univerſalis] dicitur. Obſervavi itaque Mathematicos de fine quem doctrina ab illis tradita reſpicit, in principiis Scientiæ ſuæ tradendis nihil dicere: Quamquam eorum præcipui finem longè nobiliſſimum diligentiſſimè proſequuntur. Propoſitum enim eſt illis omnigenorum corporum & motuum rationes inveſtigare, undè & omnia quæ mirari ſolemus naturæ Phænomena, & utiliſſimi in vita hominum communi Effectus exoriuntur. Contenta interim eſt Matheſis Univerſalis (qualem illam in Geometria ſua Carteſius, ejuſque Commentatores tradiderunt) id tantùm in principio ad ſuorum Theorematum veritatem ſtabiliendam breviter ſuggerere, omnigenas rationes Rectarum ope quas ducere poſſumus, exhiberi poſſe, ignotáſque è quibuſdam faciliùs notis calculatione Geometricâ non admodum difficulter inveſtigari. Specialiter autem monet ad Lineas quæ quæruntur præparandas ut cognitæ fiant, nihil aliud faciendum eſſe quàm ut inter ſe quædam addantur,

tur, subtrahantur, multiplicentur, aut dividantur, ac radicum extractionem quâ præcipuè utendum est pro Divisionis specie quadam reputandam esse. Longâ parænesi ad accuratam rerum omnigenarum cognitionem ex earum rationibus inter se collatis investigandam non utitur, licèt is ejus Finis sit præcipuus; sed eam & per se expetendam esse, & ad vitæ usus optimos plurimùm facere posse supponit. Satis se officio suo functum fuisse autumat, si paucis indicaverit, quomodo hujusmodi operationes ad omnigenorum Problematum solutionem applicentur. Nec quicquam suæ veritatis, aut dignitatis imminutum iri existimat, si plerique hujusmodi monitis per imperitiam aut ignaviam uti noluerint, aut ea conentur impugnare. Pariter se res habet in disciplina morum quæ Legibus Naturæ continetur. Ea quippe tota versatur in æstimandis rationibus virium humanarum ad commune Bonum Entium Rationalium quicquam facientium, quæ quidem variant in omni casuum possibilium varietate; meritóque dici possit muneri suo satisfecisse, si initio summatim dixerit Benevolentiâ diffusissimâ eas omnes comprehendi: posteà vero ostendat sigillatim Rerum omnium divisionem, Fidem, Gratitudinem, sui, prolisque curam *&c.* in hac contineri; & quibus in casibus hæc in usum veniant, & quo pacto exinde virtus, Religio, societas, cæteráque quæ vitam faciunt Beatiorem, necessariò succrescant. In hoc enim consistit utilissimi illius Problematis solutio, quam investigare docet Philosophia Moralis. Nec ullatenus hujusmodi monitorum veritas aut authoritas imminuitur, quòd iis obsequi noluerint plurimi, vel ea voluerint impugnare; hoc tantùm inde sequitur, quòd ipsi suæ Fœlicitatis jacturam facient, & alios fortè aliquatenus in eandem secum miseriam rapient. Nihilominus postquam perspicuum est factum, effectum adeò insigniter Bonum ab actibus in nostra potestate positis certò produci posse; non est dubium quin facilius id Hominibus persuasum erit, ut hunc

effectum, in quantum possibilis est sibi, velut Finem proponant, & actus, è quibus ut Causis producitur, velut media sumant necessaria. Quemadmodum excitantur Homines ad conatus specula parabolica aut Telescopia Hyperbolica faciendi, propter effecta quæ indè secutura demonstrarunt Mathematici.

§. X. Hîc illud solùm adjiciam, veritatem hanc, ut & cæteras pariter evidentes, præcipuè verò quæ hinc derivantur necessario, à Deo provenire, & annexum habere ejus observationi præmium, transgressioni pœnam; talésque esse ut dirigendis nostris moribus aptæ sint naturâ suâ. His præstitis non video, quid desit ut Legis habeat vigorem. Addam tamen in calce hujus operis in ea contineri & in Deum Pietatem, & in homines Charitatem: In quibus utriusque Tabulæ Legis Divinæ Mosaicæ, & Evangelicæ summa continetur. Eâdem operâ ostendam hinc omnes Moralis Philosophiæ virtutes desumi posse; ac Jura Gentium tam quæ pacem, quàm quæ Bellum spectant. Quòd autem à Deo authore evidens adeò veritas imprimatur, brevissimè ostenditur ex illa Physiologia, quæ impressiones omnes in sensus nostros fieri ostendit, juxta Leges (uti vocantur) motûs naturales; Motum autem & primitùs à Deo systemati huic corporeo fuisse impressum, & immutatum ab eo conservari. Hâc methodo, quæ mihi videtur certissima, totáque Demonstrationibus nititur, citissimè fit Resolutio effectuum omnium necessariorum in primum Motorem. Impressio autem Terminorum hujus Propositionis (quatenus saltem provenit à materia mota) est effectus naturalis; & perceptio Identitatis sivè cohærentiæ Terminorum istorum prout in Imaginatione existunt, nihil aliud est quàm perceptio, quòd uterque Terminus est impressio quædam ab eadem causa in nos facta. Ipsa autem mentis perceptio quâ vel terminos in imaginatione positos apprehendit, & quâ eorum nexum perspicit, & vires suas,

actio-

actionésque persentiscit, adeò naturaliter & necessariò sequitur præsentiam eorum in Imaginatione, & propensionem mentis intrinsecam, naturalem & inculpabilem ad observanda ea quæ coràm posita sunt, ut mentis Causæ efficienti, id est, Deo, non possint non ascribi, ab illo qui Deum Creatorem rerum omnium primúmve Motorem agnoscit. Aliæ autem omnes methodi naturam explicandi quantumcunque aut ab hac, aut inter se dissentiant, in hoc conveniunt, quòd necessariorum hujusmodi Effectuum Causam primam Deum esse concedant: Quanquam plurimi non videntur hoc satis observâsse, & Terminorum simplicium apprehensionem, & eorundem cùm evidenter coincidant, compositionem (unde necessaria gignitur propositio) numerandas esse inter effectus necessarios (*i.e.*) tales qui non possint non fieri, positis impressionibus motuum naturalibus, & positâ naturâ Intelligente cui clarè ac distinctè proponuntur: quod tamen ad rem nostram facit plurimum, quoniam necessariis veritatibus practicis (quæ scilicet actus ad finem necessarium necessarios indicant) ab agnito authore Deo Legum asserit authoritatem.

§. XI. Quid autem sentiat Malmesburiensis noster de Resolutione Effectuum hujusmodi necessariorum in Deum tanquam causam eorum primam, & de Legum vigore indè profluente, nemo poterit tutò pronunciare; quippe scripta illius, & hæc evidenter alicubi agnoscere, & tamen multa habent quæ pugnant, tam cum existentia Dei (quæ hoc ipso argumento investigatur) quàm cum authoritate Legum naturalium, quæ hoc eodem modo stabilitur. Primum quod attinet; certissimum est hunc syllogismum esse planè Atheisticum. Quicquid non est corpus ejúsve accidens non existit: Deus non est corpus, ejúsve accidens. Ergo *&c.* Hobbius autem utramque præmissarum plurimis in locis sollicitè admodum docuit. Conclusionem autem illam nefandam negat, & imprudentiæ scilicet

pecca-

peccatum esse contendit vel eam asserere, vel aliam contumeliam in Deum evomere. *Lib. de Cive. Cap. 14. §. 19.* Sensum Majoris illius propositionis nimis apertè tradit, ubi substantiam incorpoream contendit *verba esse quæ juncta sese mutuò destruunt, ac si quis dixerit corpus incorporeum; & nullam esse realem universi partem quæ non sit corpus. Leviath. cap. 34. p. 207.* & *pag. 17. lin. 5. 6. Libri de corpore §. penultimâ. Quod quispiam à substantia incorporea moveri, aut produci dixerit, ne quicquam erit dictum.* Minorem autem *viz.* Deum non esse Corpus satìs videtur tradere, ubi omnes corporis proprietates Deo denegat; nempe Figuram, Locum, moveri aut quiescere; *de Cive Cap. 15. §. 14.* Verum quidem est, quod in *Appendice ad Leviathanem* nuper editâ apertè profitetur Deum esse Corpus *Cap. 3.* initio; ídque conatur probare; oblitus interim se ejusdem *Appendicis Cap. 1.* promisisse se non negaturum Articulum primum Ecclesiæ Anglicanæ in quo disertè dicitur, Deum esse sine corpore & sine partibus. Quòd si ea authoritas pro qua videri vult unicè pugnare, apud illum minùs valeat, seipsum audiat, *Lib. de Cive cap. 15. §. 14.* ubi docet, Philosophos indignè de Deo locutos esse, qui ipsum mundum, aut mundi animam *i. e.* partem, dixerunt esse Deum: non enim quicquam ei attribuunt, sed omninò esse negant. Nonne autem Hobbius, dum Deum esse corpus docet, eundem mundi partem esse dicit, aut totum? Certissimum enim est ipsum asseruisse *Leviath. Cap. 34. Universum esse aggregatum omnium corporum, nullámque habere partem quæ non sit etiam Corpus;* neque propriè dici corpus, quod non sit totius universi pars aliqua. Mundum autem & universum apud ipsum esse synonyma facilè videbit qui legerit, *Lib. de Corpor. Cap. 26.* de universo & syderibus hæc verba; *Objectum omne universi mundi vel pars est, vel partium aggregatum &c.* Vereor itaque, ne suiipsius judicio convincatur se Deum esse negare. Sed nostri non est instituti

hæc

hæc pluribus persequi. Non tamen dubito quin adeò nota sint Hobbio, aliisque ferè omnibus nunc dierum, corporum attributa cum perfectione divina minimè congruere, (qualia sunt, mensurari posse, ac dividi saltem secundum partes, omnésque generationis ac corruptionis mutationes subire, aliáque omnia suo loco excludere) ut citiùs plerisque persuaserit Deum non omninò esse quàm esse corporeum. Hoc tamen gratum nobis accidit, quòd etsi præmissis ejus contradicat, apertè tamen Dei existentiam profitetur, & argumenti etiam, quo eam investigamus, vim agnoscit. Concedit enim necessariò existere unam primam, æternámque rerum omnium Causam, *Lev. c. 12. p. 53.* De authoritate autem dictaminum rationis hinc fluente, quòd etsi immediatè à ratione nostra fiant, eâ tamen mediante à Deo, necessitate naturali nos ad eas agnoscendas determinante, proficiscuntur, nec sibi nec veritati constat Hobbius in *Leviath. c. 26. p. 138.* Leges (inquit) Naturæ quæ consistunt in Æquitate, *&c.* in conditione meræ naturæ non sunt propriè leges, sed qualitates Homines disponentes ad pacem, & obedientiam. Rationem reddit *De Cive Cap. 3. §. 33.* Quoniam Lex, accurratè, & propriè loquendo, est oratio ejus qui aliquid fieri vel non fieri aliis jure imperat. Hinc ibidem infert quòd quatenus à natura procedunt, non sunt Leges. Ac si Deus Naturæ nomine non propriè contineretur, aut ac si propositio cujus Essentia consistit in enunciando nobis quæ facienda, aut omittenda sunt sub pœna & præmio minuendæ, augendæve Fœlicitatis, quæque à mente humana fit ex Naturæ à Deo acceptæ necessitate. Divinæ voluntatis sufficiens signum non esset; aut satìs accuratè ejus oratio non diceretur, qui jure imperat. Quid enim aliud facit apertis verbis imperans, quàm ut efficiat ut nos intelligamus certissimè eum ita constituisse de rebus ad nos pertinentibus, ut si hoc vel illud fecerimus, pœna, sin aliter, præmium consequatur? ídque pro Dominio quod in nos habet. Ibidem autem contendit non aliter Leges esse

Dei quàm quatenus in Scripturis latæ ſunt. Si quis autem quærat quo pacto innoteſcat Scripturas à Deo datas eſſe, vel ullum omninò extitiſſe prophetam, qui vel eas, vel aliam ullam Revelationem à Deo acceperit; in reſponſione ad hanc quæſtionem à ſeipſo propoſitam diſertè aſſerit: Evidenter impoſſibile eſſe, ut quiſpiam certus ſit de Revelatione alteri facta, ſine Revelatione ſibi particulariter data, ne per miracula quidem, *Leviath. Par. 2. cap.26.* editionis Anglicanæ. Eodem tamen in loco affirmat de eſſentia eſſe Legis, ut obligandus de authoritate legem declarantis certus fiat: atque hoc fruſtraneum illud facit, quod tam in loco Libri modò citato, quàm in *Leviathanis cap. 15.* paragrapho ultimo, pronunciavit. Proinde ſi velimus ipſi in utroque loco credere, negabimus eas Leges eſſe, & quatenus à Natura ſunt, & quatenus in Scripturis revelantur, quoniam quòd ſint revelatæ certi eſſe non poſſumus. At potiùs nulla fides ejus dictis habenda eſt, qui ſibimet-ipſi contradicit. Idem enim, ac ſi de induſtria hoc feciſſet, ut conjectarent Lectores alteram Contradictionis partem propter Chriſtiani magiſtratûs Reverentiam, alteram ex animi ſui ſententiâ ſcriptam eſſe, in eodem Libro *de Cive* §. proximè inſequente; *cap. 4. §. 1.* profitetur eandem, quæ Naturalis & Moralis Lex appellari ſolet, non immeritò Divinam appellari; tum quia Ratio, quæ eſt ipſa Lex Naturæ immediatè à Deo, unicuique pro ſuarum actionum Regula tributa eſt; tum quia vivendi præcepta, quæ indè derivantur, eadem ſunt, quæ à Divina majeſtate pro Legibus Regni cœleſtis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per ſanctos Prophetas & Apoſtolos tradita ſunt. Hîc ſcilicet (ut videant fortè Lectores, quantum concedere poteſt moribus eorum inter quos vivit) eas concluſiones agnoſcit non immeritò Leges appellari ſolere, quæ paulò antè propriè, & accuratè loquendo Leges eſſe negârat. Ac ſi cùm is qui de jure Rector eſt, ſubdito ſuo immediatè actionum ſuarum

Regu-

Regulam cum annexis præmiis & pœnis tribuat, non propriè ei aliquid fieri aut non fieri imperaret, seu Legem ferret.

§. XII. Verùm his inter se committendis diutiùs immorari nolo; illud solum monebo Lectorem, cujus ope pleniùs Authoris hujus sententiam ubique intelligat. Posteriora hæc, quæ in Favorem regularum moralium, ab illo dicta sunt, hoc habent τεκμήριον, quo quis ea ob aliorum metum dicta esse conjiciat: nempe quòd his Rationem non addit, quâ probet id quod videtur concedere. Rationem *viz.* à Deo tributam fuisse pro actionum Regula: imò & earundem promulgationem ex Revelatione, alibi (uti ostendimus) ratione suâ conatur destruere, licèt hîc videatur asserere: iis autem quæ è contra dixerat, rationem qualem, qualem, à sua nempe Legis Definitione, adjunxit; ut scire possis ex animi sui sententiâ eum pronunciare, conclusiones rationis, quæ ad Æquitatem, modestiam, cæterásque virtutes dirigunt, non esse, (uti habere solent) Leges Naturæ propriè dictas: Scilicet hîc videtur id fecisse, quod à viris cautis in alia re ad Religionem spectante fieri docuit; nempe eos de Deo dicere quod aliorum sententiis consonum est, non quidem dogmaticè, sed piè. *Leviath. c. 12. p. 53.* Sed de his satis. Illud tantùm mihi proposui evincere, authoritatem, seu obligandi vim completam, quam ab authore suo Leges Naturæ sumunt, ex contemplatione Universi, undè prima omnium causa investigatur, constare posse. Agnoscimus interim obligationis indicium quoddam legibus naturæ esse intrinsecum, & planè Essentiale. Illud autem sumendum est è præmiis, seu auctâ Fœlicitate quæ à naturali actuum suorum influxu Benevolum comitatur, sequitúrque virum eas leges summo studio observantem; & è pœnis, seu miseriæ gradibus quas velint nolint in sese accersunt, qui Dictatis rectæ rationis vel non parent, vel repugnant. Enimverò horum præmiorum nexus cum Benevolentia quæ Legum Naturæ summa est, in

ea quam præmisi propositione apertè exprimitur, per statum omnium fœlicissimum; atque adeò ejus Carentia, miseriáque ei opposita satis indicatur constitui à Malevolentia omnium in omnes.

§. XIII. Suppositis itaque his quæ breviter prælibavimus de Deo authore Effectuum naturalium, ideoque etiam Legum Naturalium (ex hypothesi quam innuimus quòd illæ necessariò in hominum mentes, maturâ saltem ætate in hoc rerum statu, introducantur) progrediemur jam ad Distinctionem & explicationem necessariæ Generationis tam notionum simpliciorum è quibus hæc propositio, ejusque consectaria constant, quàm etiam veritatis illius Complexæ quæ ex horum Terminorum compositione resultat. Subjectum autem illius est Benevolentia erga rationales omnes maxima, quam patet consistere in constante volitione bonorum maximorum erga universos, quantum quidem naturæ nostræ, rerúmque aliarum conditio à nobis fieri posse permittit. Visum est hoc loco considerare, quomodo cum ipsa Mundi aspectabilis (cujus par est corpus nostrum) cognitione, ingeritur in sensus, animósque nostros notitia (1) Bonorum; (2) & quidem multis communium: (3) Quorum aliud alio sæpè majus est (idque quo nullum est (quantum percipere possumus) majus, dicimus maximum;) (4) Quorum aliqua nostris viribus indies fieri, adeoque practica esse; alia virium nostrarum angustos limites in datis circumstantiis excedere facilè intelligimus. Quandoquidem autem duobus modis rerum harum natura cognoscitur: (1) Scilicet confusiùs per experientiam planè obviam, ac quotidianam observationem: (2) Distinctiùs per Contemplationem, ac ratiocinationem Philosophicam experimentis cautiùs factis, & diligentiùs inter se collatis superstructam. Utroque modo imprimitur aliqualis Legum Naturalium Cognitio. Hinc fit ut vulgo quidem innotescant, sed pro modulo cognitionis quam habent de Natura, confusè & imperfectè. Philosophis

phis autem accuratiùs obſervanda veniunt,&generaliſſimarum (è quibus illæ conſtant) notionum nexus cum univerſalibus rerum cauſis ac principiis,& conſequentiarum ſeries, quâ particularia præcepta ab univerſali omnium fonte deducuntur; Cognatio item mutua inter ſingula, & ordo dignitatis, ſecundum quem unum alteri cedit,cùm in eodem caſu plurium ſimul obſervatio videatur impoſſibilis. Priorem modum Leges Naturales intelligendi non duxi prorſus prætereundum, quoniam is eſt quo eas diſcunt plerique omnes, & quia principia, in quæ Natura Philoſophicè reſolvenda eſt, variis diſputationibus agitantur; ut periculum ſit, ne, ſi ſolis principiis quæ mihi placent phyſiologicis fulta tradatur doctrina Morum,eo nomine à plurimis rejiciatur, quoniam mecum in Philoſophia naturali non conſentiunt. Quin igitur vulgaria, in quibus nemo ferè diſſentit, in memoriam revocemus phænomena,& ex iis,terminorum prædictæ propoſitionis notitiam ſimplicem, eorúmque cohærentiam, quâ in veram propoſitionem coaleſcant, hauriri poſſe paucis, hoc in capite, oſtendamus.

§. XIV. Indies conſpiciunt omnes & plurimarum rerum circa Terram naſcentium, quæ victûs, veſtitûs, tectorum nomine veniunt, uſum ac fruitionem,&, modo pariter naturali,operam hominis alteri commodatam efficere poſſe, ut Homo vivat, conſervetur aliquandiu, corroboretur, exhilaretur, ac animo degat tranquillo. Et hujusmodi quidem effectus, communi quadam notione, iſti naturæ, cujus causâ fiunt, convenire concipimus, id eſt, bonos eſſe reputamus; atque adeò affectus hominis, unde actus externi proveniunt, à quibus hi Effectus producuntur,Benevolentiæ conceptu repræſentatur. Sentiunt inſuper omnes Benevolentiam hanc ſuam non ſe tantùm aut paucos, ſed & valdè multos juvare poſſe, partim conſilio, partim etiam viribus, & induſtriâ; cúmque alios videant ſibi prorſus ſimiles,ab illis vicem rependi poſſe, plurimíſque ope mutuâ bonis ſingulos cumulari poſſe, non poſſunt non cogitare;

quæ quidem omnibus defutura sint, eorúmque loco singulis innumera impendere vitæ discrimina, summámque egestatem, si sibi solis prospicientes, singuli in alios essent semper malevoli. Opera autem hujusmodi, pluribus rationalibus proficua, necessariò in mente gignit Boni communis notionem, quæ ex obvia similitudine rationalium inter se, facillimè pariter respiciat omnes, quos quidem cognoscendi ulla unquam occasio offeratur. Addámne & illud, notissimum esse perpetuâ experientiâ, plura nos posse in auxilium Hominum, quàm aliorum animalium, nè quid dicam de inanimatis. Hominum quippe natura (adeoque ejus Bona, ac mala) è nostri notitiâ (quam effugere nequimus) magìs nota est; verum etiam pluriúmque bonorum est illa capax, in quibus assequendis illos juvare possumus; majoribus etiam calamitatibus eadem est obnoxia, in quibus amoliendis vires nostræ utilissimè occupentur. Adde quòd prudentiâ nostrâ & consilio aptis signis communicato, innumera hominibus commoda apportemus, quorum cætera animantia sunt prorsus incapacia.

Quin etiam propter naturæ aliorum rationalium cum nostra similitudinem, similia iis velle, quæ naturali impetu nobis appetimus, ratio non potest non judicare magìs consentaneum esse internis actionum nostrarum principiis (quæcunque illa sint) quàm similia velle rebus longè dissimilibus. Præterea, pariter atque sentimus nos similibus libentiùs prodesse, cùm ratione sperabimus illos, quibus benefaciamus, beneficiis motos iri, ut paria nobis referant, aut majora, ut illi nos itidem obligare possint.

Denique omnium Experientiâ compertum est nullam in terris possessionem locupletiorem esse, nullum decus, aut præsidium majus esse posse Hominibus, quàm sit omnium in omnes sincera Benevolentia; quæ cum singularis amicitiæ necessitudine inter paucos, quos quisque sibi seli-

gere

gere poteſt, bene conſiſtit: quoniam cætera omnia, cum ipſa vita, Homines, ſi fuerint malevoli, facile eripiant. Nec ullâ ratione efficaciùs harum alterutra conciliari poteſt, quàm ſi unuſquisque ita ſe affectum in alios factis oſtendat, ut illos in ſeipſum animatos eſſe exoptet, id eſt, benevolè pro data occaſione in omnes, ſed ſingulari ſtudio in ſelectos aliquot. Quòd ſi, uti par eſt, & ubique Terrarum, ab ipſo etiam vulgo, fieri ſolet, cauſæ primæ opem ſollicitare curemus ad fœlicitatem humanam ſtabiliendam, nihil in nobis reperiemus divinius, quo Numini placeamus, quàm ſincerus ille, latiſſiméque diffuſus (de quo hactenus locuti ſumus) Amor, qui Deum ipſum amplectitur ut Rationalium Caput, ac Patrem, alióſque Rationales tanquam ejus filios, ipſi, præ cæteris Creaturis, ſimillimos, adeoque dilectiſſimos. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν Arati Cilicis eſt dictum apud Athenienſes adhuc Ethnicos agnitum. Innumera in hanc ſententiam Teſtimonia proclive eſſet citare, verùm fruſtra quispiam Lucernam in Sole accenderet.

§. XV. Hæc, quæ modo propoſui de fœlicitate humana, adeò communi Experientiâ, aut facili Ratiocinio conſpicua videntur, ut nihil noverim in rebus ad humanam naturam ſpectantibus evidentius; & eam habent rationem ad praxes in Ethicis dirigendas, quam ad Problematum Conſtructionem habent Geometrarum Poſtulata, qualia ſunt ad Problemata Plana à quovis puncto ad quodvis ducere nos poſſe rectam Lineam. Aut quovis Centro ac Intervallo Circulum deſcribere. Aliáque difficiliora ad conſtructionem Problematum ſolidorum & Linearum. In his omnibus ſupponuntur Actus à liberis Facultatibus humanis dependentes, non interim ullis controverſiis, à Liberi Arbitrii explicatione oriundis, incerta fit Geometria. Paria etiam de Arithmeticis operationibus dici poſſunt. Sufficit enim ad harum Scientiarum veritatem quòd inſeparabilis ſit nexus inter tales actus (quos ſupponit elici

posse, quósque (cùm ad praxes Geometricas nos accingimus) reperimus in nostra potestate sitos) & effectus quæsitos. Ad effectus autem hujusmodi quærendos vel insita illorum contemplationi amœnitas, vel vitæ usus multiplices homines satis invitant. Pari sanè ratione & Doctrinæ Moralis veritas fundatur in immutabili Cohærentia inter fœlicitatem summam quam Hominum vires assequi valent, & actus illos Benevolentiæ Universalis, seu Dilectionis erga Deum & Homines, quæ sese exerit in virtutum moralium apparatu. Supponuntur interim hæc, nempe & quæri ab hominibus Fœlicitatem quam possunt summam, & posse illos Amorem exercere non solùm in seipsos, sed & in Deum, Hominésque ejusdem secum naturæ rationalis participes.

Illud solum hîc adjiciam, eandem Experientiam, quæ testatur Benevolentiam singulorum erga omnes efficacissimam esse causam Fœlicitatis eorundem Benevolorum, necessariò testari à paritate Rationis, amorem cujuslibet numeri erga quemlibet numerum effectum habere proportionatum, & Malevolentiam pariter in omnes certissimam singulis (quantumlibet seipsos diligant) perniciem accelerare; Quippe quòd Fœlicitatis causas necessariò requisitas tollit, & causas Calamitatum omnigenarum ponit, nihil infra summam miseriam minitatur.

§. XVI. Hujusce autem consectarii sensum ubique agnoscit Hobbius, dum ex eo quòd supponat unumquemq; suæ solùm vitæ prospicere, sibique jus in omnes & omnia arrogare, Bellum statim infert omnium in omnes, indéque imminere omnibus omnes miserias, ipsámque mortem, ubique clamitat. Quin & omnes homines hoc intelligere supponit, antequàm in pacta Societatis cum aliis consentiant. In mali, metûsque causis est Lynceus; at in Boni, Fœlicitatisque sperandæ causis Tiresias; quanquam sunt hæ certè æquè obviæ, imò ordine distinctæ cognitionis priores, quippe causæ rerum naturas constituentes, ac conservantes (quæ

Bona

Bona sunt) causis easdem corrumpendi, dissolvendique (quæ Mala dicuntur) priùs investigandæ veniunt. Non possum itaque dubitare quin ipsi Hobbio pateat Communis Boni studium, prudenti rationis consilio gubernatum, tantundem posse ad omnium securitatem, Fœlicitatemque quantum ejus neglectus ad omnium faciat perniciem, dum suis tantum singuli inhiant commodis: aut, quicquid ipse sentiat, dubium non est, quin ex cognitione nostrûm ipsorum, veritas hæc facillimè à quovis homine discatur, modò maturæ sit ætatis, & mentis compos. Ex eo autem ipso quòd experiantur suam voluntatem efficacem bona procurandi, & sufficere ut sibi, aliísque prosint, prout res tulerit, & ad hunc finem necessariò requiri, nequeunt non intelligere, ejusmodi etiam voluntatem in aliis hominibus ad eundem finem nec minùs valere, nec minùs esse necessariam. Verum tædet rem adeò perspicuam pluribus inculcare; nec tamen licuit eam silentio præterire, quoniam ab his veluti postulatis reliqua quæ sequuntur omnia deducuntur. Quandoquidem autem Deductio Legum Naturæ specialium ex hac Generali, Philosophicæ Contemplationis sit, adeoque ad secundum modum eas investigandi pertineat, visum est ei præmittere considerationes aliquot Physiologicas, quæ manifestum faciant, Contemplationem Naturæ Philosophicam ad generalem illam Legem distinctiùs percipiendam animos humanos plurimùm adjuvare.

§. XVII. Inprimis autem illud innuendum censeo notiones illas generalissimas, quæ *transcendentales* dici solent, quarúmque usus est frequentissimus in omnibus naturæ Legibus, in rebus corporeis observari, adeoque etiam sensuum ministerio pervenire posse ad animum. Tales sunt conceptus universales Causæ & Effectûs, Nexûsque inter eos intercedentis: numeri ex unitatibus coalescentis, adeoque summæ (unde notio omnis collectiva) differentiæ, *&c.* Ordinis Durationis, *&c.* Quanquam autem existimem hoc observâsse ad rem nostram multùm facere, quippe è talibus

notionibus velut partibus essentialibus conflantur Leges naturales, tamen quoniam hoc in confesso est inter nos & adversarios, & omnibus obvium, non libet hac de re plura scribere. Secundò, Physiologia distinctissimè docet intelligere quæ res, rerúmve vires, ac motus aliis bonæ sint aut malæ, & quàm necessariò & immutabiliter hoc fiat. Cùm enim illud unicè agat hæc Scientia, ut investiget causas Generationis, Durationis, Corruptionísque, quæ omnia corporibus plerisque, præsertim hominibus contingere indies conspicimus, & necessariam effectuum hujusmodi cum causis suis cohærentiam demonstret; cúmque certum sit causas hominem *v. g.* generantes, conservantésque Efficientes ut aliquandiu perduret, ac vigeat facultatibus corporis, mentísque auctis, ac determinatis ad sua munera, illi bonas dici; Causas autem corruptionis, ac ægritudinum, molestiarúmque ei malas naturaliter esse; certissimè sequitur Physiologiam explicare, quænam illi sint naturaliter bona ac mala, eáque necessariò esse talia demonstrare.

Scientiæ naturalis partes esse autumo cognitionem eorum omnium quæ natura fert ad Hominis victum, amictum, habitationem, ac medicinam utilia. Liceat etiam ad scientiam naturalem referre omnium Operationum humanarum Cognitionem & effectuum ad usus vitæ humanæ indè profectorum. Quanquam enim actus hominum voluntarii, qui ad extrà transeunt, non eodem modo incipiunt, quo motus meri naturales; nempe ab aliorum corporum pulsione, sed à ratione, ac libera voluntate mentis nostræ determinentur; tamen cùm veri motus à viribus corporis nostri, quæ ejusdem sunt naturæ cum viribus aliorum corporum naturalium, mensuram suam accipiunt, ideo pari necessitate, eodémque prorsus modo, ac alii quilibet motus naturales Effectus suos secundum Leges motus assequuntur, postquam existunt. Luculentissimè, generalissiméque hoc patet in operationibus machi-

machinarum Simplicium (quales sunt vectis, trochlea, & planum inclinatum in quas cæteræ resolvantur) quæ eosdem effectus præstant, cùm viribus humanis impelluntur, quos exhibent cùm iis loco potentiæ, applicantur corporum inanimatorum pondera, quod satis nôrunt omnes.

§. XVIII. Vulgariter etiam notum est humanam industriam corporis sui motibus (quos in mechanicam vim Philosophus non difficulter resolvet) suæ aliorúmque conservationi inservire posse, & solere in cibis, medicamentis, vestibus, domiciliis, navibúsque parandis & conservandis. In hos effectus impenditur omnis vis hominum, quæ in Agricultura, Architectura, ναυπηγία, Mercatura, cæterisque operationibus fabrilibus, & textoriis exeritur. Quid quod speciei Propagatio, Lactatio, Nutritióque infantum in eadem principia, ipso Hobbio fatente, (nec me habebit reclamantem) resolvatur. Nec ab his motûs Legibus prorsus immunes sunt illæ etiam artes liberaliores, in quibus signorum sensibilium, sonorum articulatorum, ac literarum, numerorúmque ope, hominum animi Scientiis locupletantur, aut ad operationes diriguntur. Enimvero manuum & oris, velut instrumentorum vi naturali, juvamur quum scribimus aut loquimur, & ad contractus faciendos, ad jurium distributionem, translationem, & conservationem, in quibus tota ferè justitia consistit, quæ est præcipuus effectus Ethicæ & Politicæ. Non enim contemnenda est vis verborum, ac literarum; ne quid dicam de Actione ad erudiendos animos, & ad regendos affectus, quæ tamen cùm exercetur, tota fit organis corporeis; quanquam & primæva verborum institutio ad res significandas, & eorum delectus, ac compositio tota sit mentis opus, imaginationem, linguámque dirigentis; & quanquam sit locus libero arbitrio, postquam Oratorum conciones audiverint, Legésque scriptas perlegerint. Exempli causâ consideremus, quâ ratione

Leges

Leges ſcriptæ, aut ab imperante dictatæ operentur. Quantacunque, certè eſt, Legum iſtarum vis in ſubditorum animos tota ſe exerit, partim per promulgationem, partim per præcognitam Executionem, quâ pœnæ ac præmia ſecundum minas, ac promiſſa in legibus expreſſa, diſtribuuntur; horum autem utrumque hominibus innoteſcit ſenſuum ope, qui à motu corporeo ſummâ neceſſitate effectum ſibi proprium attingente afficiuntur: quod ideo hîc annotandum cenſui, quoniam cùm Legum promulgatio & Executio bona ſint, ſeu ad omnium Rationalium Fœlicitatem ut cauſæ efficientes adjuvantes conducant; hinc evincatur neceſſario & naturaliter talia eſſe; atque hoc ſciri potuit ante leges ullas ab hominibus conditas: nempe ſigna hæc ad mores formandos eo modo faciunt, quo Cynoſura, reliquorúmque ſyderum motûs obſervatio, acus Magnetica, & chartæ Hydrographicæ, aliáque inſtrumenta Mathematica ad navium tutelam; etſi per incuriam negligi poſſunt. Mentis autem opera & concurſus cum viribus corporeis ad hos effectus producendos comparari poteſt cum opera Gubernatoris ad clavem in navi ſedentis; & Mercatoris in ea vecti rerum pretia & uſus æſtimantis; ſed nihil poſſunt efficere ſine ope interpretis & ſignorum; ſine portuum, ventorúmque commoditatibus: niſi navis & compacta ſit juncturis, & funibus, ac velis inſtructa; niſi etiam Regionum diverſitas mercimonia ferat, quæ mutuam levent egeſtatem, quæ tamen à cauſis neceſſariis pendere nemo non fatetur.

§. XIX. Quanquam autem hujuſmodi Artes ante initas Societates non putandæ ſunt, eam, quam videmus, perfectionem habuiſſe, immò nec earum incrementa, ac maturitatem diſtinctè præſciri potuiſſe; neceſſe eſt tamen ut & opem mutuam valdè utilem fore, prævidiſſe omnes, & ſufficienter voluntatem ſuam ſignis indicare potuiſſe, Hobbius quoque agnoſcat; quia in pactis eum in finem initis ſocietatem fundat.

Pari

Pari ratione actiones, motúsque omnes his contrarii, illi scilicet quibus aut corpora humana corrumpuntur, subducendo necessaria ad vitam & robur, victum, vestitum, domicilia, aut horum loco, nocua inducendo. Et quibus à mentibus humanis arcetur cognitio ac virtus, aut, eorum loco, errores, ac effrænati affectus, Boni communis studio oppositi introducuntur, naturâ suâ & necessariò mali sunt. Interim cùm de bono aut malo in legibus naturæ pronunciamus non unici cujuslibet hominis, aut paucorum corpus aut animum spectamus (horum quippe diminutio, aut pœna quandoque ad Bonum publicum faciat) sed Aggregatum humani generis; idque Deo Rectori subordinatum, seu illius Civitatem naturâ suâ constitutam; quod postea clarius intelligetur: Aggregati tamen Bonum non aliud est, quàm summum quod omnibus aut majori totius parti accrescit.

Illa autem quæ de naturali efficacia, plurimorum actuum humanorum ad alios conservandos aut adjuvandos hîc protulimus, eo tantùm diximus fine, ut distinctiùs consideremus Homines ex observatione Facultatum, actuúmque aliorum Hominum naturaliter acquirere posse notitiam Bonorum naturalium, & quidem magnorum ac necessariorum; atque ita quæ in illorum potestate sunt aliorum tàm corporibus, quàm animis præstare. Non erit nunc difficile ostendere earundem Facultatum, actuúmque vires non adeò limitari, ut uni tantùm prosint, sed diffundi ad plurimos. Ut unius viri scientia, ars, & industria, nec non Benevolentia, fides aut gratitudo innumeris gratificentur, adeoque quoniam ipsa sunt plurimis Communia Bona, Communis Boni Idæam observantium animis naturaliter imprimant: Quin etiam per mentis cum humano corpore societatem, latiùs se diffundit vis humana, & majora præstat, quàm aliorum Animalium vis corporea longè major. Quippe illa & navigandi artem excogitavit; & pacta cum hominibus longè dissitis inire novit, & observare; ac Literarum, numerorúmque

benefi-

beneficio commercia celebrare docuit cum Indis, & Americanis, & eoúsque pacis conditiones, aut bellicos apparatus mittere poteſt: innumeros autem hinc motus determinari neceſſe eſt. Nihilominus non eſt inſolitum in aliis cauſis, quæ vi tantùm corporeâ pollent, efficaciam conſpicuam pluribus commoda aut incommoda afferentem obſervare. Hoc enim agnovit Philoſophia Peripatetica, ac communis Experientia quæ Solis radios innumeris ubique Terrarum vegetabilibus ſuccum vitalem, omnium Animalium Sanguini calorem ſalutarem ſubminiſtrare docet. Accuratior autem Phyſiologia paſſim demonſtrat omnem cujuslibet particulæ corporeæ motum vim ſuam latiſſimè ſpargere, atque adeò aliquatenus (licèt vel tantillum) neceſſariò tamen cum cauſis plurimis concurrere ad effecta etiam plurima. Et facilis ſanè eſt hujus aſſertionis probatio; nec à re, quæ præ manibus eſt ullatenus aliena: verùm quia principiis id nititur Phyſico-Mathematicis, quæ à doctrina morum plurimis videbuntur nimis remota, & quoniam hoc ab adverſariis noſtris libenter concedetur, viſum eſt quæ hunc in finem parata habui, omittere.

§. XX. Id ſolum hîc annotare libet, Hobbium hâc in re mihi videri plùs ſatìs largiri, cùm in Libri *de Corpore* paragrapho penultimo diſertis verbis aſſerat; *In medio pleno motum exiſtere nullum poſſe, quin cedat pars medii proxima, & deinceps proxima ſine fine, adeò ut ad quemcunque Effectum conferant neceſſariò aliquid etiam ſingularum rerum motus ſinguli.* Interim non videt illud hinc ſequi poſſe, Actum aliquem humanum ad effectum hoc nempe conſervationem, perfectionémve plurium, illud non appetentium, aliquid conferre naturâ ſuâ: hoc eſt naturaliter Bonum eſſe pluribus. Aliter enim non tam crudè aſſereret, *Bonum tantùm reſpicere appetentem,* & hinc inferret; *Naturam Boni & Mali variam eſſe pro arbitrio ſingulorum hominum in ſtatu naturæ, & pro arbitrio principum in omni*

Civi-

Civitate; quæ ſunt Fundamentalia dogmata Ethicæ & Politicæ Hobbianæ, uti oſtendam in capite *de Bono.*

Mihi hoc loco id tantùm dicere propoſitum eſt quosdam motus, quasdámve vires, & actiones rerum quarumlibet, adeoque etiam hominum, notionem Boni pluribus communis nobis naturaliter imprimere; unde ſentimus aliquid fieri in aliorum conſervationem & conditionem magìs florentem: & quoniam Liberum nobis non eſt per rerum naturam quoslibet motus, actúsve judicare in hunc effectum pariter valituros eſſe, ideo naturam ſatìs docere diſcrimen aliquod eſſe inter bona & mala, ſive illa ad plures pertingant, ſive ad ſingulos. Immò verò quandoquidem Generatio, conſervatio, & matura perfectio Corporum naturalium (Homines exempli causâ ſumantur) & ècontra Degeneratio & Corruptio nihil aliud ſint, quàm motus quidam variè implicati particularum, è quibus conſtant, motúsque hi omnes à cauſis fiant ſecundum Theoremata quædam Geometricè demonſtrata; liquidò conſtat omnia generari, ac conſervari, & perfici à ſuis cauſis eâdem neceſſitate, quâ Geometricè demonſtrata ſunt vera. Cauſæ autem conſtituentes, conſervantes,& perficientes rerum, hominúmve ea ſunt quæ nos dicimus Bona; & his contraria ſunt mala; ſive earum efficacia ad unum tantùm pertigerit ſive ad plures, omnésque. Quare ſuppoſito quòd exiſtant tales motus, actúsque hominum aliorúm circa alios, quales nunc videmus ad aliorum conſervationem aliquid efficere, illi eâdem neceſſitate hunc effectum aſſequuntur, quâ Theoremata Geometrica de tali motu ſunt vera, idcóque Boni ſunt naturaliter, etſi nullæ adhuc ſupponantur Leges, à quibus juberentur.

Peſſimè itaque cohæret mutabilis, quam finxit Hobbius, natura Boni & mali cum neceſſariis & immutabilibus cauſis conſtituendi, conſervandique homines, quales idem ubique aſſerit. Nec poterit evadere dicendo, (quod tamen ſæpe inculcat) nullam eſſe menſuram ante Leges civiles; eadem

eadem enim eſt menſura Boni, maliſque quæ menſura eſt veri, falſique in Propoſitionibus pronunciantibus de efficacia motuum ad rerum aliarum conſervationem, & corruptionem facientium. Nempe Natura rerum, & quæcunque propoſitio veram cauſam conſervationis indicat, eodem ſpiritu Verum Bonum oſtendit.

§. XXI. Vidimus jam paucis, quo pacto natura rerum Boni, malique etiam Communis notitiam imprimat, non minùs certam ſtabilémque, quàm ea eſt quâ Generationis, corruptionísque cauſæ nobis exhibentur. Pergo jam ad conſiderandum materiam, & motum illum (in quibus vires humani corporis æquè ac cæterarum Mundi aſpectabilis partium conſiſtunt) finitam habere quantitatem, certosque limites ultra quos ſe nequeant extendere. Hinc autem fluunt notiſſima illa de corporibus omnibus naturalibus effata. Quod non poſſint eſſe in pluribus ſimul locis: nec eadem in plura ſimul loca contrario præſertim ſitu poſita moveri, ut oppoſitis plurium hominum voluntatibus inſerviant, ſed ita limitari ut ab unius tantùm voluntate determinari poſſint, niſi in eundem aliquem effectum, uſúmque plures conſentiant. Neque hoc corporibus ſolummodò eſt proprium, ſed mentibus humanis, rebúſque omnibus creata, utpote quæ finitæ ſunt, commune. Exinde autem duo colligere vellem magni in rem noſtram momenti. (1) Ex naturæ, præſertim noſtræ, cognitione diſcere nos poſſe diſtinctionem illam Stoicarum celeberrimam inter τὰ ἐφ' ἡμῖν (qualia ſunt actus mentis motúſque quidam corporei, qui voluntati noſtræ obſequuntur: quorum utrumque ex effectis indies percipimus, & exinde paritate rationis non difficulter colligamus, quid in poſterum facere poterimus) & τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, qualia ſunt motus longè maximi, plurimíque quos indies conſpicimus in natura univerſi hujus contineri; quibus nos (exigua animalia) obſiſtere non poſſumus, quorum vi & omnia in perpetuo ſunt fluxu; perpetuáſque eſſe hominibus etiam ipſis rerum adverſarum &

prosperarum, ortûs, maturitatis & interitûs vices. Insignem autem usum in moribus formandis, regendísque affectibus, & conatibus nostris, præstat distinctio inter hæc constanter observata. Hinc enim docemur non aliam nobis in laborum solamen quærere fœlicitatem, quàm quæ nascetur è prudenti facultatum nostrarum Regimine, & è suppetiis illis, quas novimus Providentiam Divinam in Universi hujus administratione nobis esse allaturam. Hâc ratione liberamur à frustraneis laboribus, in quos spes vana plerosque sollicitat; nec nosmet unquam inquietabimus ob mala quæ, sine nostra culpa, nobis antehac obtigerunt, aut posthac obvenire poterunt; adeoque magna pars molestiarum, quæ ex affectibus illis irrequietis, dolore, irâ, metúque oriri solent, præcidetur. Nec ob mala solùm evitanda hinc dirigemur, verùm insuper hinc nobis monstrabitur via maximè compendiosa, quâ ad bona, quæ à nobis obtineri possunt, maxima pedetentim progrediamur. Animi nempe nostri cultum, & dominium in Affectus. Verùm non est animus fusiùs hæc hoc in loco prosequi: Hoc tantùm quod in rem nostram faciat, annotabo, Omnium Experientiâ notissimum esse cujuslibet hominis singulares vires respectu Fœlicitatis cujus ab extrà & capax est, & eget, adeò exiguas esse ut plurimarum rerum, plurimarum etiam personarum operâ indigeat, ut beatè ævum suum transigat, nihilominus tamen posse quemlibet multa in aliorum usum præstare, quibus nosmet nullatenus egemus, quæque adeò nulli nobis futura sunt usui.

Quandoquidem autem è notis virium nostrarum limitibus certi sumus, nos cogere non posse omnes, quorum ope caremus, (Deum putà & homines) ut nobiscum ad fœlicitatem nostram cooperentur; id solùm in hunc finem nobis relinquitur, ut nostram illis operam offerendo, ac præstando fideliter, eos nobis conciliemus. Summa autem illa Benevolentia (cujus mentionem fecimus in generali

propositione præmissa) consistit in voluntate sic faciendi animitus, constanter & effusissimè; adeoque etiam in casibus in quibus nulla sæpe retributio expectatur; ac dum in genere notum est nobis spem reciproci amoris multoties cassam fore. Eadem vera Benevolentia non prohibet, quin cum iis amicitiam colamus præcipuè, à quibus mutuæ Benevolentiæ messem non ingratam ratio suadet ut speremus; hoc primum est quod è finita rerum omnium (nostri præsertim) natura colligimus. Sequitur indè

§. XXII. 2um. Si quid Homines, aut res aliæ, in hominum usum præstant naturaliter, & necessariò, id fieri limitatè ad certas personas pro dato loco & tempore. Ideoque si recta Ratio rerum usus, aut hominum operas omnibus hominibus utiles fieri præcipiat, necessariò præcipit, ut pro quovis dato tempore, aut loco limitetur ille rerum, aut operæ humanæ usus ad certas personas. Consequentia manifesta est, quoniam ea recta Ratio est in præcipiendo, quæ præcipit, ut fiat, quod per naturam rerum fieri potest. Consequens autem eò tendit, ut probetur necessariam esse ad omnium utilitatem, rerum, & operarum humanarum inter omnes Divisionem, saltem ad tempus quo usui sunt aliis.

Et sanè Limitatio illa necessaria usûs rei unius ad unum hominem pro tempore, quo cuiquam prodest, est naturalis Divisio, seu separatio ab usu ullius alterius ad idem tempus. Manifestum autem est, me res unas eas hîc vocare, quæ totæ in uno usu ad tempus necessariò occupantur. Alia enim una dicuntur, quæ in plurimorum simul usum cedere possunt; ut una insula, sylva una &c. de quarum divisione nondum pronunciamus. E naturali autem illa, quam dixi, divisione rerum, & illius necessitate ad omnium conservationem, ortum ducit jus illud primævum ad res, postquam quispiam eas occupaverit, de quo loqui solent Philosophi ac JCti; quódque locum habere docent supposità rerum omnium Communione, Jus enim est

Facul-

Facultas aliquid agendi à lege concessa; at in statu illo supposito Lex non alia est quàm Dictamen rectæ Rationis, de actibus ad commune Bonum necessariis, à Deo promulgatum. Ideoque hoc ipso quòd recta Ratio, rei cujuslibet, vel operæ humanæ usum cuilibet assignat ad tempus, velut necessarium ad Commune Bonum, in quantum is ei deservire potest; hoc inquam ipso, Jus ei datur ad usum illius rei aut personæ ad illud tempus. Voluntas etiam, seu Benevolentia huic dictamini conformis Justitia est, quemadmodum illa quæ jura sua post hæc in statu Civili nata cuique tribuit. Eademque Benevolentia in quantum talia quibusque jura permittit, affectúsque cohibet in contrarios actus pronos, Innocentia est laudabilis. Evidentissimum autem est neminem Bono Communi ullatenùs deservire posse, nisi vitam, valetudinem, ac vires conservet usu rerum ac operæ humanæ; ideoque occupationem ejusmodi esse medium ad illud planè necessarium. Conservatio enim totius ex divisis à se invicem partibus aggregati (quale est genus humanum) consistit in partium diversarum conservatione (ne quid dicam nunc insuper de ordine aliquo inter ipsas conservando:) Partium autem divisarum, *i, e.* singulorum hominum conservatio, divisum rerum & operæ hominum usum postulat. Ergo ad totius conservationem id ipsum est necessarium. Hujusmodi autem divisio, quæ est instar proprietatis, post rerum occupationem, & earundem applicationem ad usus cuivis verè necessarios, facilè consistit cum aliqua communitate; quæ nempe similis sit illi, quæ in conviviis ac theatris conspicitur; qualem non contra rationem (licèt minùs congruè cum historia sacra) supposuerunt multi ex antiquis Philosophis. Repugnat autem directè juri illi omnium in omnia, quod finxit Hobbius, ut ante constitutas Civitates Bellum inter omnes, & quidlibet in alios faciendi licentiam & justam esse & necessariam probaret. Ex his autem colligi obiter potest, quomodo unicuique nascitur jus ad vitam suam, membro-

rúmque integritatem conservandam; nempe ex eo quòd hæc certissima sunt media, quorum usu, Deo, Hominibusque inserviamus, in quo Bonum quod dixi Commune consistit. Patet etiam jus illud cujusque hisce limitibus claudi, ut, si Religio, aut salus hominum communis postulet, parati simus ipsum sanguinem nobis vitalem profundere; nec lædendum esse innocentem quemvis, ut nobis ipsis prodesse valeamus.

Hoc autem clarissimè è principiis, quæ hîc breviter suggessi, deducitur, & totam Hobbii Doctrinam de Legibus Naturæ & Imperii subruit. Illa enim tota primò supponit, non probat, nec limitat jus ad vitam hanc mortalem conservandam tanquam Legum omnium naturalium, & societatis fundamentum, & in mediis quibusdam, sæpe sanè enormibus, ad eum finem applicandis tota versatur: *Lib. de Cive. c. 1. §. 7.* & deinceps.

Atque ita pronunciandum est de origine Mei & Tui: Proprietatis & Dominii (lato sensu verborum) si abstrahamus à Revelatis in historia Mosaica, quod necessariò fecerunt Philosophi, qui eam non acceperant. Dato autem à Natura hoc divisionis introducendæ exemplo, facile est & mentis genio congruum, à Paritate Rationis, ex observatis, quæ singuli experiuntur, communionis incommodis procedere ad ulteriorem rerum, & operarum humanarum Divisionem, atque ad plenius Dominium in utraque, quod perpetuum quodammodo sit introducendum, progredi, ut omnium utilitati consuleretur.

§. XXIII. Non expectabit opinor Lector, ut recenseam gravissima mala quæ ex Paritate posita inter omnes, aut ex communitate Uxorum, Liberorum, Bonorumque omnium; de his enim abundè scripserunt alii. Vide Aristotelem *Politicorum 2.* ejusque Commentatores. Quæ enim ille de Civitate particulari dixit, facile accommodari possunt ad universalem Civitatem ex humano genere subditis, Deóque Rectore constitutam. Satis est quòd perpetua docet

docet Experientia in rebus, ubi aliqua Communitas adhuc relinquitur, propter immensas contentiones plerumque rem ad Divisionem pervenire. Uti in *Pandectis* Paulus, Titulo de servitutibus præd. urb. Lege in re communi. Quódque Theodosius olim Codicis *Lib. 10. tit. 34.* observavit, Naturale esse vitium negligi quod communiter possidetur, útque se nihil habere qui non totum habeat, arbitretur. Enimverò pericula quæ è contentionibus, & penuria, quæ è neglecta Terræ cultura oriantur, præsertim postquam auctus est Hominum numerus, & abundârint vitia ex ignorantia & neglectu disciplinæ orta, res humanas eò redigerent, ut omnibus non minùs obvium esset judicare, æquè necessarium esse ad omnium fœlicitatem, ut & rerum possidendarum, & officiorum ab hominibus sibi mutuò præstandorum divisio fiat in futurum permansura, quàm fuerit ut nenessariis ad vitam, postquam ad manus suas devenerint, ad tempus uterentur.

Indè autem sequitur, Naturam eodem modo concedere jus ratæ cujusdam, & durabilis rerum & officiorum divisionis, (quod directius Dominium dicitur) quo supra ostendimus, ipsam conferre jus utendi præsentibus necessariis. Notissimum certè est futurum rerum aut operæ humanæ usum eandem habere Relationem ad vitam cujuslibet, ac valetudinem futuro tempore conservandam, quam habet præsens earundem fruitio ad vitam hodiernam; utrobique scilicet est Relatio causæ necessariæ. Quapropter idem ferè hîc fit, quod in proportionibus Geometricis, ubi è datis tribus terminis invenitur quartus; & meritò existimemus, Naturam humanam in statu Naturæ, quámque Hobbius supposuit, ita ratiocinari posse. Quemadmodum jus ad vitam hodiernam evincit jus ad necessarias ejus causas conservantes; limitatum scil. divisúmq; rerum & operæ hominum usum, dum nunc ad manum sunt: ita jus etiam ad vitam in tempus futurum, jus ostendit ad usum rerum, & personarum pro futuro limitandum. Non opus est hîc artificiosâ

multiplicatione & divisione quæ requiruntur ad quartum inveniendum in numeris majoribus; sed obvia est cuivis homini sano ejusmodi ratiocinatio, quæ indies ab omnibus fit, etiam dum non advertunt animum, nec terminos distinctè in hujusmodi formam disponunt. Ostendimus autem duos priores terminos dari à Natura. Tertium autem Terminum ideo patet dari, quoniam nihil habet quod non notum sit ab omnibus. Omnes enim Homines prospiciunt in futurum; & tanquam probabile quid supponunt se, aliósque Homines, aut etiam suos aliorúmque posteros, aliquandiu in Terris permansuros esse, & jus habere vitam sibi conservandi. Immò futura providere è longinquo, & de iis solicitè meditari hominibus, præ cæteris animalibus, peculiare est, & de causis rerum, quæ menti suæ obversantur, disquirere. Pervenient itaque ad quartum proportionalem prædictum, causas scilicet certas & limitatas vitam suam in futurum conservandi, quæ aliæ non sunt, quàm divisi rerum & operarum humanarum usus, communi consensu rati certíque faciendi in futurum, sublatis contentionum periculis, & exulante penuriâ quam supposuimus experientiam docuisse è neglecto rerum cultu ortum traxisse.

Est autem ratiocinatio hujusmodi à casuum exacta similitudine adeò firma, ut evidentia sua æmuletur methodum Geometricam Euclidis. 6to. doctam, quâ, datæ parallelam ducendo, quartam reperit proportionalem, & facilitate eandem superet; quam tamen à ratione naturali suggeri nemo negabit. Hoc autem divisionis ulterioris exemplo illud primò ostendetur, quomodo è mutatis hominum circumstantiis (aut consideratis quibusdam, quæ quia essentialia non erant, in universali primâque humani generis notione non continentur) necessitas novarum actionum humanarum in ordine ad bonum publicum oriatur; & quâ ratione, è necessario earum influxu in hunc effectum, jus eas eliciendi nascatur, in statu quo regimen

men Civile nondum constitutum supponitur. Nec ullum, his suppositis, jus erit quicquam faciendi, præterquàm quod recta ratio aut ad commune bonum necessarium esse dictaverit, aut saltem cum eo consistens; quorum primum ideo à ratione jubetur, posterius permittitur, quod latiùs explicamus in capite *de Legibus Nat.* Illud tantùm hîc diligenter inculcandum censui, jus omne, etiam ad usum eorum quæ verè necessaria sunt ad cujusque conservationem (quatenus à mera vi hæc arripiendi distinguitur, quo sensu ejus origo nunc quæritur) fundari in jussu, aut saltem in permissu legis naturalis, *i. e.* rectæ Rationis de necessariis ad bonum commune, juxta rerum naturam, pronunciantis. Ideoque sciri non posse quenquam jus habere semetipsum conservandi, nisi sciatur hoc ad Commune Bonum conducere, aut saltem cum eo consistere. Si autem hic sit ortus juris nostri ad nostram conservationem; ex eodem fonte, adeò limitabuntur vires nostræ, ut in aliorum paria jura nequeamus involare, nec in bellum contra omnes, hoc est in commune omnium perniciem, erumpere.

Breviter assero, jus à mera potentia distinctum, etiam ad nosmet tuendos, intelligi non posse sine respectu ad concessa à Lege Naturæ, quæ omnium saluti consulit? omniáque vera argumenta quibus quisquam jus sibi ullum arrogare possit evincere, dari Legem illam, eámque valere pariter ad alios simul tutandos. Secundò autem, quoniam jus ad hujusmodi divisionem faciendam è Boni tantùm Communis cura deduci potest, apertè sequitur tum Dei dominium in omnia intactum servari, tum etiam nullum jus dominii in alios cuivis homini, ex hoc principio, concedi posse, quo licitum illi fiat aliis innocentibus Necessaria sua adimere; verùm è contrà, jus Imperii illis ideò dari, ut omnium jura muniantur à malis contentionum, & augeantur quantum rerum natura, obstetricante hominum industriâ, patietur.

§. XXIV. Deductâ hactenus breviter, è Lege Communis Boni studium imperante, singulorum Rationalium proprietate in rebus saltem necessariis, datur jus aliquod quod quisque suum esse meritò asserat; eâdemque lege alii omnes id illi tribuere tenebuntur, quod in definitione justitiæ innui solet. Visum est porrò distinctiùs ostendere quales actus naturaliter idonei sunt ad publicam fœlicitatem promovendam; indè enim innotescet, quales singulis & permittendi sint & imperandi. Manifestum autem est, inprimis necesse esse ut abstineamus à noxa qualibet cuilibet innocenti inferendâ. Partis enim cujuslibet damnum cedit in detrimentum totius, nisi propter culpam in publica commoda admissam infligatur. Hinc omnis invasio alieni prohibetur, omnísque noxa menti, corpori, bonis, aut famæ cujuslibet illata, toti aliquid detrahit. Hinc etiam eâdem lege naturali necesse est propter bonum publicum imperari reparationem damni injuriâ dati, quâ suum cuique tribuendum esse pronunciatur. Secundò autem manifestum est maximum hunc nobilissimúmque effectum produci non posse solâ abstinentiâ à maleficiis: verùm necesse esse, ut Symbolum quisque suum conferat, per verum, certum, & perpetuum rerum viriúmque suarum usum hunc in finem. Aliter enim fœlicitas publica non erit maxima quam possumus efficere, nostræque similiter deerimus beatitudini. Hoc itaque nomine præcipitur, ut si quando finis summi natura postulat, ut jus aliquod nostrum in alium transferamus, sive per donationem in præsens, sive per promissum, pactúmve de futura præstatione, translationem illam validam ratámque faciamus, non delusoriam. Sola enim valida quam dixi rei operæve nostræ translatio in usum alterius quicquam conferre potest ad effectum nobis præstitutum. Hinc oritur Fidei dandæ servandæque obligatio; Collocatur autem opera nostra sapientissimè fœlicissiméque, in prosecutione Boni Communis omnium Rationalium, si secundum hunc ordinem actus nostri exerantur.

Primò

Primò ut causis perceptivis Boni communis, nostríque adeò, primùm grata fiant; hoc est, ut quisque se gratum præstare curet erga Deum, Rectores, & Reipublicæ summam (posito cumprimis quòd existant,) Parentes aut quoslibet beneficos, præsertim verò mediatores Pacis, seu Legatos. 2. Ut suam quisque conservationem quærat, ac perfectionem ulteriorem. Salvis semper aliorum juribus, per innocentiam illam quam antea imperari ostendimus. Huc refero ut quilibet studeat Mentem suam utili cognitione ac virtutibus ornare, & corporis sui vitam, sanitatem, & pudicitiam tutari. 3. Ut familiæ prolique consulent, quâ (præterquam quòd ea parentum est substantia in eandem cum ipsis speciem efformata, unde communia humanæ naturæ jura meritò sibi vendicent) & præsentis sæculi ingruens senectus, & futuri spes omnis fulcitur. Ad prolis autem curam amorem refero erga consanguineos, (qui parentum sunt proles) & erga posteros quoscunque. 4. Ut curent singuli alios omnes mutuis officiis demereri; commodos se præstare sine cujusvis detrimento, in ejusmodi actibus, qui humanitati tribui solent, quales sunt viam monstrare, lapsum erigere. In horum autem probationem non opus est quicquam adjicere, præterquam quòd ad conservationem cujuslibet Aggregati cujus partes sunt in motu (adeoque totius humani generis) necesse est ut illud corrumpentia, præsertim quæ in intimis illius partibus contingant, tollantur: útque certa fiat motûs communicatio inter ejus partes, nec non ut ejus conservandi causæ, ejusque partes essentiales omnes foveantur, non solùm ea quæ nunc existunt, sed & illa, quæ posthac per motum eidem aggregato intrinsecum generabuntur, utque cedant partes ejus, motúsque qui ad totum minorem habent rationem, iis quæ ad idem proportionem habent majorem. Vix enim quicquam dici potest apertius quàm generalis hæc propositio, quæ à definitionibus contrariorum seu corrumpentium, totius & partis, causæ & effectûs immediatè fluit;

C 5 quæ

quæ tamen per omnia respondet iis quæ ad generis humani conservationem, in sectione præcedente, diximus esse necessaria.

§. XXV. Ne tamen quicquam desit, quod hujusmodi cogitationes in animos hominum introduceret, earúmque inter se nexum necessarium evinceret, exemplorum abundè satìs in variis rerum generibus ob oculos ponit Natura. Cujuslibet animalis natura consideretur velut aggregatum è partibus admodum diversis coagmentatum; ea verò sese iis quos dixi modis ad tempus à Natura Universali præstitutum tuetur (1) expellendo, quantum valet, noxia quæ diligenter admodum à succo vitali secernit; (2) Sanguinis, aliorúmque fortè liquorum utilium, ut lymphæ, bilis, & laticis nervosi, motu in se refluo; (3) partium absumptarum reparatione per similium quasi progeniem novam; (4) & mutuis singulorum officiis secundum generales motûs leges præstitis, quæ tamen non obstant quo minùs singulæ sibi sumant quod ipsis alendis & roborandis sufficiat: Quòd si diversorum animalium, ejusdem tamen speciei, actus erga se invicem spectare libeat, manifestum est ea suam speciem conservare, innocentiâ quâdam, aliquali beneficiorum compensatione, limitatâ φιλαυτίᾳ, & prono in prolem suam affectu. *Parcit cognatis maculis similis fera,* Juven. Sat. 15.

Denique si Mundum hunc aspectabilem velut machinam pulcherrimam cum Cartesio, aliisque libeat contemplari, videas hunc in quo versamur vorticem non aliâ ratione indies conservari, quàm obnitendo contrariis vicinorum aliquot motibus; corpora figuris, aut motibus minùs congruit prædita mutando, aut summovendo; reciproco partium suarum in se motu; species rerum varias propagando, ejusmodi motibus quibus individua quæ nunc sunt, produxerit; & efficiendo ut ejus partes aliæ aliis cedant, pro ratione quam earum dimensiones & motus inter se & ad totum habuerint. Verùm statui hujusmodi hypo-

hypothesibus non immorari, quamquam nôrim quòd etiam ficto argumento uti liceat, si modo leges motûs naturales accuratè in ejusmodi figmentis fuerunt observatæ; id autem à Cartesio summâ fide & industriâ præstitum fuisse, in plerisque hypotheseos suæ partibus, liceat affirmare. Interim quæcunque tandem hypothesis sumatur, quâ Naturæ phænomena explicentur, necessariò agnoscendæ veniunt tales leges motûs, quæ inter omnes mutationes naturales, iis quos dixi modis Systematis Mundani statum conservant. Hoc autem cùm fit, exemplo exhibetur nobilissimo, quænam necessaria sunt ad Aggregati maximi pulcherrimíque conservationem; cujus consideratio non potest non homines deducere in certam cognitionem, quòd actus humani his non absimiles, causæ sint non minùs idoneæ universam compagem humani generis conservandi, beandique. Quapropter ego etiam specialia de motu Theoremata (quæ ejus Leges dici consueverunt) è quorum necessaria observatione effecta, quorum memini, generalia oriuntur, non inutiliter in hunc finem considerari posse judico: Verùm quia hoc nimis longè distat à scopo in quem præcipuè collimo, rogandus est Lector Philosophus, ut hæc potiùs ab experientia velit haurire, aut apud Galilæum, Cartesium, Wallisium, Wrennium, Hugenium, Scriptores celeberrimos, eadem legere. Omnia tamen ex hoc supposito deduci possunt, quòd motus, postquam materiæ à prima causa imprimitur, non annihilatur; eo autem ipso quòd in Mundo pleno existit, necessariò usque propagatur & in se recurrit. Vice versâ autem omnia motûs Theoremata in Rerum Natura sensuum ope observata suppositionem prædictam veram esse demonstrant. Mihi impræsentiarum sufficit, quod in quocunque statu supponantur Homines existere, potestas ea quæ dixi faciendi planè necessariò iis permittenda est, ut eorum Aggregatum seu genus Humanum conservari possit; & quòd voluntas sic efficiendi non minùs necessaria sit

ad

ad actualem hominum fœlicitatem : Quin etiam ad hæc capita quicquid necessarium est, ad hunc effectum reduci potest.

§. XXVI. Ea autem omnia quæ de necessario nexu inter Actus prædictos & commune Bonum diximus, in hunc perpetuò collimant scopum, ut per Relationem ad hunc effectum immutabiliter determinetur natura actuum humanorum, in quibus pietas, probitas, virtúsque omnis consistit. Relatio enim inter causas integras (*i.e.* consideratas in omnibus suis circumstantiis ad efficiendum requisitis) & suum effectum est prorsus immutabilis. In omni statu tam communitatis, quàm rerum divisarum, Actus humanus, quo cavetur ne hominum universim aut animus mendaciis ac perfidiâ lædatur, aut ne eorum vita, fama, pudicitia violetur, & quo Benefactoribus vices rependuntur, aut quo cuiquam ejúsve posteris, sine aliorum noxa consulitur, semper erat, erítque Causa Boni communis, ideoque virtutis nomine insigniendus. Id unicè curandum est, ut effectum spectetur satìs amplum ; ut nempe toti aliquid accedat, aut saltem nihil detrimenti illud patiatur, dum parti ejus alicui studemus gratificari : secùs si quid fiat, vitio vertendum est. Eo autem ipso quòd rerum natura hominibus notum faciat, hujusmodi Actibus Commune Bonum (in quo ipsorum propria Fœlicitas continetur) obtineri posse, ídque in summo gradu, qui quidem ipsis sigillatim possibilis est ; contrarios autem actus necessariò pariter miserum rebus humanis statum introducere, atque hæc fieri propter nexum à primæ Causæ voluntate factum inter tales actus & effectus suos ; evidenter colligitur, eâdem primæ Causæ voluntate homines obligari ad virtutem exercendam, vitiúmque fugiendum sub pœna Fœlicitatis amittendæ, aut propter spem ejusdem acquirendæ. Innumera autem ipsi perpetranti mala cum actu quovis aliis nocivo naturaliter cohærent. Nam & ipse, quia principiis practicis (quæ ipsi nota sunt) melioribus contradicit, animum suum

sibimet

ſibimet infenſum reddit, ut ſe judice non abſolvatur; & qui vel ſemel temeritate, ac cæcis affectibus potiùs quàm rationis ſuæ conſilio ſe tradit ducendum, faciliùs ab iisdem poſtea abripietur, unde tandem facilè ſibimet perniciem accerſat: verùm etiam exemplo tali aliis præit, quòd mirum in modum in ipſius damnum trahatur: ſuſpicionem & diffidentiæ cauſas auget, quarum ipſe aliquando incommoda experietur.

Quin etiam omnis illa pœna in actu ejusmodi vitioſo, velut in cauſa procatarctica ſeu meritoria continetur, ad quam infligendam (ut coerceantur malefici) agentia quælibet Rationalia ex amore naturali Boni publici, ſuíque excitantur.

Cauſæ autem impulſivæ vis, quæ in actibus humanis latet, quamquam ſolos Rationales moveat, Deum puta, & homines, magni tamen eſt momenti, & ideo ſemper conſideranda priusquam actum aliquem exeramus, ne eo vel inviti in caput noſtrum perniciem accerſamus. Quippe è Deo, hominibusque qui meriti aut demeriti vim, à relatione ad Bonum commune ortam, in actibus noſtris expendent, tota pendet ſpes noſtra: Deum autem occultè geſtæ nequitiæ conſcium eſſe, eámque punire, importunus fortè viderer, ſi poſt tot Philoſophorum veterum, ac recentiorum, tot etiam Patrum Chriſtianorum ſcripta, probàre aggrederer; præſertim cùm is, cujus dogmata in examen revoco, id nuſpiam quod memini negaverit. Nihilominus modum quo hoc naturaliter agnoſcitur poſtea, indicavi, ubi pleniùs ſententiam meam de obligatione legum Naturæ trado. Homines præterea (quorum intereſt univerſim ut ampliſſima vigeat benevolentia, & juſtitia) quia cognoſcent, & punient iniquè facta licèt occultiſſima, ſecurus eſſe non poteſt cujusvis flagitii auctor. Mille modis quos nemo devitare poſſit, occulta ſcelera deteguntur. Ipſi ſæpe ſe prodiderunt flagitioſi in ſomniis, in deliriis, in ebrietate, aliisque affectibus inopinatò abrepti. Atque hæc ipſe

Epicu-

Epicurus, ejúsque sequaces fassi sunt, qui Divinæ Providentiæ metum magnoperè conati sunt excutere, qui tamen hominum metum excuti non posse passim docuerunt. Videantur ratæ Epicuri sententiæ cùm Gassendi annotatis. Illud solùm adjiciam, quòd præter vindictam divinam, quam scelerum occultissimorum ultricem improborum ferè omnium Conscientiæ perhorrescunt, inter homines, etiam extra regimen Civile consideratos, præstò est ut plurimùm vindex nequitiæ cujuslibet postquàm fuerit detecta. Quippe cùm omnium intersit ut flagitia puniantur, quilibet, cujus vires sufficiunt, jus habet pœnas illas sumendi, quas publici Boni ratio postulat ut ab aliquo sumantur. Sublatâ (scilicet) per hypothesin omni imparitate inter homines, locum habet illud, Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Nec certè Hobbius qui singulis eo in statu jus bellandi in omnes tribuit, gladium justitiæ scelerum ultorem iis meritò denegare poterit. Nec idoneam video rationem, cur ille qui legibus Civilibus obligandi vim accedere docet ex annexis pœnis, metúque indè exorto, non aliquam legibus Naturæ obligationem, etiam ad actus externos, accrescere agnosceret, sive à pœnis quas prævidet conscientia à Deo infligendas, sive etiam à pœnis quas quilibet homo in statu naturali à legum Naturalium transgressore sumere jure potest. Formidandæ sanè essent tot ultorum manus, & mirum nisi ex iis aliquis & viribus & fortitudine satis instructus sit, ut Communis Boni contemptum possit ac velit ulcisci.

Quin & ipse Hobbius pœnas hujusmodi naturales observari posse, agnoscit alibi *Leviath. cap. 31.* propè finem; asserítque, *quòd peccata non constitutione, sed naturâ consequantur. Nulla ferè est actio humana, quæ non sit initium catenæ cujusdam consequentiarum adeò longæ, ut ad finem ejus prospicere Providentia humana nulla possit. Concatenantur autem accidentia jucunda, & molesta adeò insolubiliter, ut qui jucundum sumit, molestum quod adhæret,*

quam-

quamquam improvisum, necessariò accipiat. In editione *Leviathanis* in lingua vernacula apertiùs rem exponit, & addit, *eventus ejusmodi molestos, seu dolores naturales esse pœnas earum actionum quæ pluribus malis, quàm bonis initium dant.* Sic Intemperantia morbis naturaliter punitur, temeritas infortuniis, injustitia violentiâ inimicorum, vim inferentes punit vis aliena; & dein concludit pœnas hujusmodi naturales legum naturalium violationem consequi, ut effecta naturalia non arbitraria.

Idem tamen Hobbius, etiamsi belli classicum in omnes eo in statu canat, causam tamen hanc, in pœnam nempe commissorum in bonum publicum, seu in illius tutelam contra invasores prorsus neglexit: sed omnes in prælia committit, ut auferant ab iis quæ jure possident aut sibi vendicant *Lib. de Cive, cap. 1. §. 11. 12.* Cúmque effectus immediatus Juris, invasorem *v. g.* puniendi sit obligatio ad abstinendum ab eo crimine, Hobbius causam, nempe jus puniendi, in omnibus agnoscit, agnito jure belli; at effectum, nempe obligationem inde natum (aut potiùs indicatam) nullum videt. Agnoscit virtutes penè omnes ad pacem & mutuam defensionem esse necessarias, Hominésque convenire hunc statum pacis bonum esse, bellúmque (in quo jus puniendi delicta includitur) naturaliter cohærere cum neglectu moralium virtutum, & tamen non videt belli illius velut pœnæ metu obligari homines ad actus externos earundem virtutum quarum actus interni soli pacem ac defensionem mutuam, quas natura dictat sequendas esse, non servabunt. Confer *cap. 3. §. 27.* cum *§. 31.*

§. XXVII. Quoniam autem è generali hac rerum omnium consideratione breviter ostendimus; Necessarium esse ad commune Bonum, ut Rationales omnes constanter velint, ut rerum usus, ac hominum operæ mutuæ, ad tempus saltem quo singulos juvant, dividantur, seu velut illis propria spectentur; nec non dictamen hoc rationis illud observantibus præmia, violantibus pœnas pronuntiare;

idém-

idémque necessariò humanis mentibus imprimi, Deúmque ideo, naturalium effectuum omnium causam, auctorem habere, ac vindicem, in quibus vis tota Legis continetur; opportunum erit, pari brevitate Hobbianum dogma, de jure omnium in omnia, examinare. Quippe uti nostrâ sententiâ universæ Justitiæ, adeoque omnis virtutis fundamenta stabiliri censemus; ita hâc illius huc oppositâ eadem (quantum in ipso est) prorsus subrui arbitramur. Hobbius itaque libro *de Cive cap. 1. §. 10.* pronunciat; *In statu naturali* (*i. e.* semotâ Civitatis authoritate) *unicuique jus esse in omnia*, idque sic explicat; *unicuique licere facere quæcunque & in quoscunque libet, seu omnia habere & facere*, ut in conclusione istius articuli dicitur. Immanem hanc licentiam in jure naturæ necessariò contineri, probare conatur ibidem ex iis quæ articulo nono tradiderat, aliisque à septimo ad finem Annotationis decimo subnexæ. Quæ quia verbotim describere non tanti esse reor, rogandus est Lector ut attentè consideret, an non eorum vim omnem in hunc Syllogismum rectè contraxerim. In Statu Naturæ unicuique jus est, seu licet, omnia habere, ac facere in omnes, quæ ipse ad sui conservationem necessaria judicabit. At omnia habere, & in omnes omnia facere, unusquisque ad sui conservationem necessarium judicabit. Ergò unicuique hoc jus est, seu licet.

Immò, nè cui fortè ad manum non sit Hobbii Libellus, & ne suspicetur me illius argumentum non rectè exposuisse, transcribam compendium ratiocinii hujusce Hobbiani quod ipse hisce verbis conscripsit in Annotatione ad artic. 10. *Unicuique jus est se conservandi* per artic. 7. *Eidem ergo jus est omnibus uti mediis ad eum finem necessariis:* art. 8. *Media autem necessaria sunt quæ ipse talia judicabit* per art. 9. *Eidem ergo jus est omnia facere & possidere quæ ipse ad sui conservationem necessaria esse judicabit. Ipsius ergo facientis judicio id quod fit, jure fit, aut injuriâ: itaque jure fit.*

Verum

Verum ergo est (quod propositum erat) In statu naturali unicuique jus esse, omnia facere in omnes &c. Ex ultima illa consequentia, unicuique jus est omnia facere & possidere, quæ ipse judicabit necessaria, *&c.* Ergo unicuique jus est omnia facere in omnes & possidere. Manifestum est subintelligendam esse hanc propositionem minorem: At omnia possidere, & facere in omnes unusquisque judicabit esse necessarium ad sui conservationem: aliter enim ex data majore conclusio non sequeretur. Syllogismi autem illius utraque præmissarum falsa est; & primò quidem minor illa subintellecta, quam videtur adeò evidentem præsumere, ut eam nè proferat quidem, nedum ut probet; nisi fortè existimet eam satis probari ex eo quod §. 7. dixit; *Ferri unumquemque ad appetitionem ejus quod sibi bonum est, idque naturali necessitate, non minori quàm quâ lapis deorsum fertur.* Non enim video, etiam hoc concesso, cur unusquisque judicet omne bonum sibi necessarium esse: Certè ipse Hobbius alibi *cap. 1. §. 4.* de nonnullis concedit, eos aliter censere, his verbis; *Alius enim secundum æqualitatem naturalem permittit cæteris eadem omnia quæ sibi, quod modesti est hominis, & vires suas rectè æstimantis.* Certè si secundum rectam rationem statuat, qui aliis sibi paria permittit, nullum jus sibi acquirere potest ex irrationali suo judicio, quisquis sibi omnia, velut ad sui conservationem necessaria, arrogaverit. Ipse enim Hobbius *Jus* definivit *cap. 1. §. 7. libertatem facultatibus naturalibus utendi secundum rectam rationem:* non itaque jus erit cuiquam æqualitatem naturalium (quam rectam rationem dictare modò fassus est) perturbandi.

Quin etiam si singuli secundum rectam rationem judicarent, cùm eodem tempore statuerent plenam rerum omnium & personarum dispositionem, usum, & fruitionem juxta suas sigillatim voluntates, ab invicem diversissimas, necessariam esse ad singulorum conservationem, liceret indè concludere rem ita esse. Semper enim res ita est, uti recta

ratio pronunciat. Contrà autem & corporum omnium, motûsque natura, & communis experientia testatur impossibile esse ut corpus quodlibet (nedum omnia) tot oppositis simul agitetur motibus, quot oppositæ essent Hominum de illius usu voluntates : adeoque illud in rerum natura esse impossibile quod Hobbius supponit singulos secundum rectam rationem judicare necessarium.

§. XXVIII. Vident nunc opinor Lectores causam, cur obvium illud observatum, limitatas nempe esse vires, usúsque rerum, & personarum, inter notitias inprimis necessarias ad Legum Naturalium cognitionem posuerim. Hinc enim & fundamentalis error Hobbii detegitur, & infertur veritas utilissima, nempe & usus rerum, & hominum operas necessariò dividendos esse, seu ad unum uno tempore determinandos, si quid velimus ut omnino efficiant, ideoque si publico velimus inservire : hinc etiam in pari Jure plurium ad res communiter perfruendas, primò occupantis potior semper fuerit ratio.

Atque hæc sufficiant de minore prædicti Syllogismi dixisse, quòd generalissimis notionibus in quibus Leges fundantur, adversetur. Major autem illius Syllogismi & ab Hobbio diligentius munitur, & à nobis pluribus oppugnanda est. Verùm non adeò opportunè hîc fieri potest, quoniam juris hujusce natura non adeò distinctè intelligi potest, nisi priùs legis naturalis notitia supponatur. Quam ob causam contra leges Methodi videtur Hobbius peccasse, qui licèt juris nomine apertè fateatur se libertatem intelligere à legibus relictam *cap. 14. §. 3.* eam tamen priùs supponit in hominibus, iisque immensam ejus extensionem tradit, quàm leges vel naturales tradiderit : & tamen certum est sine respectu ad illas velut priores jus intelligi non posse ; quæ quidem res magnis illius erroribus occasionem dedit. Quòd autem hoc modo peccavit Hobbius, ex ipsius definitione intelligatur, quæ *Jus* definivit *libertatem utendi facultatibus naturalibus secundum*

rectam

rectam rationem ; quæ ipsissima est Lex Naturæ ab illo nondum tradita. *cap. 1.* §. *7.* Nihilominus quoniam hic Syllogismus præ manibus est, considerabimus breviter quomodò Majorem illam probet, ut ejus falsitas clariùs pateat. Probatio autem illius, in formam syllogisticam à me redacta sic se habet. Unicuique jus est omnia possidere, & in omnes facere quæ judex ad vitæ cujusque conservationem necessaria esse judicaverit. At quæ ipse necessaria judicaverit, ea judex ad illius conservationem necessaria judicat. Ipse enim est judex de necessariis ad suam conservationem per *art. 9.* Ergo. Sensus majoris propositionis his verbis quæ reperiuntur *art. 10.* continetur. *Judicem autem an verè conducant nec ne ipsum constituimus; ita ut habenda sint pro necessariis, quæ ipse talia judicat :* & per *art. 7. jure naturæ fiunt, & habentur quæ necessariò conducunt ad tuitionem propriæ vitæ & membrorum.* Ego verò Majorem illam falsam esse assero (1) quia ob majus bonum, *viz.* mentis salutem, Dei gloriam, & commune hominum bonum ipsa vita profundenda est. Isthæc deserenda non sunt, etiamsi necessarium esset ad vitæ conservationem : (2) Quoniam potest judex in statu naturæ falsò pronunciare ea necessaria esse, quæ reverà necessaria non sunt. Nec ulla dari potest ratio, cur in statu naturæ valeret sententia judicis ad jus cuiquam conferendum, siquidem illa à judicii norma dissentiat. Judicii autem norma illo in statu sunt leges naturæ, & rerum naturæ è quibus illæ hauriuntur : ita ut eodèm res recidat, si utramvis harum pro norma judicii sumas. Cogitari non potest status in quo vel nulla sit norma judicii humani, vel quicquid liberè mens statuat, res tales statim evadant, quales illas esse ea temerè judicaverit. Utilitas rerum ad vitæ humanæ conservationem, multóque magìs necessitas rerum ad eum finem è rerum viribus naturalibus pendet, nec mutari potest ab arbitrio hominum. Si quis in statu naturæ aconitum judicaverit herbam esse utilem, aut etiam necessariam ad

corporis ſui nutritionem , adeoque ejus ſucco copiosè ſe ingurgitaverit, non ideò ſalubre fiet alimentum, ſed (repugnante licèt judicis hujus ſententiâ) ipſum enecabit. Nec minùs determinata eſt efficacia eorum quæ toti hominum aggregato bona ſunt aut mala, ſive illa ſint actiones voluntariæ hominum (de quibus pronunciant leges naturales, ſeu moralis Philoſophia) ſive ſint vires naturales eduliorum, & pharmacorum (de quibus nos inſtituit medicina) nec mutantur ſententiis hominum, utut Judices illi fuerint, à quibus nulla permittitur appellatio. Secundum easdem inviolabiles motûs leges agunt cauſæ illæ univerſales, quæ multis ſimul proſunt, aut obſunt, ac particularis quælibet cauſa, aconitum puta, quod unius tantùm vitam eripit.

§. XXIX. Error autem hic Hobbii de vi ſententiæ illius (quæ falsò pronunciat *dominium quoddam in omnes & omnia neceſſarium eſſe ad ſui conſervationem*) ad acquirendum cuilibet jus hoc immenſum, indè natus eſt, quòd viderit in ſtatu Civili ſupremi judicis ſententiam valere apud ſubditos, utut pronunciaverit ſecùs quàm rei natura poſtulaverit. Verùm hoc (probabili tantùm fundamento nixum) ad finem litibus imponendum in civitatibus ex conſenſu partium introductum eſt. Nec tamen ſententia Principis eò usque valet, ut res ſuâ naturâ aut impoſſibiles, aut non neceſſariæ ad vitæ cujusquam conſervationem, fiant ad eum finem neceſſariæ. Transfert ſanè dominium in res, cui tenentur cives omnes non repugnare : omnes quippe cives ſupremum (ſi opus eſt) judicem velut arbitrum omnibus æquum agnoſcunt, ejúsque arbitrio in litibus ſe ſubjeciſſe intelliguntur. Præſumitur hic judex è peritiſſimis Juriſconſultis eligi, ut poſſit, & juramento ſe obſtrinxiſſe, quòd velit ſecundum leges notas, & allegata & probata in judicio ſtatuere.

Omnes interim id ſecum reputant ad communem fœlicitatem magìs conducere, ut pauci malum illud ferant,

quod

quod ex iniquiore ſententia (ſi quando poſt ſummam hanc cautelam evenerit) ſequi poſſit, quàm ut lites, aut nunquam, aut bello finirentur. Adeò ut boni communis major cura, quàm ſingularis cujuslibet vitæ ſupponatur velut fundamentum prærogativæ hujuſce ſummis civitatum imperiis conceſſæ. In ſtatu autem Naturæ (quam ſupponit Hobbius, & definit conditionem hominum extra ſocietatem Civilem) manifeſtum eſt hæc locum non habere. Nam ubi quilibet eſt judex, ibi nulla excogitari poteſt peritia, aut probitas quâ judex alios antecellit, nulla poteſtas teſtes citandi, cæteráque faciendi quæ ad accuratam cauſæ cognitionem requiruntur; quod in Civilibus judiciis reperitur. Nulla in eo ſtatu omnium conventio ſupponenda eſt, quâ ſinguli & ſe, & res ſibi neceſſarias publico ſummarum Poteſtatum judicio, & fidei permiſerint. Nec ulla omnino eſt ratio, cur ingens hoc ſummarum Poteſtatum privilegium ſingulis in ſtatu naturali exiſtentibus, utcunque ignaris, & improbis, indulgeamus. Econtra autem certum eſt ſtatum Naturæ non aliam admittere dubii ullius finalem determinationem, præter eam è rebus, aut à fide natam evidentiam, quâ hominis menti omnis excutitur ſcrupulus, eíque planè conſtat ſe non falli: nullúmque diſceptandi inter plures finem eſſe niſi pars altera aut rationum pondere, aut opinione ſcientiæ, veracitatíſque alienæ mota in alterius ſententiam libens concedat. Hoc enim è natura judicii (cujus intimè conſcii ſumus omnes) innoteſcit, ejus dubitationem nullâ vi coactivâ, ſed ſolis argumentis tolli poſſe, eáque omnia aut è rerum natura, aut docentium authoritate, quam fides diſcentis amplexa eſt, deduci. Agnoſcit Natura diſcrimen inter judicium verum & falſum, rectam rationem & perverſam; & habet hoc privilegium Veritas rectáque Ratio quòd homini jus ea faciendi quæ illa præcipit, naturaliter competat. Quippe definitio juris indicat illud nihil aliud eſſe præter libertatem facultatibus naturalibus utendi ſecundũ rectam rationem.

Error autem, seu falsum animi judicium, sive fiat de necessariis ad vitam tuendam, sive de alia praxeôs materia, nemini jus facit id agendi quod falsò existimat ad vitæ suæ conservationem factu necessarium. Errantis enim ratio non est recta: nec potest quisquam secundum rectam rationem facultatibus uti (quod est jure agere) dum secundum errorem agit ei contradictorium. Crassus itaque est hic error Hobbii, quo docuit habenda esse omnia pro necessariis ad conservationem cujuslibet in statu naturali, quæ ipse necessaria judicat. Adeoque jus indè cuilibet competere quidlibet faciendi in omnes & omnia. Hobbio autem indecorum erat maximè hac in re, vel hoc in loco labi: cùm quia status civilis peculiare privilegium, cuilibet in statu naturali tribuere turpe fuit, etiam tum cùm statuum hujusmodi discrimina accuratissimè tradere præ se fert; tum quia quod naturâ impossibile est, nempe ut juxta oppositas hominum voluntates idem corpus in partes è diametro oppositas moveatur, ille necessarium esse jactat se demonstrâsse; ea enim conclusio præmissarum veritatem meritò suspectam reddet; tum quia omnia quæ Hobbio propria sunt in doctrina civili, subruto hoc fundamento sponte corruunt. Evanescit enim ille status belli quem cum statu naturæ necessariò cohærere hinc deduxit *art 12.* quoniam ex arbitraria cujusque sententia quemlibet alios omnes jus habere invadendi, quemlibet etiam inde pariter jus habere resistendi (è quibus bellum oritur) temerè conclusit. Collabuntur pariter cætera omnia quæ ex his principiis visus est sibi demonstrâsse. Verùm ea opportuniùs venient refutanda, ubi meliora pleniùs proposuero principia è quibus & leges Naturæ nascuntur, & libertas intra fines ab iis præscriptos relinquitur. Obiter hîc illud tantùm dicam, angustum nimis finem ab Hobbio, primo hoc capite quod examinamus proponi, meram (scilicet) vitæ, membrorumque tutelam. Hæc enim hominibus valdè miseris salva satis esse possunt. Angusta pariter media *cap. 1. §. 8.* nempe necess-

necessaria tantùm ab eo spectari. Nam universum hoc cujus incolæ nascimur, quodque primò se offert considerandum, innumera nobis suppeditat, quæ ad primæ suæ causæ cognitionem, ac honorem animum sollicitant: & si nosmet spectemus, mentium perfectionibus inserviunt, ac ipsi etiam corpori non modò vitam conservant, sed ad sanitatem, robur, agilitatem & pulchritudinem & ornatum sufficiunt. Hæc insuper omnia, æquè ac necessaria ad vitam, & legibus naturalibus in eorum usu nos dirigentibus materiam, & libertati, juxta rectam rationem exercendæ, locum præstant. Cùm autem hæc ex observatione innotescant non admodum accuratâ, adeò ut Hobbium latere non possent, facilè quilibet conjiciat quam ob causam juri, legibúsque naturæ finem assignârit non ampliorem quàm caducæ hujusce vitæ conservationem; ac si hominibus ut suibus anima tantùm pro sale data esset ad arcendam à corpore putredinem; interim ad obtinendum exiguum adeò finem omnia unicuique dedit tanquam media necessaria. Hîc autem tantundem in excessu peccavit quantum ibi in defectu: nec unquam turpiùs peccari potest à quopiam contra rectam Rationem, quàm finem optimum negligendo, & impossibilia pro mediis necessariis reputando.

§. XXX. Frustrà autem à primæva quam aliqui à Philosophis supponunt, aut historiæ quædam docuerunt, rerum communitate, absurdissimo suo juri omnium in omnia patrocinium quærit Hobbius. Nam præterquam quòd dominia privata ab Adæ temporibus juris receptissimi fuisse docuit Seldenus; probavítque è donatione divina *Gen. 1. 28.* uti videre licet *Mari clauso, lib. 8. c. 4.* certum est insuper tum Philosophos, tum Historicos existimâsse juris ejusmodi universalis usum hactenus vim habuisse proprietatis, ut quod sibi quisque arripuerat, id ei eripere alter nisi per injuriam non poterat. Similitudine hoc intelligi potest Ciceronis *de finibus 3.* Theatrum cùm commune sit, rectè

tamen dici potest ejus esse eum locum quem quisque occupârit: vid. Grotium *de jure belli, lib. 1, cap. 2.* Nemo autem mortalium ante Hobbium asserere ausus est Jus tale cujusque in omnia, quod, ipso teste, in se continet jus in omnes regnandi, ipsi naturæ coævum *cap. 15. §. 2.* scilicet ab infantia; quamquam eodem teste in potentia fundatur: quódque efficiat ut nihil sit alienum *cap. 14. §. 9.* adeoque ut impossibile sit alienum invadere, & simul licitum omnia sibi vendicare: ut omnis concubitus sit licitus, nè eo quidem excepto quem fides alteri data prohibet; cujus vi suscipere licet bellum in omnes, adeoque quemlibet licet occidere, etiam innocentissimum: unde omnia proprio cujusque judicio definienda sunt; ideoque honores etiam paterni pro libitu tribuendi, aut negandi. Oblitus est interim se alibi dixisse *cap. 1. §. 10.* in Annotat: Filium in statu naturali esse intelligi non posse, adeoque nec jus hoc huic statui proprium in filiis locum habere. Ejusdem etiam farinæ est, quod in calce ejus articuli noni *cap. 14.* addidit, nullum usum esse testimonii dicendi neque veri, neque falsi in statu naturali, quia nulla erant judicia publica: ac si judex privatus non opus haberet testimoniis ad sententiam ferendam, si arbiter inter litigantes eligeretur; aut si falsum testimonium in tali casu non esset peccaminosum (utpote contra commune bonum) quamvis nullæ adhuc existerent leges Civiles, quales ille præcepta secundæ Tabulæ Decalogi esse ibi contendit. Addi possit hîc illud Hobbii quod aliquando expresse agnoscit quòd in ratiocinatione falsa, *sive in stultitia hominum officia sua erga cæteros homines ad conservationem propriam necessaria non videntium (quidni & non observantium?) omnis consistit legum naturalium violatio cap. 2. §. 1.* in Annotat. & *cap. 3. §. 27.* Leges naturæ in statu naturæ agnoscit obligare in foro interno sive in conscientia, ergò obligant saltem ad rectè judicandum *omnia, & dominationem in omnes non necessariò requiri ad uniuscujusque conservationem.* Quod si quis obliga-

obligatur ita judicare, frustra erit judicium illius qui contrà sentit, nec è crasso errore illi jus illud portentosum in omnia enascetur. Breviter dicam, nullum esse potest jus faciendi contra legem Naturæ, seu dictamen rectæ Rationis, quia *Jus* definitur *libertas agendi secundum eam*. Ratio autem recta, uti ostendimus, indicat necesse esse ut fiat divisio rerum, & Hobbio fatente vetat retineri jus ad omnia *cap. 2. §.3.*

§. XXVI. Pergamus itaque ad examinanda cætera quæ protulit Hobbius ut vesanum hoc dogma stabiliret. In initio Annotationis suæ ad decimum articulum *c. 1.* hoc suggerit, *quod quis fecerit in statu merè naturali, id injurium homini quidem nemini esse, quia injustitia erga homines supponit leges humanas, quales eo in statu nullæ sunt.* Concedit tamen etiam tum in Deum & leges naturales peccari posse. Verùm frustra & sine probatione sumitur hoc quod falsissimum est, injuriam erga homines supponere leges humanas. Quippe à rectæ Rationis dictatis, quamquam sint solius Dei leges naturales, homini jus accrescit ad ea quæ Ratio hæc dictaverit ei à Deo concessa esse, *v. g.* innocenti jus accrescit ad vitam suam, ad membrorum integritatem, ac alimenta necessaria sine quibus bono communi eum deservire non posse notissimum est. Ideoque ei fit injuria, si quis, ex sententia Hobbii, eum mutilaverit, aut interfecerit, ut sibi omnia vendicaret. Omnis enim juris alieni oppugnatio, ac violatio injuria est, quâcunque tandem lege jus illud alteri accreverit, & magìs certè si lege divinâ concessum fuerit illud jus, quàm si ex lege aut pacto humano. Supponit equidem Hobbius neminem posse alteri injuriam facere nisi post pactum, quo quis jus suum quidlibet agendi in alium transtulerit. Verùm hoc supponit probatum fuisse, *Jus illud quidlibet agendi* unicuique competere; quod ostendimus impossibile esse. Ideoque frustra quærit auxilium vacillanti doctrinæ fundamentali ab hoc consectario, quod totum pendet à supposito

 (quod

(quod evertimus) jure omnium in omnia. Imò verò ipse Hobbius, quanquam hîc & apertissimè *cap. 3. §. 4. nullam cuiquam injuriam fieri posse asserit, quocum pactum non fecimus*, alibi tamen multo saniùs, & uti ipsa veritas postulat, apertissimè docuit *injuriâ fieri, quicquid fit contra rectam rationem*, nempe *cap. 2. §. 1.* Cùm concedant omnes jure fieri quod non fit contra rectam rationem, injuriâ factum censere debemus quod rectæ rationi repugnat: eámque ideo legem esse ibidem agnoscit. Scilicet hîc Hobbius non requirit juris nostri in alium translationem ut injuria fit. Et cùm hæc dictamina rationis leges esse divinas agnoscat, rogandus est ut ostendere velit, quid impedit quo minùs hæ jus tale ad vitam cuivis conferant, quod sine injuria ipsis oblata t[illegible]li non potest; aut quomodo fieri potest ut quispiam jus habeat ad jus alterius oppugnandum & violandum: Jus enim cujuslibet est libertas à recta ratione concessa, quæ nunquam concedere potest ut hominum, qui ex ejus præscriptis loquuntur, aut agunt, alii aliis contradicant, aut repugnent. Frustra certè dicet soli Deo injuriam fieri cùm illius tantùm leges violantur, nisi ostendat illas Dei Leges hominibus conferre non posse jus ad vitam suam & necessaria, & eâdem vi non prohibere, ne alii jus concessum violent. Obiter autem hîc illud adjicere visum est, si in solorum pactorum de jure transferendo violatione consisteret injuria, ne Deo quidem injuriam ullam secundùm principia Hobbiana fieri posse, quanquam leges illius naturales tum de pace quærenda inter homines, tum de cultu ipsi exhibendo, turpissimis peccatis, ipsâque adeò blasphemiâ violentur. Quippe supponitur homo pactum cum Deo de observantia legibus illius præstandâ non iniisse; immò apertè testatur *cap. 2. §. 12. 13.* pactum cum Deo iniri non posse, nisi quatenus visum est illi per Scripturas sacras substituere sibi aliquos homines, qui authoritatem habeant pacta ejusmodi expendendi & acceptandi.

Sunt

Sunt itaque Deus & homines eo in statu (secundùm Hobbium) ut sine injuria homines Deo hostes esse possint, habéntque jus (Giganteo more) bello eum aggrediendi, & odio illum prosequendi. Habebit equidem Deus (è principiis Hobbianis) jus tales occidendi, quod etiam pari justitiâ licuisset facere si non peccâssent: verùm illi, qui sic omnem simul erga Deum reverentiam abjiciunt, ut præcepta ejus nulla agnoscant, nec minas metuant, non spectantur ut subditi illius, sed ut hostes, seu ut extra fines regni Dei agentes, quos pro libitu possit aggredi; ut ipse innuit *c. 15. §. 2.* Ego verò etiam Atheos & Epicureos qui providentiam negant, lege naturali satìs promulgatâ, quanquam ab illis neglectâ & negatâ, teneri arbitror ad obedientiam Deo præstandam, eósque absque suo pacto subditos nasci, atque adeò puniri à Deo ob crimen suum velut subditos rebelles, & non solùm invadi posse velut extra ejus ditionem natos. Verùm hoc obiter.

§. XXXII. Consideremus nunc, si libet, ea quæ idem author attulit in *Leviathane* ad jus hoc omnium in omnia stabiliendum: id enim ex aliis principiis ibi conatur deducere. Interim tamen non possum non observare Hobbium non minùs sibimet ipsi, quam aliis omnibus hâc de re in qua morum & politiæ fundamenta jecit, contradicere. In libro enim *de Cive* è jure hoc omnium in omnia, Bellum omnium in omnes deducit, velut è causa quæ illud & licitum faciat & necessarium, *c. 1. §. 12.* In *Leviathane* autem primò contendit statum naturalem esse statum Belli; deinde colligit quidlibet eo in statu licere: utì videre licet si illius libri *cap. 13.* consulere libeat, & ea quæ ibi præcedunt cum his in fine illius positis conferre. *Præterea* (inquit) *bello omnium contra omnes consequens est, ut nihil dicendum sit injustum. Nomina justi & injusti locum in hac conditione non habent. Vis & dolus in bello virtutes sunt Cardinales, &c.* Illic scilicet dixerat alterum jure invadere, alterum jure resistere, unde bellum oriri necesse erat, utrinque justum.

justum. Hîc autem, de jure bellandi parùm sollicitus, bellum è natura passionum humanarum oriturum esse dicit; & posito bello, sequi contendit (sed sine probatione) nihil esse injustum, nullum esse Meum & Tuum *&c.* Popularior sanè hæc est in *Leviathane* ratiocinatio, sed infirmior. Notissimum enim est inter omnes sanæ mentis Scriptores prius probandum esse bellum quod geritur justum esse, quàm indè deduci possit quicquam in hostes licere. Nec in bello justissimo omnia licent: Necesse est itaque ut agnoscatur lex naturalis, è cujus præceptis statuamus de bello suscipiendo utrùm justum sit, seu à recta ratione saltem permissum, priusquam inferre possimus, ea, quæ in ejusmodi bellis fieri necesse est, esse licita. Atque hoc equidem adeò manifestum est, ut ipse Hobbius, quanquam in posteriore hujus capitis parte, in naturali statu hominum nullum esse inter justum & injustum discrimen contendat; in priore tamen ejus parte probare conatur hanc bellandi potestatem eo in statu unicuique concedi debere, ut ad conservationem propriam necessariam: quod tantundem est ac si dixisset, bellum ejusmodi esse justum, aut licitum. Quare ipse secum in eodem capite minimè consistit. Quicquid enim aliquid justum licitúmque esse probat in statu hominum naturali, id evincit discrimen aliquod esse inter licitum & illicitum in eodem statu, & legem supponit existere ac obligare, cujus saltem permissu bellum illud licitum fiat, quod quidem præcipuè stabilire vellemus; quodque Hobbius (ut vidimus) apertè negat, cùm nihil justum esse aut injustum asserat.

Verùm expendamus, quibus rationibus evincat Bellum, idque in omnes, necessarium esse, aut licitum. Desideramus autem in *Leviathane* pressam illam, ac subactam ratiocinandi methodum, quâ in libro *de Cive* uti conatur. Utcunque, è tribus causis præcipuis belli originem deduxit, quæ sunt Competitio, Defensio, Gloria. Adeoque illud ex his Passionibus oriri necessariò contendit; scilicet à

Spe

Spe lucri est bellum ex competitione: à Metu ne alii in nos dominentur, est bellum quo nos defendimus, aliósque vi aut dolo præoccupamus: & è cupidine Gloriæ bellabimus ad quærendam famam.

Verùm non libet ea omnia transcribere quæ laxè nimis scripsit, ut ex his affectibus necessitatem belli in omnes suaderet: ea legat cui est animus apud ipsum Autorem. Ego his sic universaliter respondendum esse censeo. Hominem his affectibus non necessariò duci aut impelli, sed eos, aliósque omnes ratione ac consilio temperari posse ac regi; adeò ut falsum sit hos naturali ac invincibili impetu in ejusmodi bellum homines abripere, ac inde licitum illud esse colligere. In Passionibus equidem humanis, id quod ex impulsu rerum externarum necessariò in homine generatur, nulla lege naturali prohiberi potest, quoniam illæ actiones tantùm quæ in nostra sunt potestate dirigunt. Verùm hi affectus, è quibus Hobbius bellum necessarium esse, adeoque licitum colligeret, ejusmodi sunt qui, quoniam futura, & sæpe quidem è longinquo prospiciunt, ab hominum ratione, ac consilio pendent, eísque adeò regi possunt: Ipse etiam Hobbius aliquando apertè fatetur, *de Cive cap. 3. §. 31. homines qui de præsenti* (propter appetitus diversos) *convenire non possunt, convenire tamen de futuro.* Cujus cognitio rationis est opus, *nam præsentia sensibus, futura autem non nisi ratione percipiuntur*; atque hinc eos in summa Legum naturalium Pacem quærendam esse convenire agnoscit. Incongruè itaque in *Leviathane* eos in bella committit, ex iis affectibus qui à ratione futura per totum vitæ decursum prospiciente pendent.

Præterea autem in fine hujus capitis 13. agnoscit ille hominibus inesse Passiones quibus ad pacem perducantur, eæque sunt Metus præsertim Mortis violentæ, Cupiditas rerum ad bene vivendum necessariarum, & Spes illas per industriam obtinendi. Eædem certè sunt hæ passiones, si

peni-

penitiùs confiderentur, cum iis quas paulò ante dixerat homines in bellum impellere. Metus hic idem est cum metu ne homines in nos pro libitu suo dominentur, ipsámque adeò vitam quandocunque velint eripiant, à quo modò dixerat eos impelli ad quærendam securitatem, alios anticipando & invadendo. Similiáque dici possunt de Cupiditate Gloriæ, quæ inter res ad hanc vitam necessarias numeretur, nec non de spe lucri. Atque adeò eædem causæ, secundùm Hobbium, Bellum & Pacem efficiunt. Certè si quid in his affectibus est prorsus necessarium, diligenter illud utrinque expendendum esset, ut sciremus an illi potentiùs naturam humanam ad Pacem ducerent an ad Bellum, quod Hobbius in scriptis suis nunquam fecit. Est tamen non minùs ineptum quicquam pronunciare de statu hominis, ejúsve naturali propensione in futuros actus, ex eorum tantùm consideratione quæ ad bellum eum concitant, omissis iis omnibus quæ pacem potiùs suadent, quàm esset de futura bilancis inclinatione quicquam prædicere è notitia ponderum quæ unicam ejus lancem premunt. Mihi verò effectuum horum causas ac momenta utrinque posita summâ, quâ potui, diligentiâ comparanti, tum quatenus naturales sunt motus ab impulsu rerum externarum, & à constitutione ac fabricâ humani corporis aliquantisper pendentes, tum verò, longè magis, quatenus à ratione futura per totam hominis durationem prospiciente cientur & gubernantur, fortiùs videntur universalem Benevolentiam, & pacem, quæ ex illius exercitio sperari possit, suadere, quàm Bellum illud in omnes, in quo Hobbio fatente, est violentæ mortis periculum perpetuum, vitáque solitaria, indiga, bruta, & brevis, adeoque in quo nulla salus cum ratione speretur.

§. XXVIII. Illud unicum quod in hac deliberatione difficultatem aliquam præ se ferat, hoc est, quòd perfecta securitas de omnimoda fœlicitate nobis procurandâ obtineri non potest, etiamsi nos commune bonum ac pacem genera-

generalem benevolentiam exercendo prosequamur, propter effrænatos quorundam aliorum affectus, qui eundem sibi finem per stultitiam, & temeritatem suam non proponent. Verùm hæc etiam difficultas evanescet, si consideremus nos nihil prorsus, quod majorem de fœlicitate nostra securitatem afferat inter homines facere posse, vel (quod tantundem est) perfectam illam securitatem ab omni calamitate per effrænes hominum cupiditates inferendâ nobis esse planè impossibilem, adeoque necesse esse ut contenti simus id facere, quod inter omnia quæ in nostra sunt potestate ad hunc finem consequendum maximè conducit. Illud autem est, ut fœlicitatem omnium constanter quærendo, illos ad amicitiam primò aliquam, dein ad societatem Civilem, aut Religiosam quantum in nobis est, perducamus, & eò perductos eâdem benevolentiâ in hac conditione conservemus: Quicquid hoc studio minus est, aut illi contrarium, tantundem deficit à summo nostro conatu ad fœlicitatem nostram communémque omnium promovendam per media quæ naturali lumine cognoscimus esse maximè idonea, aut illi insuper repugnat. Hâc ratione solicitamus omnes rationales in auxilium nostrûm ac defensionem, quorum singulorum fœlicitas simul considerata est commune illud bonum quod quærimus, quíque ideo, nisi perturbatione aliquâ animi excæcentur, & rationalem suam naturam eatenus exuerint, nobiscum in hunc finem conspirabunt. Quòd si per aliquam animi inconstantiam negligamus hunc finem, aut unumquemlibet innocentem lædamus, manifestum est omnes aliquatenus negligi, & lacessi. Quilibet enim meritò reputabit sibi à nobis idem malum metuendum esse quod innocentibus fecimus. Atque hoc ipse timuit Hobbius, cùm in libro de *Hum. Nat.* misericordiam suo more explicat. Summatim dicam, vis affectuum horum, Spei, Metûs, *&c.* qui homines tam in Pacem quàm in Bellum impellant, æstimanda est è vi causarum quæ hos in hominibus excitant.

Causæ

Causæ autem cùm sint bona, vel mala quæ ratio nostra possibilia judicat aut futura ab aliorum agentium rationalium actionibus, earum vis non aliter sciri potest quàm expendendo naturam eorundem agentium. Quapropter huc reducitur summa quæstionis discutiendæ cùm regulas actionum nostrarum futurarum à Natura datas inquirimus, utrùm (sepositâ regiminis Civilis consideratione) hominibus manifestum sit ex iis quæ de Dei aliorúmque hominum natura facile cognoscunt, quòd meliùs consulent omnium, suæque speciatim fœlicitati ac securitati, universali benevolentiâ (quæ innocentiam, fidem, gratitudinem, cæterásque virtutes complectitur) quàm Anticipatione Hobbianâ (hoc capite ab ipso expositâ) *quâ, propter præsumptam in aliis lædendi voluntatem, unusquisq; docetur vi & dolo cæteros omnes tamdiu conari sibimet subjicere, quamdiu alios esse viderit à quibus sibi cavendum sit?* Assero autem manifestum esse, quòd quisquis optimè consulit fœlicitati tum suæ, tum etiam alienæ, is Passiones eas omnes, quæ turbas movere possint sine necessitate, scilicet Spes, Metus inanes *&c.* componit sedátque. Nec minùs manifestum est quòd fœlicitatis hujusmodi causæ præcipuæ sunt in agentibus rationalibus. Quapropter is huic fini obtinendo optimè consulit, qui causas has maximè conciliat, id autem facit qui fortissimis quæ eorum naturæ insunt actionum principiis (Potentiæ scilicet agendi secundum rationem, & voluntati) sese accommodat, illam tantùm quærendo fœlicitatem, quæ cum omnium vita beata conjuncta est, & eidem libentissimè inservit. Hinc enim fit ut omnes securè, & salvo rationali suæ fœlicitatis appetitu nociscum consentire possint, & in eundem finem cooperari.

Rationaliter autem nemo majores fœlicitatis gradus appetit & ab extrà quærit, quàm qui ex natura aliarum causarum rationalium, à quibus mutuò pendet, provenire possunt, atque adeò qui cum earum omnium fœlicitate, natura-

naturaliter ab ipsis appetitâ, consistunt. Et patet quidem commune hoc omnium bonum, singularis cujusvis, aut paucorum bono esse majus, ut totum parte, aliósque ubique Rationales à necessaria rerum natura impelli ut ita sentiant.

Hinc etiam fit ut Rationales, quíque intellectum suum ita excoluerunt, ut Commune hoc Bonum maximum esse nôrint, ejúsque causas omnes singularis cujusque fœlicitatem (quæ ex rerum natura possibilis) maximam effecturas esse certò cognoverint, certissimè eundem nobiscum finem velint; atque adeò eos paratos esse ad opem nobis ferendam. Nec sanè adeò difficilia sunt cognitu hæc bene vivendi principia, quin meritò præsumantur à rationalibus plerisque omnibus cognita & approbata, vel saltem eos doceri posse hæc credere, nisi certissimis signis pateat eos se totos affectuum irrationalium ductui tradidisse. Æquipollent enim his effatis quæ mihi videntur clarissima, nec multùm distare ab axiomatibus Mathematicis. *Bonum totius est majus bono partis. Causa maximè conservantes ac perficientes totum seu aggregatum, cujus partes mutuam desiderant operam, ejusdem partes pariter conservant ac perficiunt.* Eorum autem qui prima hujusmodi rectè agendi principia non agnoscunt, auxilia aut quærenda non sunt, aut eorum ope qui hæc agnoscunt, si usus postulet, procuranda. E contrà Anticipatio Hobbiana conatur alios omnes ad ea cogere quæ factu sunt planè impossibilia, nec minùs voluntati quam potentiæ hominum repugnant. Scilicet exinde singuli id agunt, ut contorqueantur omnes ad sibi solis tanquam summis dominis obediendum. Cúmque singulorum imperia hujusmodi aliorum omnium imperiis è diametro repugnent, non minùs impossibile est ut eorum plura simul valeant, quàm ut idem corpus in mille oppositos simul locos moveatur. Pariter fere repugnat ut impossibilia, postquam hæc clarè cognita sunt, sectarii velint homines, ac ut ea exequi possint. Atque hæc equidem è

natura rationalium, & principiis veri judicii practicis (quæ rationalibus in quantum tales sunt, insunt) desumpta ostendunt, quòd indè sciamus Benevolentiam universalem erga eos magìs prodesse quàm Anticipationem Hobbianam. Plura quæ ad hoc caput reduci possint, suggeremus, ubi de Natura Humana de industria agimus.

§. XXXIV. Hîc duo tantùm adjiciam ex effectis multâ omnium sæculorum experientiâ observatis, quæ id ipsum confirmant. 1. Regna contermina majorem experiuntur securitatem, & dulciores pacis fructus vi fœderum de pace initorum, quæ solâ fide & aliquali benevolentiâ mutuâ consistunt, quàm cùm apertum inter ea geritur bellum, & alii alios vi aut ex insidiis occupant. 2. In ipsa societate Civili innumeri sunt casus, in quibus authoritas & vis coerciva imperantium se nequeunt exerere; in quibus tamen sæpissimè observamus homines erga se mutuò innocentiæ, fidei, gratitudinis, aliarúmque virtutum leges observare, & multò parciùs quàm in statu belli nocendi licentiam sibimet arrogare. Nemo majorem habet securitatem, quòd vita sua, aut patrimonium ipsi non eripietur concivium suorum perjurio, falsísque testimoniis, quàm quæ nascitur ex hominum fide, cujus violationem Civilis Magistratus raró detegere possit aut punire. Verùm non opus est plura respondere iis quæ suggessit Hobbius de necessitate, aut licentiâ bellandi in omnes ex natura Passionum humanarum. Novum est argumentum quod huic subnectit his verbis; *Passiones hominum peccata non sunt, neque quæ indè oriuntur actiones, quamdiu, quæ illas prohibeat, potestatem nullam, qui faciunt, vident: Neque enim Lex cognosci potest quæ non sit lata; neque ferri quamdiu in legislatorem consensum non est.* Respondeo, Actiones à recta Ratione (quæ Dei Lex est naturalis) prohibitas esse peccata; etsi homines hunc legislatorem non videant, nec in ejus imperium consentiant: modò satis iis manifestum fiat, illum jus habere imperii in omnes, & leges illas tulisse.

Quæ

Quæ duo Hobbius alibi sæpe agnoſcit. Quanquam hîc nullis contendit homines teneri legibus iis quas ipſi non conſenſerint.

Certè cùm peccatum ſit Legis violatio, ſi probentur leges Naturæ exiſtere, quanquam quis non conſenſerit in Dei authoritatem eas ferentem, earum violatio erit peccatum verum. At quoniam illius rei probatio breviter jam antè data eſt, & uberior è poſtea dicendis dabitur, non eſt quòd hîc eidem immoremur. Nihilominus non dimittam hunc *Cap. 13.* articulum priusquàm Lectorem monuero, quàm præclaro argumento Hobbius Theſin hanc ſuam de *Jure bellandi in omnes extra Civilem Societatem* confirmavit, addiditque cæteris prope ejus finem in Editione noviſſima, his verbis; *Sed quid hominibus doctis conamur demonſtrare, id quod ne Canes quidem ignorant, qui accedentibus oblatrant, interdiu quidem ignotis, noctu autem omnibus?* Scilicet! Jura Naturæ (*i. e.* poteſtas conceſſa à recta Ratione) diſcenda ſunt ab exemplo canum irrationalium; Illi omnes in tenebris appropinquantes oblatrant. Ergò hominibus quoslibet etiam notos interdiu obvios, extra Societatem Civilem, licet trucidare. At potiùs diſcant Hobbiani, innoxio latratu alios monere, ut caveant; non autem, ut ille docuit, alios vi aut inſidiis incautos præoccupare. Diſcant vigilare & excubare ante ædes proprias, non autem aliena invadere. Sed dimittenda ſunt hæc leviora. Subtilius eſt illud quod poſtea eundem in finem adjicit; *Non ſunt Juſtitia & Injuſtitia Corporis aut Animæ facultates, nam ſi eſſent, homini ineſſe poſſent qui in Mundo ſolitarius eſſet & unicus. Qualitates quidem* (inquit) *hominis ſunt, non autem quatenus Homo eſt, ſed quatenus Civis, &c.* Verùm falſum eſt quod innuere vult, ſi de Civitate intelligatur pacto humano conſtitutâ. Fatemur equidem actus externos Juſtitiæ alterum plerumque reſpicere (quanquam poſſit quiſpiam ſibi eſſe injurius) verùm propenſio ſeu voluntas ſuum cuique tri-

buendi (in qua natura Justitiæ consistit) inesse potest & debet homini solitario. Possit homo si unicus existeret, animo esse parato ad paria aliis postmodum creandis tribuenda. Nec ulla est ratio cur hujusmodi propensio naturalis dicenda non sit, etsi in actus exeri non possit, dum unicus est aut solitarius homo: Quandoquidem ne Hobbius quidem (uti reor) diffitebitur, quin propensio hominis ad prolem generandam naturalis sit ei, in quantum est Animal, etsi supponatur adhuc solitarius (ut Adamus, Evâ nondum creata.)

§. XXXV. Denique quoniam tota hypothesis Hobbiana huic principio innititur, & (ut opinor) ipse vidit jus bellandi in omnes, & omnia sibi arrogandi non bene consistere cum definitione vera Juris quam ipse in loco antè citato tradiderat, ideoque in initio *Cap. 14. Leviathanis.* Jus Naturale aliter definivit, nempe, *Est Libertas quam habet unusquisque potentiâ suâ ad naturæ suæ conservationem suo arbitrio utendi.* Scilicet non jam secundùm *rectam Rationem*, aut ullam Naturæ Legem, sed suo arbitrio, seu quidlibet agendi libertas Juris nomine intelligenda est. Et tamen ne nimiùm secum pugnare videatur Hobbius, ad ipsum sibimet conciliandum dicam, quod res est, nempe ipsum *rectæ Rationis* nomine in *Lib. de Cive* olim intellexisse, *Sententiam uniuscujusque propriam*, uti videre licet in Annotatione ad *Caput 2. §. 1. ne eâ quidem excepta quæ absurdissima est & ejusdem hominis alio tempore, aliorumque omnium Judicio contradictoria.* Et hoc sanè sensu recta Ratio, cum suo cujusque arbitrio consistit. Verum nec recta Ratio, nec jus ad cujuslibet arbitrium flecti possunt. Sed hæc similia sunt rigidæ illi Lineæ rectæ quæ libram in staticis exhibet. Illa enim in rigida cum rebus ipsis quarum Naturæ invariabiles sunt conformitate consistit, uti postea latiùs ostendemus; & Jus se non extendit ultra ea quæ recta Ratio permittit, seu pronunciat consistere posse cum fine quem omnibus Rationalibus proponit. Frustrà & nullo exemplo Jus dicitur cuiquam competere ad ea facienda,

quæ

quæ nullâ lege ſunt conceſſa aut permiſſa. Nemo dubitat quin homini inſit facultas Naturalis, ſeu vis arbitrii in quamcunquelibet partem ab ipſo determinabilis : verùm cum de jure agendi deliberamus, quæritur quænam inter actiones nobis poſſibiles licitæ ſunt ? Huic autem quæſtioni fruſtra reſpondetur ſine reſpectu ad aliquam legem, ſaltem naturalem. Poteſt quiſpiam innocentem quemvis aut ſeipſum ſuſpendere aut præcipitem dare, verùm nemo dixerit quemquam Jus habere hæc faciendi, quoniam Jus, & recta Ratio quæ illud dirigit, bonum ſeu verum finem reſpiciunt ; fœlicitatem eam ſcilicet, quæ conſideratis aliorum juribus poſſibilis eſt, & media ad illum finem inſervientia. Arbitrium autem hominis temerè ab his utriſque diſcedit. Alii omnes ſi quando Juris naturalis nomine libertatem indigitare placeat, libertatem intelligunt à Legibus Naturæ conceſſam & munitam. At ſi pertendat Hobbius licere ſibi libertatem hujuſmodi quidlibet agendi ad propriam conſervationem Juris nomine indigitare (quamquam nemo præter ipſum hoc ſenſu verbum illud poſtulaverit) quoniam ſcilicet licet Philoſophantibus verborum ſignificationes ad conceptus definitionibus ſuis explicatos limitare ; ſatìs erit hoc illi reſpondere ; Conceſsâ illa limitatione ſensûs illius vocabuli, quâ ipſe ſolus utitur (non enim tenentur alii eodem ſenſu illud vocabulum accipere) probandum illi eſt talem Libertatem quidlibet ad ſuam ipſius Conſervationem agendi, illo in ſtatu exiſtere aut extitiſſe ; ſeu nihil eſſe quod prohibeat, adeoque impediat homines ita agere ſemotâ conſideratione Legum Civilium. Nos enim dicimus etiam in illo Statu eſſe dictamina quædam rectæ Rationis quæ Deus per Naturam rerum ſuggerit hominum animis, quæ prædicunt pœnas graviſſimas illos manere, qui quicquam contra Bonum Commune attentant propter propriam conſervationem. Nec hoc dicimus tantùm, ſed & firmis Rationibus probamus.

Hobbius autem dari talem libertatem, quæ ab illo *Jus* dicitur, non aliter probat, quàm dicendo nos aliter velle facere non posse, *de Cive Cap. 1. §. 7.* quod est contra manifestam cujusque Experientiam. Ego certè me aliter velle facere posse profiteor, & innumeros existimo propter commune bonum mortem libenter subiisse; adeò infirmum est hoc fundamentum, cui reliqua omnis Moralis & Civilis ejus Philosophia innititur. Interim ea omnia quæ afferimus ad Legem Naturæ, quatenus aliorum bonum spectat, stabiliendam, probabunt etiam ante Civitatum constitutionem, nemini licere se conservare illas violando. Et frustraneum ac ridiculum faciunt illimitatum illud jus Hobbianum, quo nunquam licebit uti, nisi cum arbitrium cujusvis cum sententia Legis congruat, adeoque limitatum fuerit.

Verum quorsum ego jus hoc quidlibet in omnes agendi frustraneum esse probare satago? siquidem ipse Hobbius, sibi licèt hîc contradictorius tantundem penè dixerit: agnoscit enim, *Lib. de Civ. cap. 1. §. 11. Jus hoc inutile esse.* Ipse ille qui verbis hunc articulum immediatè præcedentibus concluserat, *Mensúram Juris esse Utilitatem*, hîc tamen jus illud quod tantopere stabilire sudaverat, statim *inutile esse*, pronunciat. Immò verò, ipsa illa verba *Jus* (quale illud ipse definivit) & *inutile* (quod juri in articuli margine conjunxit) sunt *ἀσύςατα. Jus* enim ad *Libertatis usum* in utraque ejus definitione refertur; *inutile* autem nullum esse usum libertatis in eadem materia docet. Recta interim Ratio non solet contradictorias hujusmodi notiones componere, nec adeò futuri est improvida, ut illud bellum ad conservationem uniuscujusque necessarium esse statuat, quod statim videbit omnibus esse perniciosum. Hobbii itaque ratio quâ sua hæc dogmata stabilire conatur, non est recta.

CAPUT

Caput II.

De Naturâ Humanâ, & rectâ Ratione.

Hominis nomine Animal intelligimus mente prædi-tum; & ipse Hobbius mentem alteram è præcipuis hominis partibus in libello de Natura humana agnoscit, *Cap. 1. §. 3.* Hujus autem distinctionem à corpore, in quo facultates Animales continentur, abundè satis demonstrârunt Physiologi tam Veteres quàm Recentiores, Cartesius, Digbæus, Morus; atque idipsum adversùs Hobbium vindicavit clarissimus Wardus *in Exercitatione Epistolica Sectione quartâ*; ut lucernam in luce meridiana accenderem, si quid ego adjicere conarer. Illud tamen adnotare visum est illum in ipso limine libelli *de Cive* (malo omine) titubâsse, dum Naturę humanæ facultates ad quatuor genera reducit, vim corpoream, Experientiam, Rationem & Affectum: nam præterquam quòd horum primum [vis corporea] reliqua omnia ex illius sententia absorbet, quippe qui nullas vires præter Corporeas agnoscit: illud prætereà invito verborum usu dictum est, Experientiam esse facultatem naturæ nostræ, cùm propriè numeranda sit inter ea quæ accidunt Sensibus nostris tam internis quàm externis, gignátque aliquando memoriam, non autem sit memoria, uti ab illo definitur in libello de *Nat. Hum. pag. 36.* Præterea notissimum est ea quæ experti sumus aliquando, memoriâ nostrâ excidere: quòd si habitum experiendo acquisitum Experientiæ nomine intelligat, perperàm eam inter facultates numerabit; nisi forsan Geometriam, Jurisprudentiam, aliásque Disciplinas tam Theoreticas, quàm Practicas quia habitus sunt, inter facultates nostras vellet censeri. Verùm minutiora sunt hæc quàm ut iis diutiùs immorarer, quin potiùs evolvamus aliquantisper definitionem *hominis* præmissam: Animalis nomine id omne complecti velim quod in brutis compertum est, & de

quo convenit inter Philosophos, vim nempe nutritivam, locomotivam, generativam; quin & sensitivam eatenus illis non illibenter concesserim, quatenus liceat (uti nihil video quod hoc vetet) Sensationis nomine insignire motus Organis impressos ab objectis, indéque transmissos per nervos sensibus dicatos in cerebrum, quandoque etiam indè communicatos musculis ubi motum cient, aut cordi, aut pulmonibus aliísve fortè visceribus quorum ope affectus varios concitent. Interim tamen menti propriam existimamus vim observandi, seu percipiendi distinctè hosce motus, ita ut liberè contempletur quid in iis, *v. g.* objecti figuram determinet, quid situm alium in objecto ab eo qui est in Retina, quid magnitudinem, quid ejus motum, quid in ejus superficie, aut quæ refractio in medio adeò luminis motus variet, ut Colorum omnia exhibeat phænomena: Non enim video quid in Cerebri Corporea mole hæc (confertim & iisdem radiorum ictibus in oculos irruentia) ab invicem separare possit; inter se conferre, & distinguere, aut prohibere quo minùs semper cogitarentur conjuncta, quemadmodum conspiciuntur in Camera obscurata, aut in fundo oculi Animalis; unde naturali impetu simul ruunt in thalamos Nervorum opticorum qui in intima Cerebri substantia conspiciuntur; Sed hæc Physicæ sunt contemplationis. Menti tribuimus Intellectum, & Voluntatem. Ad Intellectum reducimus Apprehensionem, Comparationem, Judicium, Ratiocinationem, Dispositionem methodicam, & horum omnium, rerúmque circa quas versantur Memoriam; Ad Voluntatem tam simplices volendi, nolendique actus, quàm eorum vehementiam quæ in affectibus præter motus corporeos se prodit.

In memoria propositionum Theoreticarum, & Practicarum consistunt habitus tam Theoretici, qui Scientiarum, quàm Practici, qui Artium nomine celebrantur. Hîc Ethica quæ Ars est vitæ, seu dirigendi ad finem optimum summam omnium actuum humanorum, consideranda venit.

§. II. Hîc

§. II. Hîc etiam monendum est aliquid de variis singularum Gentium moribus, immò & plerorumque hominum; habitus enim varii acquiruntur partim ex diversitate indolis seu ingenii naturalis ad hos vel illos mores proclivioris: partim ex Temperamento Corporis, Climatis, Regionis, Educationis, Religionis, Fortunæ, Negotiorum in quibus gerendis occupati sunt homines. Ex hujusmodi moribus altera ferè hominibus constituitur natura, ideoque considerandi sunt in Legibus ferendis; quod eò usque verum est ut Leges pervetustæ, quanquam si abstractè considerantur, non sint usquequaque optimæ, retinendæ tamen sint vel eo nomine, quòd homines iis assueti meliores earum loco substitui sine perturbatione publicâ, atque summo omnium Jurium periculo non patiantur.

Illud etiam hîc loci adnotandum duxi, nos cum aliis omnibus Philosophis in sequente Disquisitione de Legibus Naturæ humanæ necessariò connexis & congruentibus, semper intelligere, seu supponere Naturam humanam ætatis jam adultæ, ubi mens est *Sana in corpore sano*, saltem quatenus Ratio ac Virtus requirunt: non enim Leges feruntur infantibus, & amentibus, nec ex his Civem instituimus, nec ideo ex horum impotente appetitu, & factis statuendum est de Naturæ humanæ Jure, aut propensione: quanquam licet opinor quicquid Naturæ sive animali, sive rationali postquam adoleverit, congruum in iis videmus, illud pro indicio sumere, hujusmodi Actus apprimè Hominibus esse connaturales. Quemadmodum in iis videmus & expectationem misericordiæ ab hominibus, & sympathiam è causis mox tradendis explicabilem, quâ cum lætantibus lætantur, & plorant cum plorantibus. Frustrà itaque Hobbius, qui in Annotat. ad *cap. 1. art. 2.* explicans, quare dixerit contra plerosq; hominem non esse ζῶον πολιτικὸν, (quod ipse *animal aptum naturâ ad societatem* transfert) hanc affert sententiæ suæ rationem, quòd cùm *Societates sint fœdera; horum autem ab infantibus, & indoctis, vis; ab aliis*

E 5 (quos

(quos postea indicat esse *permultos, fortasse plurimos, morbo Animi, vel defectu disciplinæ*) *qui damnorum à defectu Societatis inexperti sunt, utilitas ignoratur: unde fit ut illi societatem inire non possint, hi non curent. Habent tamen illi tam infantes, quàm adulti Naturam Humanam. Ergo homo ad Societatem aptus non naturâ sed disciplinâ factus est.* Hæc est sententia Annotationis Hobbianæ, hæc verba, quanquam non omnia, brevitatis causâ: mitto impræsentiarum quod falsò supponit societates esse fœdera; quodque disciplinam quæ tota se accommodat naturæ, eíque subservit, naturæ opponit: quicquid enim discimus ab aliis, illi à natura sua & universi hauserunt; verùm id hîc moneo quòd ipsa etiam experientia (cujus defectu plurimos Societati ineptos esse causatur) in naturam resolvitur, quæ proculdubio docet, quicquid experientia verum esse testatur. Quanquam igitur multi è verbis liberè constitutis discant plurima, notiones tamen seu sensus verborum, & notionum cohærentia in qua omnis veritas affirmata continetur, à natura sunt; unde & eædem sunt ubique gentium, licèt verba sint diversa. Oblitus interim est Hobbius se experientiam fecisse facultatem naturæ humanæ cùm eam illi opponit. Illud tantùm dictum velim Philosophos omnes & Scriptores de Rebus publicis non ignorâsse, nec oblitos fuisse quàm sint inidonei infantes, & adulti morbo animi laborantes ad ineunda fœdera aut munia Societatis obeunda; sed tamen existimâsse hominem ad id natum esse, ad quod maturâ tandem ætate naturæ impetu perveniet, nisi quid præter naturam, quale est morbus animi, acciderit. Notum est illud Juvenalis, *Non aliud Natura, aliud Sapientia dicet:* & Aristoteles *Politic. 1. cap. 2.* Naturam ex fine seu ex perfectione existimandam esse tradit, & certe puerilis est illatio & Grammaticam sapit non Philosophiam moralem, homines nati sunt infantes, ergo ad societatem inepti nati. Sanè similis, ei quâ in sua Physiologia Hobbius deducit fragorem fulminis à fracta glacie, quam mediâ æstate,

æstate, invitâ statica suspendit. Quanquam enim vox illa *Natura* à nascendo ducatur, notum tamen est, naturam (humanam dico) eam exprimere rationis vim cujus inchoata tantùm semina in recèns natis reperiuntur. Sic ad speciei suæ propagationem naturâ suâ comparatus est homo, & tamen nec infans ad hoc sufficit, nec si morbo sterilis evadat; nec sine ope fœminæ hunc finem assequitur. Sic plantarum & fructuum vires tam alimentum, quàm medicinam nobis subministrandi naturales dicimus, quæ in iis non reperiuntur, statim postquam è terra germinarint aut ex arboribus effloruerint, sed tum demum postquam Solis ac imbrium ope ad maturitatem provenerint, & periculosos maligni aeris afflatus effugerint. Quòd autem Ratio sit humanæ Naturæ facultas, adeoque nobis naturalis, id sanè agnoscit Hobbius *primo Artic.* hujus libri *de Cive*, immò & recta Ratio, de qua loquitur *Cap.* 2. *Art*, *1*. ubi hæc sunt verba; *Est igitur lex quædam recta Ratio*, *quæ* (*cùm non minùs sit pars humanæ Naturæ quàm qualibet alia facultas vel affectus Animi*) *naturalis quoque dicitur.* Hoc tamen ipsum idem Hobbius aliquando negat *Leviath.c.* 5, *p.* 21, ubi ait; *Non est Ratio nobiscum nata* (*veluti sensus & memoria*) *neque Experientiâ solâ acquisita, verùm Industriâ*, *&c.* Liberet ille seimet (si libet) à contradictione. Nolo ego operâ meâ abuti probando id quod evidentissimum est: præsertim cùm antea apertè dixerim hominis ætate jam maturâ Naturam me considerare, quâ usus Rationis per naturam accedere solet.

§. III. Nobis videbimur sententiam nostram satìs probâsse, si evicerimus Naturam humanam eo modo suggerere quasdam certas vivendi Leges, quo suggerit peritiam numerandi. Omnes rationales postquam adoleverint sponte suâ, nisi morbus animi intervenerit, res diversas numeris distinguunt, eósque addunt, subtrahunt, multiplicant etiam, dividúntque absque artis regulis, si numeri sint minutiores. Idem prorsus sentiunt, ídque necessariò omnes gentes de

duorum

duorum numerorum summâ additione repertâ, de eorum differentia subtractione inventâ, quanquam in nominibus, notísque numerorum plurimùm discrepent, quæ cujusque gentis arbitrio constituuntur. Pariter etiam Naturâ duce existimo omnes necessariò agnoscere Bonum omnium Rationalium majus esse simili bono cujusvis partis illius aggregati; hoc est, verè maximum esse bonum, & in Bono totius hujusce aggregati quærendo, singularum partium bonum contineri, quærendúmque esse. Partium etiam singularum Bonum divisum postulare usum rerum & operarum rationalium quibus grata iis fiant. Deo scilicet Honor exhibeatur, & singulis hominibus vita, valetudo, & vires conserventur. In his autem Legum omnium Naturalium semina virésque contineri repetiemus. In numerandi peritia multùm juvant industria, & artificiosè constitutæ notæ, earúmque loci: verùm hæc ipsa à Natura ceu fonte proficiscuntur; nec unquam efficere possunt, ut quæ sine arte noverimus esse vera & necessaria ad usus vitæ, fiant falsa, aut refutentur ut vana. Immò postquam accesserit artis auxilium qualecunque, effectus tamen totus Naturæ potiùs quàm arti tribuendus est. Prorsus utì postquam ars coquinaria cibos in alimentum idoneum præparavit, nemo negaverit ali nos naturæ viribus, aliter enim ipsa etiam vita nostra non esset naturalis.

Hoc autem præmittendum censeo postulatum, quod nemo opinor existimabit iniquum, mentem humanam vel ejus facultatem quamlibet, præsertim intellectualem, pronam esse ad actus sibi proprios, quoties vel ab extrà, vel etiam à corpore sibi conjuncto occasio, & materia suggeritur. Nempe perpetua id confirmat experientia, quoties per sensus oculos *v. g.* aut aures Lux, Color, aut sonus defertur ad mentem, eam statim proclivem esse ad observandum quod offertur: & pariter se res habet in observatione dolorum, aut voluptatum ab intimo corporis statu provenientium. Necessariæ sunt quodammodo apprehensiones

ſiones primæ, & magìs obviæ collationes imaginum inter ſe, ac judicia quædam ſeu propoſitiones indè conſtitutæ, quin & evidens cohærentia inter cauſas & effectus mentem ducit in compoſitionem propoſitionum eam affirmantium, eædémque vel invitis recurrunt in mentem occaſione datâ ex interno Memoriæ impetu ſeu vigore: nec arbitrii libertas hæc omnino impedire poteſt; quanquam hujusmodi actus poteſt juvare. Nempe poſſumus noſmetipſos excitare ad recolligenda ea quæ à Memoria penè exciderant, & ad obſervata à ſenſibus curioſiùs conſideranda, & ad comparationes diligentiùs faciendas, & è collatis inter ſe notionibus propoſitiones, è propoſitionibus collatis Syllogiſmos, adeoque novas Concluſiones conſtituendas. Unuſquisque autem hominum adultorum prout vegetioris eſt animi à naturâ factus, ab eadem natura ſua ſponte fertur in hujusmodi operationes ſummâ pariter cum animi lubentiâ, ſummâque neceſſitate. In hunc impetum plurima quæ naturalia dixerim rationis dictata (priora ſcilicet & per ſe manifeſta) reſolverem, atque inſuper eos actus voluntatis qui circa fœlicitatem univerſaliter conſideratam verſantur, ſeu in toto bonorum poſſibilium aggregato; non enim opus eſt ibi comparato judicio, quia omnia bona includit, ut à Cicerone definitur bonorum omnium complexio; nec non circa partes varias fœlicitatis noſtræ quæ per ſe expetendæ ſunt; qualia ſunt ſapientia, ſanitas, viſio luminis non nimii, & reliquæ ſenſibus congruæ impreſſiones, quæ ſe nobis offerunt. Nec hîc opinor reclamantem habebimus Hobbium (magnum licèt neceſſitatis omnigenæ patronum) qui *conceptionem omnem motum corporeum eſſe*, docuit in capite, *eundémque motum ad cor propagatum, ſiquidem ejus motum vitalem juvet, voluptatem, & amorem, ſin impediat, tædium atque odium eſſentialiter conſtituere, Human. Nat. pag. 69. 70. &c. & hunc motum naturaliter ſollicitare ſeu impellere ut potiùs accedamus ad ejus cauſam, túmque eſt appetitus; vel ut recedamus, éſtque fuga.* Ego vero mundi

mundi corporei in mentes nostras vim hujusmodi ex mechanicis Legibus necessariam non agnosco: fateor tamen cum omnibus, quantum scio, Philosophis, animas nostras aliquali necessitate ferri in primas rerum cogitationes, & boni in genere appetitum, malíque fugam. Quippe diviniori ejus naturæ ingenitus vigor eam non permittit penitùs torpere nihil agendo, nec potest aliud agere quàm (prout materia suppeditatur) intelligere, velle ac nolle, & motus quosdam corporis, ad obtinenda quæ vellet, determinare.

§. IV. Verùm quoniam Leges Naturæ ea tantùm jubent quæ ab actionum principiis naturaliter nobis insitis provenire possunt; ideo par est ut statum & vires tam mentis quàm corporis, tùm sigillatim tùm conjunctim penitùs introspiciamus, ut ad quid agendum aptus sit homo ex intima sui constitutione nobis innotescat.

Mentem autem longè majorem esse, & ad majora creatam quàm ut unius animalculi tantùm vitæ tuendæ deserviat, clarissima indicia veniunt exponenda.

Atque hîc inprimis non tacenda est natura ejus spiritualis, incorporea & Deo cognata, quæ officium nobilius flagitat quàm quæ animæ suillæ competit, ut salis instar à carne arceat putredinem. Generaliter etiam observari potest & debet, dotes animæ longè minores sufficere ad vitam diu conservandam quàm quæ in homine reperiuntur, quod videre licet in longævis aliquot brutis: immò & in arboribus, ut quercu, quibus vita diuturna est sine sensu, multo magìs sine mente: immò & mentis nostræ acumen non in eo consistere ut prospiciamus quænam Alimenta, Medicamina, Exercitia, &c. ad longævam in hac statione commorationem faciunt, nam in his mirè cæcutiunt etiam præstantissimi Medicorum, sed in iis potiùs eminere quæ ad Numinis agnitionem, ac cultum, & Moralem, Civilémque doctrinam spectant. Verùm hanc Provinciam ornavit egregiè, & ab Hobbii invasionibus defendit Clar. Dr. Wardus nunc

nunc Rev. Episcopus Sarisburiensis præter alios tam hujus quàm antiquioris sæculi Philosophos.

Nihilominùs necesse erit ut vires quasdam actionésque Animi lectoribus ab oculos ponam, unde constet eum naturaliter idoneum esse ad ineundam amplissimam Societatem, præcipuúmque sui usum negligere, optimósque suæ indolis fructus amittere nisi in eam concedat; atque hoc potiore Ratione quàm dicimus Terram quæ sponte fundit hinc sparsas tritici aristas, illinc arbores frugiferas, naturaliter idoneam esse ad excitandam alendámque cultorum Industriam. Quippe solo natura subest. Enimverò ex apta facultatum humanarum ad Societatem ineundam constitutione evincitur (1) homines posse & scire, & observare Leges Naturæ; quod primò manifestum sit oportet, quia aliter frustrà essent & monitiones aliorum, & nostri conatus: (2) earum observationem per se esse suavem, gratámque, & præcepta quæ ad hujusmodi actus nos dirigunt eo ipso quòd ad naturaliter suavia nos ducunt, præmium obedientiæ præstandæ polliceri, & praxin secundùm eam institutam mercedem non contemnendam secum apportare; eam scilicet voluptatem seu fœlicitatis nostræ partem quæ in facultatum homini peculiarium actibus connaturalibus ad vitæ optimæ finem, mediáque aptissima ducentibus necessariò continetur. Omne enim virium naturalium, præsertim summarum, exercitium, in quo nec à scopo erratur, nec à via deflectitur, naturaliter jucundum est: nec intelligi potest voluptas in motu, ut loquuntur, consistens, alia quàm quæ in hujusmodi actibus percipitur. Liberatio à malo, & quies quædam, aut aliqua facta perpessio non ingrata ab extrinsecis nobis obveniat; verùm à nobis ipsis non alia provenire potest quàm quæ ex actibus hujusmodi, quos dixi, immediatè aut saltem mediatè dependet. Hæc autem sola est fœlicitas ad quam moralis Philosophia nos dirigit. Nec possumus sanè institui ad id quod ab actibus & facultatibus nostris nullatenus pendet. Ex his autem

sequi-

ſequitur, quòd quò plura ſunt in hominum facultatibus ad legum Naturalium notitiam, aut obſervantiam, adeoque ad virtutes exercendas apta, tot majora ſunt præmia ejusmodi actibus animæ, ſeu tanto major, magísque propria homini fœlicitas ſecundùm virtutem agendo obtineatur: beantur enim ſingulæ ejus facultates actibus iis publicè utilibus, ad quos eliciendos à natura fit idoneus. Oſtendemus enim poſthæc fœlicitatem ex actibus humanis qui à natura oriuntur neceſſariò fluentem, clariſſimum eſſe indicium naturale, velle Cauſam primam, homines ad tales actus obligare, ſeu eos Lege ſuâ imperare. Selegi autem tanquam noſtro inſtituto commodiſſima (1) rectam Rationem, & rectitudinis ejus menſuram. (2) Apprehenſiones à ſingularibus abſtractas, *v.g.* Naturæ Humanæ, & inde orta judicia de attributis hujusmodi apprehenſionibus convenientibus, aut diſconvenientibus, & appetitus univerſales, ſeu indefinitos hujusmodi judiciis congruos & conſequentes. Huc etiam referenda eſt vis conſtituendi ſigna Arbitraria, ut ſonos, & ſcripta univerſalibus conceptibus, judiciis, & volitionibus accommoda. Sermo etiam quoniam memoriam rerum juvat, atque Rationem, virtuti potiùs quàm vitio, Societati, magis quàm Seditionibus inſervit. Hinc etiam fluit vis condendi regulas vitæ, ſeu actuum generales, ex notionibus actuum in generali naturâ ſuâ cum notione humanæ naturæ convenientibus: hujusmodi autem judicia faciliùs in Memoriam recurrunt, ſi verbis in hunc finem accommodatis exprimantur, & ſi hujusmodi verba notionibus accommodentur plurium hominum, & communi eorum conſenſu ad eas ſignificandas adhibeantur. Exinde ſunt Regulæ plurimis communes, ſeu Leges publicæ, quæ, ut ſtatus rerum poſtulabit, rogari poſſunt, vel abrogari, aut iisdem aliquid derogari: quemadmodum rectè præſcribat Medicus eidem corpori variis temporibus diætam nunc tenuem, nunc copioſiorem, medicamenta nunc analeptica, nunc autem evacuantia; (3) Cognitionem

nem numeri, mensuræ, ponderúmque & huic inclusam vim plura (*v. g.* minora bona) in summam colligendi, eadémque inter se comparandi, secundùm differentiam & Rationem. Hinc homo summum bonum, id est aggregatum, ex omnibus bonis, & comparatum, seu aliud Bonum alio majus esse aut minus investigare potest, & alia ex aliis detrahere, rationémque & proportionem inter æqualia & inæqualia æstimare valet: in hujusmodi autem actibus ita dirigendis ut optimo fini inserviant, omnes versantur Leges Naturales. (4) Vim huic affinem ordinem vel jam existentem observandi, vel eundem constituendi in rebus faciendis, & cognoscendi quantum momenti sit in conjungendis viribus ad idem effectum, præsertim ad commune bonum, uti in Exercitu & Republica constituta videre est. Hæc ego dum penitiùs contemplari cupio, subiit animum cogitare, Ordinis naturam & vires distinctissimè intelligi posse, si illum considerarem in simplicissima materia, in qua effectum ejus simplicissimum demonstratur. Nusquam autem mihi occurrit Ordo in materia simpliciore, nec effectum simplicius indè demonstrabile, quàm sit Geometricus ille ordo linearum rectarum, motuúmque complicatorum è quibus Curvas suas Geometricas generari posse demonstravit Cartesius *Lib. 2. Geometriæ.* Ibi autem ex Analyticæ principiis hoc deduxit, Naturam nempe & Proprietates Lineæ à complicatis motibus descripæ, sub accuratum calculum seu demonstrationem non cadere, nisi ab uno motu reliqui, alii aliis subordinati, rogantur. Quod autem ille de Linea simplicissimo sanè motuum complicatorum effecto observavit; pariter verum est de effectis omnibus à plurium causarum concursu pendentibus, necesse esse ut inter causas illas aliæ ab aliis certo ordine regantur, omnésque ab una summa potestate; aliter enim incertum erit, quidnam ex earum concursu futurum sit effectum; adeoque finis vel nullus communi earum omnium auxilio quæretur, vel per media quæ nescimus an sint idonea nec ne. Hujus notitiæ vi & è

F Cau-

Causarum subordinatarum serie sensibus observatâ Mens nostra distinctissimè primam deprehendit, quæ est Deus Rector Mundi; & futura ex vi Causarum omnium rationalium in subordinatione nota positarum providere valet; quæ ambo suadebunt ut homines in subordinationem amplissimæ societatis (quâ omnes velut in Civitate Dei contineantur) se tradant. (5) Ex his sequitur eximium illud humanæ mentis privilegium magnarum virium ad hanc societatem conciliandam, conservandámque, nempe vis Animæ ad affectus excitandos, sistendos, moderandósque & ad eos in majoris boni appetitum, malíque fugam dirigendos, quàm quod cadit sub cognitionem cujusvis alterius animalis; quoniam & plura & uiversalia bona, eorúmque summas, & series ordinatas capimus, sentimúsque nos posse animum divertere à cogitationibus, & affectibus quæ nostra privatim commoda spectant, eosdémque determinare ad publici boni curam, in quo libertas eminet. Controversias de Libertate ab aliis pertractatas non attingam. Extra controversiam id videtur positum esse, hominis Naturam hoc in se involvere libertatis, ut ad nihil (in actionibus externis, quales sunt contractus, eorúmque observatio & violatio) determinetur, nisi interventu sui judicii, in quo ferendo convocare possit auxilia non sensuum modò, sed & Memoriæ, adeoque expendere, hoccine quod facturus sum conveniet cum bono publico, quod nisi sartum tectum sit, bona propria salva esse nequeunt? Hoccine consentit cum solidis virtutum incitamentis, &c? Observavi enim etiam illam quam Hobbius instituit Politiam hoc postulatum nec immeritò supponere, posse homines inter se convenire seu pacisci de transferendis suis juribus in aliam personam ad commune bonum *Cap. 5. §. 6. de Cive*; quanquam alibi eos nihil præter bonum sibi spectare posse contendat. Cùm autem sit in hominibus naturaliter tam ampla nobilisque facultas quæ spectare possit & complecti ingens illud maximúmque omnium rationa-

rationalium conjunctum bonum, facilè judicabit Lector, annon in ejus perpetuo vigore & exercitio summa cujusvis beatitudo consistat. Distinctam ab intellectûs & voluntatis viribus facultatem hanc esse non contendimus: Sufficit si ex earum concursu hæc, quam dixi, vis consurgat. Quàm proximè autem hæc vis animi disponit aut idoneos facit homines ad se continendos à subitaneo quovis impetu, & ad Mores juxta Legum primò Naturalium, deinde Civilium normam dirigendos, adeoque ad firmandam amplissimam simul & arctissimam omnium Societatem, nemo non videt. De recta autem Ratione, & de notionibus universalibus visum est paulò copiosiùs disserere; reliqua paucis indicâsse sufficiet.

§. V. De recta Ratione ideò magis sollicitè agendum est, tum quia rectum sui index est & obliqui, eíque in Moralibus idem concedendus est locus, qui sanitati in Medicina, cujus notitia morborum Theoriâ prior, & naturâ notior; tum quia convenit inter reliquos Philosophos & Hobbium, eam esse Actionum humanarum Regulam, etiam antequam Leges Civiles fiant. Vid. *de Cive. c.2.§.1.* & *annotat.* Imò & si sibi constabit, non magna erit inter nos de ejus definitione dissensio. Nam *Cap. 2. §. 1.* in Parenthesi (quam Definitionem videtur ponere velle) innuit eam esse veritatem à veris Principiis rectè ratiocinando collectam. Ego quidem hac in materia rectæ Rationis nomen paulò latiùs patere existimo. Tam Principia seu Veritates per se notas, quàm Conclusiones indè deductas complectitur, & significet effectum Judicii tam noetici quàm dianoetici. Favet Etymologia Verbi, quæ ratam tantummodò innuit sententiam (hoc est) certam, stabilem, rebus congruam, sive ea per se fuerit evidens, sive medio adhibito probata. Favet etiam usus qui loquendi est arbiter: omnes enim evidentissimas quasque propositiones (ut impossibile est idem esse & non esse) pro Rationis dictatis agnoscunt, non minùs quàm eas quæ probatione carent.

Nec repugnabit fortè Hobbius latiori huic usui verborum. Consentimus interim cum illo non intelligendam esse facultatem infallibilem (ut ille multos, sed nescio quos intelligere affirmat;) sed tamen intelligenda est facultas his judicii actibus non falsa: nec propriè intelligitur ratiocinandi actus (ut ille temerè) sed judicii effectus; nempe veræ propositiones in memoria repositæ, sive præmissæ fuerint, sive Conclusiones, quarum aliquæ quæ Practicæ sunt, Leges dicendæ veniunt. Nam cum his conferuntur actiones ut examinetur earum bonitas, non cum actibus ratiocinandi quorum vi fiunt; hos tamen connotari libenter concesserim.

Illud autem quod mox in *Annotatione* (rationem redditurus cur *propriam Ratiocinationem in descriptione rectæ* posuerat) subjungit, falsissimum est. *Extra Civitatem ubi rectam Rationem à falsa dignoscere nisi Comparatione facta cum sua nemo potest, sua cujusque Ratio non modò pro actionum propriarum, quæ suo periculo fiunt, Regula, sed etiam in suis rebus pro rationis alienæ Mensura censenda fit.* Nam extra civitatem potest quivis rectam Rationem dignoscere absque comparatione facta cum sua. Quoniam datur Regula communis ad quam exigenda est & sua cujusque Ratio (seu Sententia) & aliena. Nempe rerum Natura prout exponitur diligenter omnibus nostris facultatibus, examinanda, & observanda: ea est norma quâcum conferendæ sunt tam præmissæ, quàm Conclusiones, sive à me sive ab alio quovis homine, imò ab ipsa Civitate postquam constituta est, factæ. Certissimum enim est Veritatem, quæ ipsa est rectitudo, propositionum de rebus actionibúsque existentibus, aut mox extituris factarum, consistere in earum conformitate cum rebus, de quibus fiunt. Quippe cùm cogitationes nostræ de rebus seu apprehensiones simplices sunt rerum imagines (imagines autem veritas, omnísque perfectio est in eo, ut exactè respondeant iis quibus referendis destinantur) & propositiones veræ sint apprehensionum

ab

ab eadem re in animum impressarum conjunctio per affirmationem, seu notionum res diversas referentium sejunctio per negationem; necesse est ut earum veritas ac rectitudo à conformitate cum rebus tota pendeat; uti apprehensionum veritatem indè petendam esse in confesso est.

Hoc igitur extra dubium ponendum est, hominem qui aliter de rebus statuerit quàm res sunt, non statuere secundùm rectam Rationem, seu non rectè exercere judicium suum; eum verò qui uti se res habet, affirmat, aut negat, secundùm rectam Rationem pronunciare.

§. VI. Nec refert in hac materia, quis sit qui aliter judicat quàm res est, Judex supremus, an qui habet superiorem; quoniam Veritas seu Rectitudo propositionis factæ nullatenus pendet ab ordine inter homines constituto, sed à sola cum rebus, de quibus fit, convenientia. Nec his obstat quòd dentur Propositiones quædam Mathematicæ, aliæque his similes excogitentur; quæ veræ dicantur licèt nihil existit cui sint conformes. Hujusmodi quippe suppositiones, quia nihil pronunciant de rebus extra mentem, cum talibus non sunt conferendæ, sed consensus tantùm inter terminos è quibus fiunt, est quærendus, in eóque veritas consistit earum: hæ tamen nullum habent in vita humana usum, nisi aliquid extra cogitationes nostras reperiatur factum, aut à nobis fiat, quod nihilo (quod quidem consideratu dignum) à conceptibus Animæ formatis differat. Si earum subjectum, aut aliquid quàm proximè simile non possit existere, nugatoriæ sunt, & æquivocè tantùm Veræ dicuntur. Veritas enim Complexa, quæ in solo consensu terminorum consistit, si termini ne possint quidem existere, non est ejusdem naturæ cum illa quæ consensum terminorum possibilium saltem, si non futurorum & existentium, indicat. Prior illa planè inutilis est. Utcunque tamen de hac re statuetur, illud liquidò constat, propositionem cujus subjectum existit, aut extiturum est, hoc est, cujus subjectum conformè est rebus extra mentem, quæ jam sunt, aut futura sunt,

postulare etiam prædicatum iisdem rebus conforme; adeoque totum debere rerum naturis extra nos positis congruere, quod præcipuè jam contendimus.

Certum etiam est unumquemque hominem singularem, & cujusque Jus in res, & personas, qualecunque tandem sit, quodquod esse non Chimericum, animoq; tantùm fictum, sed reale, & tanquam extra cogitationem considerandum esse, quippe ad rerum usum & effectus hominibus gratos singulorum jura referuntur; ideoque etiam necesse est ut propositiones, seu dictata Rationis de his ut vera sint, necessariò esse debere rerum conditioni conformia. Quod inprimis stabilitum velim ad evertenda Hobbii fundamenta: hinc enim immediatè sequitur, propositiones contradictorias de duorum quorumlibet jure ad easdem res aut personas, non posse esse dictata rectæ Rationis quæ Hobbianæ disciplinæ fundamentum est.

§. VII. Sciendum autem est obiter me per dictata Rationis Practicæ intelligere propositiones quibus indicatur aut finis, aut ad eum media in cujusque potestate posita: omnis enim praxis in hæc resolvitur. Rationem autem practicam tum demum Rectam dici, cum illa verè, seu ita ut res se habet, statuit in propositionibus significantibus quis cujusque finis sit optimus ac summè necessarius, & quæ sint media maximè idonea; vel (quod eodem recidit) quæ verè pronunciat quinam nostri consilii ac voluntatis effectus nos aliósque beatissimos constituent, & quâ ratione eos certissimè producemus. Prorsus uti in Geometria ea Ratio theoretica est recta quæ quantitatem aliâ majorem esse dictat, quæ re ipsâ ex Natura sua est major: Ea autem propositio practica recta est quæ modum docet construendi Problemata, quem si sequemur, effectum re ipsa dabimus, quod erat faciendum: nec certior est hujusmodi sententia aut propositio, si ab Imperatore fiat, quàm si fieret à privato. Quoniam enim omnis recta Ratio rebus, de quibus judicium fecimus, est conformis; res

autem

autem unæ ſunt, ſibique ſimiles: Sequitur, rectam rationem in uno non poſſe id dictare, quod contradictorium eſt & repugnat rectæ Rationi iisdem de Rebus in alio quovis homine.

Ex hoc etiam principio ſequitur, quod generaliter de omnium hominum Actibus præcipi poteſt & debet; *Actus humanos per totam cujusque vitam eſſe debere uniformes & ſibi conſonos*; eúmque non poſſe ſecundùm rectam Rationem perpetuò agere, qui, ut Horat. loquitur, *æſtuat, & toto diſconvenit ordine Vitæ:* Nempe intrinſecè includitur in conceptu veræ propoſitionis, (practicam ſume exempli gratiâ) atque adeò hominis ea in re rectè judicantis perfectio eſt neceſſaria, ut cum aliis veris de materia ſimili factis conveniat, licèt ſimilis ille caſus aut alio tempore recurrat, aut alterius fuerit hominis: adeoque ſi quis actum ſuum ſumendi ſibi ad vitam neceſſaria ab aliis nondum occupata facere judicet ad perfectionem univerſi, neceſſe eſt ut judicium quod alterius in ſimili conditione poſiti actus ſimilis pariter ducat ad eundem finem, ſit unicè rectum; atque ideò intrinſecè includitur in conceptu rectè judicantis, ut judicet eadem aliis licere in ſimili caſu, quæ ipſe ſibi licere verè exiſtimat. Quod extendendum eſt etiam ad illa, quæ circa opem ſibi ferendam juxta rectam Rationem poſtulare quis ſe poſſe aut debere verè credat: æquum enim eſt ut in paribus circumſtantiis alium quemvis ejusmodi auxilia ab eo meritò debere poſtulare poſſe perſuaſum habeat.

Hîc autem adeò ceſpitavit Hobbius, quoniam non obſervavit eandem eſſe omnibus Normam (rerum Naturam, finis præſertim omnibus rationalibus neceſſarii & mediorum eò naturaliter ducentium) ad quam exigenda eſt omnium Ratio ut innoteſcat, utrùm recta ſit nec ne.

§. VIII. Obiter autem hîc notare licet, quàm honorificè de Deo (per dictata rationis naturaliter regnante) Hobbius ſentiat; Deum nempe de jure Naturali homines inſtituen-

tuentem per Rationis rectæ dictamina, pronunciare sibimet ipsi contradictoria; docere modò pugnandum esse adversùs omnes, adeoque in prælia committere homines utrinque *injustè* (quia jura tantùm sua repetunt) occidendos; deinde autem vetare bellum eâdem rectâ Ratione, eáque Ratione jubere relinquere, quæ eadem etiamnum pronunciat, quia jura sunt, rectè retineri, bello vindicari. Enimverò necesse est ut Deo affingat omnes illas contradictiones quas in recta (uti ille vocat) Ratione hominum contradictoriè de necessariis ad vitam suam pronuntiantium esse agnoscit: quippe per hanc rationem Deum regnare docet velut per Legem, *de Cive cap. 15. §. 8.* adeoque permittere ea omnia quæ hæc ratio permittit, & docere omnia salvis legibus fieri posse, quæ recta Ratio de jure naturæ fieri posse docuit. Ipse enim Hobbius jus non extendit ultra libertatem facultatibus naturalibus secundùm rectam Rationem utendi, ubi de industria illud definit *de Cive cap. 1. §. 7.*

Ex his autem perspicuum est, quòd Hobbii Deus primò Jus dat aliena omnia invadendi, quòd illius recta Ratio flagitia quælibet perpetrandi licentiam complectitur, indè verò perniciosi belli miseriis omnes implicat. Sed postquam flagitiorum, bellorúmque malis homines fecit miseros, meliore aliquantulum viâ iter instituit ad Justitiam, qualis quidem legum Civilium pœnas effugiat; & ad pacem, qualem scilicet illa justitia constituet, tandem infœlices mortales perducere conatur.

Ratio quam ego Rectam dixerim inprimis fœlicitatis nostræ simul ac alienæ partes omnes meditatur, & causas in nostra potestate positas è longinquo prospicit; quas cùm ex Natura sua adeò complicatas inter se videt, ut *prudens* nostræ fœlicitatis Cura ab alienæ, communis nempe omnium societatis, studio divelli nequeat, summam statuit erga Deum, hominesque justitiam colendam esse, pacémque indè beatissimam profecturam præsagit.

Eâdem

Eâdem autem operâ actus hominum omnia ſibi arrogantium, aut his ſimilia facientium, bellis & ſummis calamitatibus omnia miſcere præſentit; nec opus habet rem adeò manifeſtam ſuo periculo, & à belli temerè ſuſcepti cladibus diſcere. Ideo jus talia perpetrandi nunquam concedet; ſed contrà Amicitias inire, & regimen Civile conſtituere ubi defuerit, conſtitutum autem conſervare jubebit, ut non ſolùm hæc belli mala quæ à quorundum hominum dementia naſci poſſe præſentit, propulſentur, ſed adjumenta maxima ad ſummam virtutem ſimul & fœlicitatem comparentur. Hoc autem ideo fieri poſſe cenſuit Hobbius (imò & neceſſariò fieri) quoniam non obſervavit eandem eſſe omnibus Normam (rerum Naturam) ad quam exigenda eſt omnium Ratio, ut innoteſcat utrùm recta ſit nec ne.

Hîc autem ego Ædis Concordiæ lapidem angularem & fundamentalem à Natura jactum exiſtimo; quippe hinc derivatur hæc Lex Naturalis uniens omnia Entia Rationalia (ſeu quæ ſapiunt, nam adulta Ratio eſt Sapientia) inter ſe, & cum Deo utpote ſapientiſſimo, quæ ſic exprimitur; *Oportet unumquemque rectâ Ratione utentem, judicio & appetitu indè determinato conſentire cum aliis omnibus rectâ pariter Ratione de eadem Materia judicantibus.* Unde illud etiam hypotheticè ſequitur (quod poſtea ex propriis Principiis probabimus) ſi quiſquam rectè ratiocinando rationalis (*i. e.* ſi quiſquam ſapiens) ſuum ſingulis officium ad bonum Publicum aſſignaverit, alios omnes qui rectè ſenſerint in idem eſſe conſenſuros. Verùm hâc de re poſtea plura.

§. IX. Illud autem poſtea monebimus, ut Ratio noſtra recta ſit, cavendum eſſe non modò à Paralogiſmis ubi diſcurrimus, verùm præcipuè à temerariis judiciis, quibus aliquid tanquam luce ſuâ evidenter verum admittimus abſque ulla probatione: curandúmque eſt inprimis, ut apprehenſiones noſtræ ſimplices & *claræ* ſint, ex forti, ac frequenti

ejusdem rei per varios casus, ut sensus, variáque experimenta cognitæ, & *distincta*, per separatam ejus partium singularum observationem, & *adequata* insuper (quantum assequi possumus) per Memoriæ & intellectûs auxilia, sensuum explorationi superaddita. Sciendum est in his impressionibus ab extrà propriè nullam falsitatem esse posse. Ex distantia quidem, refractione, aut coloratione radiorum in Ictericorum oculis occasio datur incautis falsò judicandi, sed si omnia in *Medio* inter facultatem percipientem & objectum considerentur (ut oportet) antequam Judicium feramus (ipsius sanguinis, Spirituum indè emanantium, nec non Cerebri temperies huc referatur) errorem poterimus devitare. In *medio* sunt causæ partiales impressionum factarum, adeoque necessariò considerandæ sunt. Deinde etiam antequam quicquam statuemus de Identitate & cohærentiâ, vel etiam de Terminorum diversitate & oppositione diligentissimè inter se sunt comparandi; cavendumque præcipuè cùm de primis seu universalissimis veritatibus meditamur, ne ulli propositioni assentiamur absque summa, & ineluctabili necessitate. Non enim Arbitrio nostro constitui potest veritas, sed tota in rerum, & distinctorum conceptuum qui à rebus imprimuntur cohærentia, conspicienda est, quæ autem conspicimus, necessariò conspicimus, tum cùm facultas animadvertit: quanquam illa Animadversio sæpiùs ab arbitrio nostro dependeat. Atque ab hac quidem Regula summa rei, de qua disceptatur, dependet. Cùm enim Propositionum affirmatarum veritas tota contineatur in cohærentia duorum terminorum; hi autem ideo naturaliter cohærent, quia res eadem utrumque terminum menti imprimit, iíque ipsi eandem planè rem sub diverso respectu referant; patet non ab hominum arbitrio nomina pro lubitu fingentium, & conjungentium, sed à rerum naturis suas ipsarum imagines animo depingentibus Veritates pendere. Quicunque autem à Rerum Natura nobis imprimuntur motus, neces-

sarii sunt, & à motore Primo naturæ Authore proveniunt. Quæcunque notiones à rebus motu planè naturali sensibus, & imaginationi impressæ, veritatem menti exhibent practicam de actionibus ad bonum commune maximè facientibus veritates, hujusmodi Leges sunt naturales, uti postea ostendemus,& earundem impressio in animum est Legum inscriptio & promulgatio, eaque eâdem ratione à primo motore dicantur (rerum naturâ mediante) imprimi, quâ Theoretica axiomata (ut ejusdem circuli radii omnes sunt æquales) rectè dicantur à prima Causa, mediantibus secundis, in mentes nostras necessariò introduci. Meritò igitur naturali legi convenit illud quod Marcianus in *Pandectis*, è Demosthene, legum generali descriptioni inseruit, quòd sit εὕρημα καὶ δῶρον Θεοῦ. Qui Deum non agnoscunt investigari ex necessitate primi motoris (quod tamen agnoscit Hobbius) antiquissimum, &, meo judicio, firmissimum Religionis fundamentum subruere videntur. Nihilominus, si ex ordine, respectibúsve rerum ad se invicem & pulchritudine indè emergente, aut ex eo quòd tot earum ad usus nostros, ceu finem naturâ destinari videantur, Deum existere probari agnoscant, hoc nostro Medio Deum impressionum necessarium Authorem fateri cogentur.

§. X. Tanti momenti videtur esse hæc observatio, de veritate simplicium apprehensionum, seu naturalium omnium impressionum, ut ausim indè inferre, nec naturam externam, nec nostram unquam nos necessariò & inevitabiliter determinare ad falsam sententiam ferendam, adeoque nec ad eligendum, aut faciendum malè, quod semper ab intellectûs incertitudine, & errore proficiscitur. Sed quicquid unquam contra rerum omnium accuratè perpensarum naturam, vel indicationes judicamus, expetimus, agimúsve, id totum præcipiti, temerario, intempestivóque Liberi Arbitrii usui, præsentis plerumque commodi titillatione delusi, & stimulantis judicium ad pronunciandum

de

de rebus nondum satis compertis, imputandum esse reor. Naturæ autem, & necessitati de evidentibus statuendi, debemus veritates omnes (etiam de moribus) quæ immutabiles sunt & nunquam fallunt: eique hæc sola attribuenda sunt, ne injurii simus & facultatibus nostris, quarum nulla unquam nos necessariò ad falsa recipienda determinat, & rebus extra nos naturaliter agentibus fallere nesciis, & ipsi Deo quem repugnat nos decipere voluisse. Hæc autem statuimus potiore jure quàm Medici, qui eos solummodò humorum *v. g.* motus secundùm naturam esse dicunt, qui ad individui conservationem, & sanitatem faciunt, reliquos qui ad morbum tendunt & hominis corruptelam, præternaturales appellantes: nec injuriâ, quia naturam intelligunt particularem; cujus conservationem eorum ars spectat: nec tamen inficientur, quin perniciosissimæ humorum Metastases fiant secundùm leges naturæ universi. In homine autem Judicii error & malitia Voluntatis nec congruunt particularis naturæ conatibus versùs suam veram perfectionem, nec à necessitate influxûs rerum externarum quarumlibet in illum proficiscuntur: Sed à mera primùm inadvertentia, & temeritate, mox à More seu Imitatione sui aliorúmque.

Iniquissimus igitur est Hobbius qui quicquid in malè feriatorum Congerronum congressibus factum observavit, id velut gravissimam de Natura humana contemplationem, & novæ Politicæ fundamentum proponit. Nec Theoretica tantùm axiomata, sed prima morum formandorum principia in hoc necessitatis gradu quærenda esse autumo. Dictata autem quæ particulares multas actiones, circumstantiis suis vestitas, determinent, satis est ut probabilibus nitantur rationibus, quales mentis nostræ imbecillitas, præ qua omnia præsentia expendere non potuit, multò minùs omnia exinde sequutura prævidere, in ingruente agendi necessitate, assequi poterit: Naturæ necessariorum proximè accedunt ea quæ ab examine, & deliberatione cauta,

ab

ab experientia, & expertorum vero Testimonio proficiscuntur; qualia sunt Leges Civiles & Casus, seu res judicatæ in foro Civili. Naturæ itaque humanæ propensio ex his potiùs quàm ex temerariis hominum actibus æstimanda est. Nam Deliberatio, Experientia, reliquáque omnia veri cognoscendi adjumenta propiùs semper nos deducunt ad eum animi statum, quo propter influxum rerum in ipsum non potest aliter sentire quàm sentit, quod fit cùm judicat ex sensuum evidentia, vel perspicua demonstratione: Atque adeò quò magis necessarium, & inevitabile est judicium quodlibet, eò magis naturale, aut naturali propinquum censenduum est. Hobbianus autem error contrà è temerè factis de natura hominis statuit, ac si natura arboris dijudicaretur è fungis & musco cortici ejus quandoque adnascentibus.

§. XI. 2. Observanda venit vis peculiaris animi humani quâ notiones universales, omittendo rerum accidentia discriminantia, efformat: Hinc enim ingens exoritur adjumentum memoriæ, adeoque Prudentiæ inde fluenti, imò omni Virtuti huic connexæ, omníque actui, & habitui quorum auxilio constantior, ornatior, beatiórq; fit vita humana: Attributa enim sive intrinsecam constitutionem, sive causas & effecta spectent, uni aut paucis Naturis universim consideratis convenientia, innumeris individuis, variísque eorum circumstantiis nullo penè negotio mens applicare valet. Hinc omnes Scientiæ, utpote ex universalibus conflatæ, Horum ope Historiæ naturalis Compendia, & summa capita, facilè colliguntur, è quibus (ut alia mittamus) citissimè discimus, quænam sint aut nostræ aut aliorum naturæ conservandæ & perficiendæ necessaria. Pariter etiam Artium præcepta cùm sint universalia compendiosè instituunt, quibus mediis quilibet homines, quorum facultates eorum sint capaces, ad fines illis propositos pervenerint, vel possint pervenire. Sic Logica, Medicina, & Ethica (seu ars Morum) Nautica, Architectura, non unum definitè hominem *v. g.* Aristo-

Aristotelem instituunt, quo pacto Rationem in singulari tantùm materia dirigat ad Veritatis cognitionem; aut quomodò Hippocrates seipsum sanum conservet, aut si quando ægrotaverit, ad sanitatem reducat: nec Nautica Palinurum tantùm docet, ut unicum portum assequatur: Sed artifices omnes indefinitè cujusvis hominis finem in genere, adeoque bonum destinatum, considerant, mediáque pariter universalia eligunt, eorúmque usum præscribunt, atque ideo generalia hæc primò meditantur tam qui has artes docent, quàm qui easdem discunt. Quod obiter evincit homines non modò posse, sed in omni arte solere priùs spectare bonum generalius quàm suum: quanquam nihil prohibet quin determinato ad particularia generalium præceptorum influxu suam *v. g.* sanitatem tueatur Hippocrates juxtà ac aliorum; sibíque Domicilium extrui curet Vitruvius, uti aliis ædes erigendas curaverit. Hoc præterea commodi habet observatio Universalium Conceptuum & propositionum Theoreticarum & Practicarum à Mente humana naturaliter factarum, quòd ex universalibus hujusmodi notionibus immutabiles, adeoque Æternæ quodammodo Regulæ humanis actibus constituantur. Hujusmodi propositiones seu Regulas aliquam-multas in sequentibus Lectori exhibemus, è quibus distinctè videat, quænam sint notiones universales è quibus constituuntur, & quàm propriæ sunt menti humanæ, quantíque sint usus ad Pietatem, Regimen Civile, & Gentium diversarum Pacem ac commercia. Verùm priùs annotare oportet pauca de vi & propensione mentis humanæ ad Verba, Scripta, aliáve Signa arbitraria constituenda, quorum ope ipsa notiones tum universales, tum singulares in memoriam sibi revocet, aut eas aliis significet. Hoc autem insigne discrimen inter homines & cætera Animalia plurimùm confert ad Societates tum ineundas, tum conservandas: consensus autem inter homines de hujusmodi signorum usu facilè intelligetur, si consideramus (uti Christianos decet) quid

quid sacra refert pagina (*viz.*) ab una radice omnes germinâsse, adeoque tum Evam non difficulter usam fuisse Vocibus in eundem finem in quem Adamus eas primus instituisset, & eorum posteros cum lacte materno verborum significationes imbibisse. Quòd si placeat Hobbio homines in statu naturali considerare, tanquam si essent jamjam subitò è terra (fungorum ritu) exorti, & adulti, sine omni unius ad alterum obligatione; etiam tum Ratio suaderet ut consentirent plures (quotquot consortii occasiones haberent) de iisdem Verbis, aliísve signis ad res easdem significandas. Nec omnino consideratu dignum esse, quis primò hoc signum huic notioni vel rei adaptâsset; plurimi autem singulorum interesset, ut de aliqua saltem nota conceptûs mutui inter eos conveniretur, cujus ope res singulæ omnibus innotescant. Hinc enim singuli suis observatis aliorum intellectui communicatis mentes eorum uberiori notitiâ locupletare possunt. Adeò ut præsentis Sæculi experientia, & studium Sæculis futuris ad prudentiam fœlicitatémque viam ostendat compendiosiorem, virtutésque omnigenas faciliùs ingeneret; de pactis & Legibus inter se mutuò faciendis disceptare valeant; quæ conventa fuerint promulgare, examinare, an fuerint, observata testimonia afferre, & recipere, & secundùm probatam sententiam pronunciare poterint. Hæc autem & humanæ Naturæ propria esse, & ad societatem hominem reddere aptiorem, ne Hobbius quidem negabit.

§. XII. Addámne perfectionibus humani Intellectûs, quòd possit aciem suam in se convertere? Habitus, dispositiones ex actibus præteritis fluentes expendere? Sua Dictamina memoriâ retinere? recolligere? & cum Actionibus comparare? & quo Animus inclinet judicare? & sese dirigere ad ea prosequenda quæ factu videntur optima? Conscia mens est nostra & actuum suorum omnium, & observare potest, ac sæpe solet, è quibus consiliis fluxerint, naturaliter de se judicat, sibíque exinde affert vel tranquilli-

quillitatem,& gaudia; vel anxietatem, & tristitiam. In hac autem mentis vi, actionibúsque indè manantibus tota Conscientiæ vis consistit, quâ leges sibi proponit, actus præteritos examinat, & futuros regit. Nec ulla vestigia in reliquis Animalibus tam nobilis facultatis conspiciuntur. Ingentes sunt hujus Principii vires ad Virtutem tum ingenerandam, tum ad augendam, nec minores ad fundandas societates eásque conservandas, tam inter eos qui eidem Imperio Civili non parent, quàm inter Concives. Et sanè hujus opusculi scopus præcipuus hic est, ut ostendam, quâ ratione hæc animi nostri vis aut sese explicat, aut ab objectis excitatur ad componendas quasdam Propositiones practicas universales, quæ fœlicitatem hominibus possibilem distinctiùs indicent, & quibus tandem actionibus nostris in omni circumstantiarũ varietate illa certissimè obtineatur, enuntient. Hæ enim sunt actionum regulæ, Legésque Naturales. Hîc loci nihil addam de iis quorum suprà mentionem feci, de cognitione Numeri, Mensuræ, Ordinis, de Libero Arbitrio, &c. quanquam hæc & homini peculiaria sunt, & ad rem nostram plurimùm faciunt. Conferam autem meipsum ad corporis humani considerationem, in quo nonnulla ad institutum nostrum observatu digna occurrunt, quæ ab aliis hoc Argumentum tractant negligi, vel saltem omitti solent.

§. XIII. Quoniam enim humani corporis vita, valetudo, statúsque perfectissimus qui acquiri potest (curatis pro sua dignitate cæteris omnibus) pars est illius finis quem recta Ratio sibi proponit, atque insuper ejus vires usúsque varii sunt media toti homini utilissima, tam ad mentis cujusque propriæ perfectiones acquirendas, quàm ad boni communis prosecutionem; fieri non potest ut ejus consideratio non aliquid suggerat, quo meliùs de fine & mediorum usu statuamus: in dictaminibus autem de fine illo, mediísque illuc ducentibus tota consistit Lex Naturæ, cujus originem & partes præcipuas propositum est inquirere. Imprimis autem

autem universaliter hoc pronunciandum videtur, quòd quicquid è corporis nostri fabrica Divino artificio absolutâ demonstrat possibilem hominis fœlicitatem à plurimis causis pendere, quarum præcipuæ sunt rationales, atque adeò eam sperari non posse nisi conjunctim cum communi; quicquid indicat insuper posse unumquemque sui corporis viribus aliquid efficere, quo communis hic finis obtineatur, & aliorum auxilia procurentur, ipsóque conatu hæc efficiendi hominem quemvis sese beare quantum in eo est; illud certè evincit in corporis natura sufficiens dari indicium obligationis ad hos conatus: ídque ex obligationis naturalis legísque natura post hoc elucidandâ patebit. Præterea verò quò clariùs ac constantius indicatur modus ac ordo juxta quem necesse est ad nostram ut cum aliis cooperemur ad communem fœlicitatem, & quò majores cuique sunt vires, aut fortior propensio ad ejusmodi actus, eò facilius est debitam hanc publico operam persolvere, & gravius est crimen quod mandati violatione admittitur, unde luculentior majórque obligatio ad ejusmodi actus certissimè colligatur. Quapropter nonnulla hujusmodi indicia à corpore desumpta visum est proponere: aliorum observatio & sagacitas plura adjiciet, aut hæc ipsa fœliciùs persequetur. In humano Corpore consideranda veniunt (1) quæ illi insunt, ut est corpus; (2) quæ habet, ut animatum sensibile, instar reliquorum animalium; (3) quæ illi sunt peculiaria.

1. Cum omnibus hujus universi corporibus hæc habet communia: (1) quòd omnes illius motus, adeoque etiam illi in quibus vita, valetudo, ac robur ejus consistit (quorum conservatio est pars magna finis unicuique propositi) à Primo motore proveniunt, & necessariò innumeris aliorum corporum quæ in eodem versantur systemate motibus implicantur, & ab iis aliquatenus dependent. Inter hæc autem præcipuè observanda veniunt aliorum hominum corpora, corúmque motus qui nostros limitare possunt,

ac à ratione gubernantur, de qua spes est quòd in concordiam cum ratione nostra duci possit. (2) Quòd (juxta ac ab aliis corporibus) motus ab illis longè latéque propagatur, qui non perit, sed cum aliis motibus concurrit ad perpetuandas rerum successiones, seu ad totius conservationem. Atque uti prius finem privatum à viribus communibus pendere docuit, ita posterius hoc singulorum vires publicè latissiméque utiles esse posse commonstrat; prius bonum singularium à bono omnium divulsum sperare vetat, adeoque hortatur ad communem fœlicitatem quærendam, velut fœcundam privatæ beatitudinis parentem; posterius ostendit communis boni studium non irritum fore, siquidem cum conatu totius universi consentit. Porro autem in utroque hoc motu implicato, nempe & in illo quo pleraque omnia concurrunt aliquatenus ad singulare aliquod corpus aliquandiu conservandum, & in illo quo singulare aliquod cum reliquis concurrit ad totius systematis conservationem, certus quidam servatur ordo, quo alii motus ab aliis continuâ serie determinantur, omnésque à motu totius systematis in se recurrente reguntur. Nec opus est ut ab una qualibet hypothesi de mundi systemate petamus suppetias, ut hæc quæ de ordine necessario inter motus implicatos, eorúmque viribus diximus, probentur; hæc enim demonstrantur à principiis Geometricis, quæ in omni hypothesi stare debent inviolata. Nihilominus etsi hujusmodi contemplatio ab usu videatur remotior, ea tamen non est rebus humanis inutilis; facit enim ut distinctè & è principiis generalissimis cognoscamus, quàm necessarius sit ordo certus inter causas quæ vi agunt corporeâ, ut earum plures ad effectum aliquem animo præcognitum & destinatum concurrant. Præterea verò modum ostendit quo certò æstimemus quæ causâ plùs, quæve minùs ad effectum expetitum contulerit, unde è propria seu naturali vi causarum, ordo dignitatis, respectu ad quemlibet effectum, determinatur, unde ab ipsa natura rerum docemur, tum

quæ

quæ causæ pluris æstimandæ sunt ob ea quæ jam effecerint, tum quarum auxilia ad ea quæ adhuc expetimus, diligentiùs sint solicitanda. Hâc ratione scitur Causas illas quas Philosophi Universales appellare solent (materiæ cœlestis motum intelligo, &c.) earúmque Primam, nempe Deum, præcipuos esse fontes communis boni, quo vel fruimur omnes, aut quod ex natura rerum speramus. Atque (ut seponamus ea aliquantisper quæ à viribus humanis nullo modo flecti possunt) inter omnia quæ vel tantillùm ab hominibus moveri possunt, eâdem Ratione manifestum est motus ab universali Rationalium omnium erga omnes benevolentiâ proficiscentes, publicæ inter eos fœlicitatis (unde oritur privata cujusque beatitudo) causas esse potissimas. Hinc enim profluunt actus omnes quibus innocentia aut fides servatur, nec non quibus humanitas, gratitudo, virtutésque omnino omnes exercentur (quarum vi singulorum dominium in sua, & omnia cum aliis commercia subsistunt) prout particulares motus ab Universali in systemate mundi determinantur; aut ut omnes spirituum, viscerum, vasorum, & artuum functiones in corpore animalis à sanguinis motibus profluunt. Hanc autem si ex natura rerum penitiùs inspectâ imbibamus sententiam, efficit procul dubio ut boni publici studio omnibus naturæ legibus & ipsi obsequium præstemus, & diligenter curemus ut idem ab aliis præstetur; unde nihil deerit, quod quidem à nobis præstati potest, quo cum aliis etiam nos beemur; nec majorem finem ratio cuiquam proponere potest.

§. XIV. Interim tamen, dum aggregatum hominum quatenus vi agunt corporeâ, cum naturali corporum systemate comparamus, non me fugit manifestum illud discrimen quod inter hæc intercedit, nempe effecta systematum merè corporeorum produci per contiguitatem inter corpora moventia & mota, & plerumque quidem sine sensu, semper sine interventu consilii ac libertatis; dum inter

homines multa sæpe intercedat distantia, multúsque usus rationis & arbitrii cuique proprii. Nihilominus manifestum est pariter, & singulorum hominum vim corpoream dum exercetur, iisdem legibus motûs subjici cum aliis corporibus; & quandocunque plures homines ad effectum quemlibet qui ad alios spectet, cooperentur, (id autem faciunt quotidiè ultra quod quisquam perfectè providere possit) eandem esse vim, ac necessitatem subordinationis inter motus ab hominibus profectos, quæ est inter alios quorumlibet corporum: de his autem tantùm locuti sumus in prædicta comparatione; ea itaque legitimè instituta est: non verebor tamen, hâc occasione oblatâ, affirmare, quòd quoniam frequentes sunt hominibus opportunitates inter se mutuò conveniendi, quibus sibi invicem prosint aut obsint, multíque insuper sunt modi quibus longè absentibus, dictis aut factis, bene vel malè faciamus, præsertim si totus vitæ humanæ quæ viro superest, decursus spectetur (quod ab unoquoque naturaliter & perpetuò fieri certum est, quia omne tempus futurum fœlix sibi quisque appetit) totum genus humanum velut unum systema corporum considerandum esse; adeò ut nihil alicujus momenti à quovis homine fieri possit circa cujusvis vitam, fortunas, sobolémve, quod non aliquatenus pertingat ad ea quæ aliis pariter sunt chara, ut motus unius corporis in systemate mundano aliquem imprimet impulsum in alia multa, præsertim vicina. Vim enim contiguitatis ad communicationem motûs in aliis corporibus requisitæ, supplet ingens illud latissimæ cognitionis, quod hominibus concessum est, privilegium. Cientur enim illi ad motus per minim[illegible] [illegible]dam signa sive naturalia sive arbitraria, quibus [illegible] [illegible]is hominibus in locis distantissimis factum fuerit, [illegible]ri opus sit, citissimè percipiunt. Præterea verò hæret hominibus eorum, quæ erga ipsos, ipsísve charos facta sint, memoria, à qua excitantur, ad paria referenda quam primùm occasio detur; atque insuper naturaliter providi

sunt,

ſunt, ſumúntque præſagia ex iis quæ nôrunt quemvis erga alios feciſſe, ſimilia planè expectanda eſſe tam à ſeipſis quàm ab aliis quos diligunt; unde plurima agunt ad mala præcavenda, atque ad firmandam bonorum è longinquo futurorum ſpem. Memoria autem hæc præteritorum, & futurorum prævisio efficiunt ut commoveantur homines etiam diſtantes à ſe invicem iis quæ erga alios fiunt, (magìs quam corpora inanimata vicinorum corporum motibus, qui niſi præſentes ſint, nihil agunt) quia utramque ſtatim concomitatur certa admodum ratiocinatio quâ à naturæ & conditionis ſimilitudine, quoad neceſſaria, colligunt ſimilia ab ipſis eſſe expectanda. Hinc enim fit ut illi non poſſint non tangi eis quorumlibet hominum erga alios actibus, quorum vis naturalis ejusmodi eſt, ut ſi ab eodem ſæpiùs repetantur, aut ab aliis in exemplum trahantur, notabilis ſequatur conditionis hominum aliorum indefinitè mutatio, ſive in melius ſive in deterius.

Fatemur tamen non omnes pariter eis affici, ſed alios magìs, alios minùs, prout ſunt animo magìs minúsve ſagaci, & ad communis boni cauſas aut oppoſita intelligenda comparato. Nec tamen ideo minùs naturalis eſt inter homines communicatio in actibus qui communem omnium ſtatum reſpiciunt, quàm eſt communicatio inter ejusdem ſyſtematis corpora in motibus naturalibus, quos conſtat à materia ſubtili & mobiliore uberiùs ſuſcipi, à craſſa verò parciùs. Sufficit quòd vis intellectûs ſimilitudinem naturæ, ſtatusque, quoad neceſſaria, inter omnes homines percipiens, quódq; ratiocinari à factis erga alios, ad ſimilia facienda aut ſperanda, aut metuenda planè naturale ſit, & perpetuum, nec minùs efficax ad homines commovendos quàm contractus mutuus eſt inter moventia & mobilia ad communicandos motus inter partes ſyſtematis corporei. Nihil interim hinc colligere libet, præterquam quòd & aliunde manifeſtum eſt, & hinc ſponte ſuâ ſuccreſcere mihi videtur, nempe hinc diſcant homines ſinguli ſecuritatem ſuam à malis, & ſpem

omnem auxilii ad fœlicitatem acquirendam ab aliis afferendi, à voluntaria multòrum opera necessariò pendere; hos autem non minùs multis adhuc aliis indigere, ut ipsis bene sit; unde statim perducimur ad agnoscendum, omnium officia mutua omnibus esse utilia. Cui par est quòd corpora naturalia in eodem systemate aliorum indigent concursu & cessione, ut motus suos possint peragere. E necessitate autem mutuorum officiorum sequitur necesse esse, ut qui quantum potest suæ fœlicitati prospicere velit, aliorum omnium quantum potest, operam ac benevolentiam pro virili concilier. Est autem unicuique id cognitu facillimum, & inesse sibi vires quibus opem & officia innumera aliis præstare possit, ac cum toto Rationalium systemate in eundem finem, motúmque versùs commune bonum conspirare; & è contrà exiguas unius vires nequaquam sufficere, ut tot causas quæ singulæ sunt ipsi circiter æquales, ad auxilia ipsi præstanda cogat, relicto neglectóque omni conatu naturali versùs ea quæ ipsis sunt necessaria. Quemadmodum impossibile est ut unius libræ pondus millenarum aliquot librarum æquâ bilance contranitentium pondera sursum tollat. Certamen enim omne inter homines per vim merè corpoream secundùm leges motûs naturales effectum suum perpetuò sortitur. Eas autem omnes in lance super uno centro aut binis oscillante exhiberi posse docuerunt Clarissimi viri, Wrennius, & Hugenius. Nec tanti est momenti unius suprà alios omnes solertia, aut dolus, ut possit lancem innumerorum veris necessitatibus, viribus, & consiliis versùs commune bonum depressam in alteram partem (privata scilicet unius commoda) inclinare. Quaprópter è virium humanarum generali natura non potest non manifestum esse, eas certiùs ad auxilium nobis ferendum duci posse per communis boni studium, quàm per vim, ac dolum, seu ferinam rapacitatem; ad quam Hobbius etiam bonis recurrendum esse in statu naturæ, eámque vitium non esse propter jus naturale

ſe conſervandi, docuit apertè in Epiſtola Dedicatoria Libri *de Cive.*

§. XV. Noſtræ porro ſententiæ lucem fœnerari videntur principia Phyſiologiæ Mechanicæ generalia, quibus Hobbius ipſe unicè videtur conſentire, quæ hoc cumprimis inculcant, velut in omni hypotheſi neceſſariò obſervandum, nempe, Univerſi corporei motum per ſingulas ejus particulas diſperſum conſervari, eâ motuum omnium inter ſe communicatione, eâ ceſſione, acceleratione aut retardatione quam ſingulorum corporum vires & impetus accurato calculo computari ſeu librari poſtulant: ita tamen ut unus ille totius ſyſtematis motus circa centrum omnibus commune (qui è ſingulorum corporum motibus ſimul additis velut aggregatum conflatur) inviolatus idémque ſemper maneat, & partium ſuarum omnium impetus determinet, temperétque. Eadem eſt in omnibus corporibus in ſuo motu perſeverandi vis, ac neceſſitas, quæ in uno quovis magnitudini, nempe figuræ, & ſoliditati ſuæ eſt proportionata; ſed & vis hæc in ſingulis ſubordinatur motui totius ſyſtematis, atque adeò ipſa, ſimul & totum conſervatur ab illo à quo determinatur. Sic ſingulorum corporum motus cum generali totius motu conveniunt, eíque deſerviunt; & generalis ille ſyſtematis motus ſingulorum corporum vires regit conſervátque quoad fieri poteſt per rerum hujusmodi omnium, ſingulorúmque naturam, quæ in perpetuo motu ſeu mutatione conſiſtit. Ita ſcilicet temperantur omnia, ut nec materiæ nec motus vel minima quantitas deperdatur; quod è principiis Mechanicis demonſtratur, & ſingulorum obſervatio, fidéque digniſſimæ rerum præteritarum hiſtoriæ teſtantur eadem animalium genera perennari, & augeri potiùs quàm minui, ne quicquam renitentibus ferocibus paucorum quorundam animalium paſſionibus. In hac materiæ, motúsque & omnium ſpecierum perennitate, per rerum ſingularium ſucceſſiones continuatâ, conſiſtit univerſi corporei conſervatio, ſeu

bonum naturale, in quod fertur secundùm immutabiles motûs leges. Nec ulla unquam sufficiens ratio afferri poterit, cur humani generis conservatio non spectanda sit ut munita ac stabilita vi causarum æquè certâ, naturalíque, ac aliorum quorumvis animalium successiones, quæ ab universis corporei natura perenni, & à necessariis motûs legibus unicè pendent; quandoquidem in essentialibus animalium prorsus conveniunt. Mentis certè conjunctio cum hoc corpore conditionem illius meliorem sæpissimè facit quàm brutorum animantium, deteriorem verò nunquam; id quod constabit cuivis beneficia quæ à rationis regimine corpore suppeditantur consideranti, quæ abundè compensant nonnulla quæ ex errore mentis corpori contingant nocumenta. Immò certissimum est quòd errores animi circa victum, ac voluptatem, cateráque quæ corporis tutelam spectant, indè proficiscuntur, quòd mens præter suæ rationis monita cedit appetitui, & affectionibus corporeis seu animalibus.

Hæc autem omnia quæ de necessariis Causis conservationis universi corporei, & (prætermissis rebus aliis) variorum generum animalium, humani que adeò generis diximus, hujusmodi cogitationes ac sententias animis humanis imprimunt, quæ ad rem nostram plurimùm faciunt.

Humani generis conservationem seu commune bonum rem esse non modò possibilem, sed à causis tot tam perfectè determinatis pendere, ut certò eam perennaturam esse (velit nolit Timon quispiam μισάνθρωπος) summa cum ratione credamus.

Effectum hoc & suâ naturâ nobilissimum esse, & cum singularis uniuscujusque conservatione, ac fœlicitate possibili conjunctissimum. Corporum omnium singularium, ipsorúmque adeò hominum materiam, ac motum universi corporei (quod hominum corpora complectitur) conservationi naturaliter & necessariò, velint nolint, aliquatenus inservire, quatenus nempe singula quæque corpora in suis motibus à generali totius systematis motu determinatur,

quo

quo illud suam tuetur perennitatem. Nonne autem Natura rerum ejúsque adeò Author Deus, per illud humani generis communis boni studium potenter suadet imperátque, per quod indicat & illud possibile esse, & maximum, & cum uniuscujusque privata fœlicitate magìs conjunctum quàm aliud quodvis effectum quod tanquam possibile prævidere possumus, facítque ut illud quadantenus promoveamus, necessariò etiam tum cùm brutis affectibus paremus, illúdque, ut possumus, oppugnamus? Nonne manifestum est eum rationi practicæ, seu impressis notitiis de causis boni publici privatíque convenientissimè facere, qui inchoatos corporeæ naturæ conatus prosequitur, altiúsque evehit adjungendo mentium humanarum opem?

Præsertim verò ideo hoc satìs manifestè omnibúsque expositum videtur, quoniam tota mentis opera, quæ ad complendam humani generis fœlicitatem necessaria est, ex iis quæ diximus de modo quo mundus corporeus conservatur, hauriri potest. Consistit enim in his duobus (1) ut conatus singulorum versùs suam conservationem subordinentur ejusmodi conatibus, seu actionibus quæ ad totius conservationem manifestò sunt necessariæ: (2) ut hoc modo ita librentur vires singulorum quibus se adversùs aliorum vim tueantur, ut nullus ab alio quovis, in totius periculum aut detrimentum, absorberi possit. His quiddam simile in motibus systematis mundani conspicitur, quod quidem è mundi plenitudine & contactu corporum oritur, adeoque ad omnia se extendit. Mentis autem & Rationis opus est observare uniuscujusque propriam fœlicitatem nobiliore modo à cæterorum rationalium actibus voluntariis pendere, etiam cùm longè distant, ideoque curare ut omnes actus humani pariter faciant ad universorum rationalium commune bonum; ac faciunt omnium corporum motus ad systematis corporei conservationem. Id autem fiet si in omnibus actibus voluntariis qui alios spectent, illa duo quæ modò dixi, observentur. Ideoque

hoc modo à rerum natura docemur, quâ ratione communi fœlicitati, nostræque in ea inclusæ necessariò prospiciendum sit; quod tantundem est ac si dicerem, docemur, quænam actiones lege naturali præcipiantur. Et sanè prudentes omnes in deliberationibus omnigenis, in quibus Lex Civilis locum non habet, aut arbitrio cujusque rem permittit naturaliter, in hæc oculos defigunt, hæc aliis suadere conantur, & his tantùm inter se convenire possunt, quæ ad commune bonum partium consultantium, & ab librandas adeò omnium potentias faciant, ut omnium intersit, ut nemo alterum opprimere possit. Sic inter vicinos populos qui eidem imperio non subjiciuntur, id in omnibus legationibus, pactis & fœderibus agitur, ut Civitatum singularum vires mutuis auxiliis ita librentur, ut difficile sit alteri alteram absorbere, sed omnibus permittantur sufficientes rationes se conservandi, & aliquatenus locupletandi, ad quem finem civitates primò constituuntur.

§. XVI. Pari ratione in prima constitutione cujuslibet Civitatis omnium ordinum partiúmque vires diligentissimè inter se librantur, omnésque summæ potestati subjiciuntur, adeò ut mutuo sint auxilio, sed ut vix possint se invicem lædere. Conservatio præterea Civitatis tam à seditionibus malísque intestinis, quàm ab invasionibus quæ ab extrà metui possint, est tantummodò continuata earundem constitutio, & à causis planè similibus provenit. Quin etiam quandocunque Leges novæ sunt ferendæ, aut veteres emendandæ, aut secundùm æquitatem explicandæ, ad ea quæ dixi principia cordati omnes semper recurrunt, ac, ut universaliter loquar, in omnibus casibus in quibus Leges Civiles silent, aut opportunè succurrere non possunt, aut agendi libertatem concedunt personis publicis, privatisve (quiquidem casus fatente Hobbio sunt penè infiniti, *de Cive cap. 13. §. 15.*) non aliundè sumi possunt actionum humanarum regulæ naturales, quàm à consideratione boni Communis tanquam finis, & ab utilitate conservandi

virium

virium æquilibrium, quod aut natura fecit, aut Civitatis Constitutio firmavit.

Interim non diffiteor, quin vis ordinis & communis scopi, nec non necessitas finitæ libratæque adeo potentiæ in singulis partibus ad systematis cujuscunque conservationem, observari possit & soleat, inprimis in rerum maximè obviarum compage à natura aut arte factâ absque Matheseos, & mechanicæ Physiologiæ de Mundi systemate peritiâ: quemadmodum multa de rerum numeris & magnitudine cognoscuntur absque Arithmetica & Geometria, aliâ quàm quæ solo rerum usu, sine libris addiscitur. Nihilominus visum est in hac penitiore causarum disquisitione, ubi accuratior rei totius notitia quæritur, subinde ad illas scientias digitum intentare, in quibus hæ notiones distinctissimè exhibentur, atque adeò universaliter, ut indè ad res humanas cum multæ lucis fœnore facilè transferri possint. Sic scilicet solemus ad Arithmeticæ & Geometriæ præcepta secundùm artem tradita recurrere, quando de iis rebus, quorum numerum aut mensuram naturali tantùm solertiâ æstimaverimus, suboritur dubitatio molesta, aut cùm perfectior earum cognitio expetitur. Ideo autem systematis mundani exemplo uti placuit, tum quia generalis quædam, licèt confusa, illius notitia omnium animis obversatur semper, maximéque finis, communis scilicet boni, & summæ omnium mediorum, mutui nempe auxilii, cogitationem aliqualem omnium animis ingerit; tum quia ex universalibus illis motibus machinæ mundanæ, quorum idæa distinctè doctiorum tantùm animis insidet, tanquam è causis universalissimis, deducuntur minorum omnium motuum vires, ordines, limitésque; adeo ut in hac disquisitione causarum non licuerit priùs quiescere quàm pervenissemus ad causas has quæ inter Creatas primæ sunt, & ad Deum nos ducunt immediatè. Verùm sufficiat hæc generatim innuisse, è quibus facilè constat, vires quæ tum singulatim, tum etiam conjunctim cum aliis considerata, sunt admo-

admodum inæquales, posse tamen in eadem rerum compage inter se librari satis commodè ad totius conservationem. Ab hypothesibus particularibus de hoc Systemate satiùs duxi abstinere, tum quia similitudo inter modum, causásque, quibus hinc conservatur mundus corporeus, illinc genus humanum ad omnes circumstantias se non extendit, (nec illud necesse est, ut mens indè aliquid publicè utile addiscat) tum quia illa quæ dixi adeò manifestò vera sunt, ut in omni hypothesi sint agnoscenda; deinde quia plura adjicere illis qui Geometricam amant Physiologiam, non est necessarium, aliis verò ingratum esset, & planè importunum videretur.

§. XVII. Vis autem illa ac necessitas motibus aliorum innumerorum deserviendi, dum in suo perseverant motu, quas omnibus corporibus inesse è generali corporis motûsque naturâ ostendimus, in humanis quoque corporibus reperiuntur, & ut humano generi operam suam præstare velint, singulis suadere videntur, eoque quasi manuducunt: At si illis adjiciamus quæ naturæ animalium à reliquis corporibus distinguunt, fortiùs movebunt, facientque ut causam videamus sufficientem, cur de congeneribus animalibus ope nostrâ juvandis, missâ ferè aliorum corporum curâ, præcipuè soliciti simus. Animalium autem natura ab ea corporum inanimatorum distinguitur, eâ partium suarum temperie, & organorum conformatione quæ sufficiunt ad alituram, generationem, sensationem, imaginationem, affectus, motúsque spontaneos, & his quidem actionibus omnigena animalia suam conari conservationem, perfectionem, seu fœlicitatem, ad tempus ab universalibus mundi causis præstitutum, omnes uno ore fatentur. Nec sanè difficile est hujus conatûs vim ac causas quadantenus explicare ex iis, quæ ex Anatomia, & Medicorum observatione, nota sunt de sanguinis, utiliúmque aliorum succorum circuitu, & nervorum dispersione per universum corpus animalium, unà cum iis, quæ exindè deduxerunt Physiologi de causis

famis,

ſamis, motûſque muſculorum. Verùm non eſſet operæ pretium iis immorari quæ in confeſſo ſunt, ſed oportet ex his velut conceſſis aliquid deducere quod ad rem noſtram faciat. Nempe quòd ex eadem intrinſeca animalium conſtitutione, quâ determinantur ad conatus ſeſe conſervandi, dantur præterea primò manifeſta indicia actus ſuos erga congenera animalia innoxios, beneficóſque ad ſui tutelam, ſtatúmque fœliciſſimum eſſe neceſſarios; ac demum ſecundò, earundem internarum cauſarum concurſu fieri, ut animalia non poſſint non hæc indicia ſentire, & memoriâ retinere. Horum autem prius ſententiam, ac ſanctionem Legum Naturalium ſummatim complectitur, poſterius earundem promulgationem ſpectat, ſeu modum quo innoteſcunt; utrumque ideò ſuo ordine eſt explicandum. Inprimis itaque obſervandum venit ſingulorum animalium corpora molémque intra fines valdè anguſtos contineri, tempúſque intra quod conſervari poſſunt, exiguum eſſe; indè enim ſatìs indicatur paucis tantùm opus eſſe, ut ſingulis bene ſit; aut ſi aliqualis rerum multarum concurſus deſideretur, illum non alium eſſe quàm qui multis ſimul communicetur. Atq; hinc naturaliter ducuntur ad pauca tantùm ſibi ſeorſim expetenda, & ad appetenda talia communiter cum aliis quorum uſus multis ſit communis, qualia ſunt aeris lucíſque uſura. Eadem cuticulæ ſuperficies quæ in unoquoq; animali limitat ſanguinis ipſius diffuſionem, & circuitum, eâdem vi limites figit neceſſitatibus quibus urgeri poteſt quodvis animal ad quærendam ſui conſervationem. Clauduntur omnes corporis neceſſitates intra circumferentiam circuli à ſanguine animalis deſcripti; pauca illa quæ ſufficiunt ad ventilandum, & reparandum hunc ſanguinem vitalem, ſufficiunt ad vitæ, valetudinis, roboríſque naturalis conſervationem. Exigua eſt quantitas ſucci illius qui jejuni animalis ſtomachum faucéſque vellicat, ac famem ſitimve excitat; proindéque non multo indiget cibo potúve, ut tota ejus vis retundatur. Ipſorum denique vaſorum in quibus alimenta

macerantur fermentantúrque, vasorum chylum deferentium, venarum arteriarúmque illum excipientium capacitas, adeò certâ parvâque mensurâ adimpletur, ut manifestum esse existimem nullum unquam brutum animal in Hobbii errorem incidisse, ut omnia ad sui conservationem necessaria esse judicaret.

Ex his itaque constat, animalium partes intrinsecas hoc monere, necessarium esse ad suam-ipsorum conservationem ut pauca tantùm sibi sumant ad sedandam famem, aut sitim, & ad arcendam aeris inclementiam; adeoque ut reliqua omnia (quorum ingentem copiam producit fœcunda mater Tellus) aliis quibus usui sint, permittant. Sic scilicet limitata naturaliter corporum animatorum quantitas, eorum appetitus limitat ad pauca tantùm necessaria sibimet quærenda, cæteris aliorum usibus relictis; unde naturaliter oritur aliqualis rerum inter animalia varia divisio, in qua concordiæ & benevolentiæ illius quam quærimus mutuæ fundamentum ponitur. Eo ipso enim quòd innata animalibus φιλαυτία hoc quem jam ostendimus modo, fuerit limitata, atque ei satisfactum fuerit, nihil est quod efficeret ut aliorum conservationi repugnarent, sive impediendo quò minimè rebus aliis liberè fruantur, sive etiam recusando iis operam suam accommodare, quum ea sibimet ampliùs sit inutilis; quin potiùs è contra exinde disponuntur ad auxilium aliis ferendum, sive è voluptate (licet non admodum magnâ) quam sentiunt ex aliorum societate, & fœlicitate præsente ab ipsis procurata, sive è spe parilis auxilii ipsis in compensationem posthæc fortasse præstandi. Ipsa (uti opinor) sentiunt (certè homines hoc latere nequit) provisis semel necessariis nihil restare, quod ipsis magis commodum sit quàm tranquillitas, societásque cum congeneribus Animalibus, quæ solâ ergà ipsa benevolentiâ conciliari potest, aut conservari.

§. XVIII. Secundum indicium sumamus ab effectis sensuum & imaginationis ac Memoriæ, cùm circa ejusdem gene-

generis animalia occupantur: Quoniam enim impressiones in ipsorum sensus factæ indicant ejusmodi animalia naturam habere suæ naturæ valdè similem, eædem in Cerebrum mox transeuntes (ubi Imaginationis nomen ferunt) ipsa disponunt ad affectus erga ea similes eis affectibus quos erga sese habent ex Naturæ suæ constitutione. Hîc autem de industria vitabimus controversias de cognitione brutorum animalium qualis tandem illa sit, & de modo secundùm quem ex imaginatione affectus moventur; illud tantùm sumimus velut concessum quod imaginatio affectus cieat, & similis quidem (quatenus talis est) similes: posterius hoc è priore sequitur; ac illud tantùm hinc colligere vellem, Naturarum similitudinem notam aliquid facere ad benevolentiam inter similes conciliandam, nisi cum aliqua dissimilitudine quæ inimicitiam fortiùs suadeat, conjungatur. Hinc etiam fit, ut animalia aliorum quæ ejusdem sunt generis, prorsus oblivisci non possint, dum sui meminerint. Eâdem enim imagine exhibentur similia, in quantum talia sunt; necessariò etiam cognoscunt illa pari fame sitique urgeri, adeoque Naturæ suæ stimulo pari excitari, ad quærenda sibimet alimenta; adeoque gratum quiddam illis fieri, cum horum usus liberiis permittitur, aut cùm in iis acquirendis juvantur. Quoniam autem perpetuò seu constanter locum habent in animalibus hujusmodi de congeneribus phantasmata, & affectus seu amoris conatus aliquales ex Naturæ suæ conditione necessariò indè orti, sequitur eatenus oppugnari naturalem ipsorum constitutionem, quatenus aut per vecordiam aut voluptatem, aut per violentas aliquas cupiditates passionésve, fit quicquam ejusmodi intrinsecis conatibus contrarium: ut omnes existimant morbum esse, & præternaturalem constitutionem Canis, qui rabie, aut insaniâ correptus, ad mordendum canes quoslibet obvios præter solitum incitatur. Nec sanè ullam rationem perspicere possum, cur non omnigeni affectus qui singularis cujuspiam animalis statum

adeò

adeò perturbant, ut præceps ruat in actus aliis ejusdem speciei perniciosos (quales sunt; malevolentia, invidia, vehementiores iræ, &c.) spectentur velut intemperies quædam sanguinis, Cerebríque fortasse, & rabidi Canis vesaniæ aliquo gradu cognati. Manifesta sunt in iis morborum symptomata, exundatio bilis, sanguinis effervescentia periculosa, livor ictericus, tremores paralytici, aliáque Medicis satis nota. Nec irata tantùm rabies in congenera sæviens animalia est affectus morbosus; verùm etiam metus eorum nimius non minùs est præternaturalis, id est, præter animalium omnium morem, è naturali sanâque eorum temperie oriundum; &, morborum instar, eorum conservationi adversatur, ea ad tristitiam, solitudinem ac vigilias intempestivas, cæteráque dominantis melancholiæ symptomata adigendo; unde mors præmatura acceleratur; nec ullus huic metui esse potest modus aut finis, qui fundatur in falsa imaginatione & opinione, quòd naturaliter & necessariò omnibus ejusdem speciei animalibus inest lædendi, belligerandíque in ipsa voluntas.

Talium animalium status (tales autem omnes homines in statu naturæ fingit Hobbius) similis prorsus est conditioni eorum miserrimæ qui hydrophobiâ laborant. Ab aqua liquidisque omnibus abhorrent, quorum (quanquam aliquando ex accidente noceant) usus ad vitam est prorsus necessarius. Atque ut hæc opinio non è natura aquæ sed è læsa imaginatione, per morsum canis rabidi, oritur, ita ex imaginationis, cerebrique intemperie provenit, quòd de tota animalium specie singulare animal malè sibi metuat, cùm revera nihil sit sano cerebro præditis societate ejusmodi jucundius. Notius est enim quàm ut probatione egeat congenera animalia, si quo facto casu à consimilibus separentur, postea simulac se mutuò viderint vel è longinquo statim lætari, gestire, concurrere, & libenter simul edere, bibere, ludere, rarò admodum inter se pugnare; ac si quando pugna contigerit, mox post victo-

victoriam sine noxa plerumque partam, eadem pacatè & suaviter admodum consociari. Quoniam autem liquet placidæ hujusce consociationis & concordiæ causas quæ brutis animalibus sunt intrinsecæ, esse planè necessarias, nec alias omnino esse quàm quibus ipsorum sanguis, spiritus, cerebrum, & nervi in statu sanitatis conservantur, manifestò exinde sequitur eorum singulorum salutem propriam à propensione ad amicam cum similibus consociationem divelli non posse, sed simul cum ea facillimè, ac naturaliter conservari; quod è secundo hoc indicio quod animalibus omnigenis hominique adeò commune est, erat colligendum.

§. XIX. Huic cognatum est tertium quod ex affectuum circa bonum pluribus commune versantium suavitate & jucunditate desumitur: hoc autem ideo præcedenti cognatum est, quoniam affectuum ortus, virésque omnes ab imaginationis nutu pendent. Physiologis autem notissimum est, quòd in amore, desiderio, spe, lætitiâ, præsertim dum circa bonum *magnum* versantur, sanguinis, cordisque motus, animali vitalis, juvatur; adeò ut arteriæ venæque succo suo jam mitior, simul & ocyùs fluente, repleantur, spiritúsque generentur agiliores, totáque circulatio atque adeò omnes animalium functiones faciliùs peragantur. Nec minùs manifestum est, Bonum quod notum est, ad plurimos se diffundere (inter quos ipsum animal de quo loquimur, comprehenditur) hoc ipso nomine *maximum* videri. Quare necessariò iisdem illis affectibus quibus congenera juvat animalia, ipsum quoque plurimùm juvabitur: & eo ipso quòd hoc intimè in se naturaliter sentit, in hos affectus velut ad sui conservationem valdè utiles & cum ea conjunctos fortiter propendebit, præmiúmq; cum his affectibus naturaliter cohærebit. Dixi autem, animal quodvis suavem effectum, seu jucunditatem hujusmodi Passionum sentire; modus interim quo passiones hæ juvant, plerosque homines Physiologiæ ignaros latet; multóque magìs latet bruta: sufficit interim ad propensiones quas dixi generandas quòd effectum sentiunt,

E contrario autem in odio, invidiâ, timore, tristitiâque obstruitur sanguinis motus, & cor gravatur, ut difficilius in systole expellat, unde & pallidior conspicitur hominis vultus, & innumera in tota corporis œconomiâ, in cerebri verò & generis nervosi functionibus præcipuè, sequuntur incommoda, ut morbi qui lieni & melancholiæ solent tribui. Medicæ considerationis est hæc res, ideoque libens eam relinquo illius artis filiis, qui illam in humani generis salutem nobilissimis inventis indies exornare satagunt. Unicam tantùm transcribere libet historiam planè mirabilem ex Harvæi *exercitatione Anatomica de circulatione sanguinis*, quæ nobili exemplo ea quæ diximus, illustrat. His autem verbis ab eo exprimitur *pag. 89.* editionis Cantabrigiensis. *Virum cordatum novi qui pro ira & indignatione ob acceptam injuriam à potentiore, & illatam contumeliam, adeò æstuans exardescebat, ut invidiâ & odio indies ob inhibitam vindictam auctis, & animi passione vehemente quâ maximè exulceratus erat, nemini patefactâ, tandem in mirum morbi genus incidit, summâque oppressione & dolore cordis, & pectoris miserè conflictabatur, ut nullis adhibitis ex peritissimorum auxiliis proficientibus, in scorbuticam tandem post aliquot annos Cachexiam incidens contabuit, & moritur. Huic tantummodo aliquid solaminis accidit, quoties & quamdiu tota pectoris regio comprimeretur. Huic quoque arteria jugulares pollicis magnitudine distenta, tanquam utravis esset Aorta ipsa, aut arteria magna descendens, altè & vehementer pulsabant, & tanquam Aneurismata duo oblonga apparebant; in cadavere dissecto veni cor, & Aortam adeò distenta, & sanguine referta, ut cordis moles & ventriculorum cavitates bovini cordis magnitudinem adæquabant.* Hæc ille; A quibus observatur ex hujusmodi affectibus obstrui motum sanguinis, ídque (uti videtur) in exiguis arteriarum ramulis, qui per cerebrum sparguntur, & ingentia indè cordi, totíque adeò animali mala provenire, tristiáque morborum symptomata,

mata, à quibus ipsi vitæ (quæ homini cum cæteris animantibus communis) periculum imminet: Hinc itaque patet ex ipsa animalis, & affectuum naturâ, moneri homines, ipsis ex usu fore, ut benevolo sint animo in alios, quoad fieri potest, omnes, quandoquidem odium in unicum hominem æstuans tanta osori attulerit mala.

§. XX. Sequitur indicium ejusdem rei quartum indè desumptum, quòd animalia vi earundem Causarum, quæ singulorum vitam conservant, impellantur ad conatus speciem suam conservandi, adeò ut naturali planè vinculo hæc duo inter se connectantur: Hinc enim fit ut magno amore socientur inter se animalia congenera, sexu distincta, unde plurima sibi invicem grata præstant, & ut procreetur proles, quam velut suum sanguinem diligant & tueantur, nisi insolitum quiddam contingat quod naturales eorum propensiones immutet. Ea autem quæ raro adeò accidunt in rationes venire non debent, cùm ordinatus naturæ status est æstimandus: Conjunctissima inter se sunt prolis procreatio, & στοργὴ, quæ ad studium illam enutriendi stimulat. Conservatio enim est tantùm continua quædam rei generatio; eædem ergo causæ naturales ad hanc atque ad illam animal impellent: Manifestum autem est prolem conservari non posse, nisi pacem, seu benevolentiam inter se colant consimilia animalia. Ideoque naturaliter volunt benevolentiam hanc non minùs diuturnam esse quàm cupiunt esse suæ sobolis durationem; in tali autem benevolentia, amplâ nempe & diuturnâ, consistit studium boni communis totius speciei, illud scilicet ad quod animalium ingenium assurgere queat; quod quidem, homines si excipias, hebes est admodum & minimè providum. Exigua tamen illa solertiæ umbra quâ omnigena pollent animalia, sufficit ad efficiendum, ut sibi, prolique suæ fere semper consulant, exercendo aliqualem erga congenera animalia benevolentiam. Quoniam autem naturalem amorem prolis provenire innuimus ab iisdem

causis quæ efficiunt ut animalia ad prolem generandam propendeant; ostendendum est hanc propensionem animalibus jam ad virium suarum ἀκμὴν progressis intrinsecam esse, & ab iis causis profluere quæ ad ipsorum singulorum conservationem & vigorem sunt necessariæ: unde sequitur necesse esse ut animalia simul cum sua salute, speciei suæ continuationem bonúmque adeò commune quærant: Hoc autem è modo quo formantur ac nutriuntur liquidò constat: Certissimum enim est quòd eædem causæ quæ sive in utero, sive in ovo partes ad individui nutritionem requisitas efformant, ut ventriculum, cor, *&c.* simul etiam vasa spermatica, & sexuum discrimina, inprimis animalium rudimentis fabricant, ut observavit Harvæjus de *Generatione Animalium*, Exercitat. 60. Ex eadem succi nutritii massâ sanguini permistâ pars facessit in nutrimentum, pars in semen transit ad prolem generandam. Tota circulario sanguinis, omniáque ejus auxilia, ut muscularis Cordis vis, valvularum in venis artificium, eodem opere privatæ individui nutritioni deservit, & publico officio fungitur ad generis propagationem, dum materiam è qua semen elaboratur, ad vasa spermatica demittit. Quicquid denique quævis viscera, aliæve partes corporis præstant ad tuendum sanguinis statum naturalem, id simul & ad individui vitam servandam facit, & ad prolis procreationem saltem remotè disponit; ea enim omni magnâ sanguinis intemperie impeditur.

In latissimum hîc sanè liceret exspatiari dicendi campum, verùm, ne nimius sim, visum est, reliqua quæ huc spectant Lectoribus Physiologis, Medicisque relinquere ulteriùs prosequenda, & ex paritate rationis cum ipsis quæ suggessimus ad mores è naturæ indiciis formandos applicanda. Ego hoc tantùm adjiciam, manifestum admodum esse, animalia hoc modo in alterius sexûs, & prolis amorem impelli, atque adeò angustam φιλαυτίαν exui, quâ semel sepositâ facilè ducuntur ad alia atque alia adamanda, donec

amor

amor tandem omnia congenera ob naturæ similitudinem complectatur; atque adeo in communi animantium naturâ fundatum esse illud quod multiplici experientiâ observatum est, homines post susceptam prolem pacis esse amantiores, & propensiones ad prolem suscipiendam omnes ad pacis amorem disponere.

Interim prætereundum non est vulgare illud effugium, quo hoc aliàque indicia à propensionibus naturæ sumpta, è quibus ratio humana legem discat, eludere solent multi; quanquam ex his propensionibus sæpe id fiat, quod multis prosit, eas tamen omnes à solo propriæ voluptatis amore provenire, actúsque adeò omnes hinc profluentes alium nullum finem habere, ideoque nihil præter meram φιλαυτίαν indicare. Respondeo (1) Liquidò constat ex iis quæ præcedunt, me non desumere indicium legis naturalis de quærendo bono communi è fine quem sibi proponunt animalia: nihil affirmo de eorum intentionibus. (2) Probari tamen non potest, quod animalia in actionibus voluntariis, quibus aliorum bono juxtà ac suo re ipsâ inserviant, utrumque tamen non pari ratione prospiciant ac velint. Certè longè probabilius est utrumque effectum similiter intendi: siquidem ità se res habet in iis quæ homines consultò agunt, omnia scilicet effecta provisa actionum suarum intendunt producere, quamvis eorum alia aliis magìs eos moveant ad agendum, magisq; eos delectant, postquam ab agendo quiescunt; ea autem quæ efficere intendunt, meritò fines actionum dicuntur. (3) Dato, non concesso, quòd animalia suam tantùm conservationem fœlicitatémque quærent, ut finem, & erga congenera animalia benevolentiam exercerent, velut medium ad eorum finem naturaliter & perpetuò necessarium; etiam hâc ratione evinceretur naturam indicare, quærendum esse bonum toti generi commune, & æquè valida indè nasceretur obligatio ad usum mediorum adeò necessariorum, ac esset obligatio ad suppositum finem, vitæ suæ nempe conservationem. Eadem enim est obligatio ad

media necessaria, ac ad finem ipsum. Hæc autem æquè valida est ac ulla quæ è pœnis legum civilium oriri potest; illæ enim nihil majus quàm mortem minitari queant. Hanc obligationem longè maximam, seu potiùs unicam realem esse contendunt, qui hæc objiciunt. Hanc itaque ob causam præter alias non paucas, frustrà est Hobbius, qui (ut tollat obligationem naturalem ad boni communis studium) omnes propensiones naturales eò facientes conatur resolvere in suæ solùm conservationis, vel sibimet ipsi placendi studium. Sic partim in libello *de Humana Natura* Anglice scripto, *cap. 9. §. 10. 15. 16. 17.* partim in *Cive, cap. 1. §. 2.* non solùm amorem illum quo ferantur animalia in speciei suæ propagationem, sed & στοργὴν illam quâ proles nata excipitur, & educatur, omnémque charitatem erga quosvis, & misericordiam erga afflictos oriri affirmat exinde, quòd animalia his motibus aut *aliquod sibi commodum quærant, aut saltem ut magna sentiant de suis viribus, seu bene de seipsis opinentur,* quæ Gloriæ est definitio Hobbiana; verùm præterquam quòd horum effectuum vis intrinseca, & effecta quibus longè plus aliis præstatur, quàm ipsis agentibus, apertè reclament; idque satìs sentiant animalia in quibus vigent, adeoque non possint non plus aliis intendere quàm sibi: si daretur affectus hos animalibus necessariò inesse, ut sese commodis quibusdam & hâc gloriâ imaginariâ bearent, maneret tamen obligatio ad actus cæteris proficuos, ut sibi nullatenus deessent, in his quæ supponit naturaliter & necessariò ideoque perpetuò appeti. Fieri enim non potest, quin spe his fruendi, metúque ne hæc amittantur si negligantur, actus, qui aliorum bonum respiciunt, teneantur; & agnoscit Hobbius, obligationem naturalem locum habere, ubi spe metúve libertas hominum coercetur, *de Cive, cap. 15. §. 7.* Valida sanè mihi videtur hæc ratiocinatio contra Hobbianos objectores; verùm in quo consistit obligationis moralis natura, alibi explicuimus, hîc tantùm dicam. In veris

Morum regulis, è quibus obligatio naturalis nascitur, finem adeò angustum, unius scilicet hominis conservationem non respici, sed communem omnium rationalium fœlicitatem. Contrà autem Hobbius exiguum hunc finem in humanarum actionum regulam proponit, eo consilio, ut ipsi negligere possint actiones quaslibet, propensionésque naturales in aliorum bonum utiles, quandocunque ipsis non videbuntur in rem suam facere; etsi revera (quod tamen plerosque φιλαυτίᾳ excæcatos frequenter latere solent) Publici boni stud um actibus externis testatum nunquam non est medium necessarium ad singularis cujusvis hominis fœlicitatem summam. Denique ne nimii simus in hujus objectionis solutione, considerandum est, nos non ex actibus voluntariis, quorum fines in diversis animalibus, aut in eodem animali diversis temporibus sunt varii, judicium nostrum sumpsisse; sed ex actibus, & propensionibus planè necessariis, quæ insunt animalibus etiam insciis, & quandoque repugnantibus, quæque uti paucis innuimus, ab ipsa corporis sui fabrica, & temperie proveniunt; non enim ex eo quòd eligunt cupiúntque sese conservare, sed è naturali cordis systole amandatur sanguis in vasa spermatica, seménque indè secernitur, atque fermentatur; unde etiam oriuntur Veneris stimuli, & appetitus sobolem procreandi, tuendíque: eadem enim causa appetitum utrumque generat: sicut ex eadem materia & formatur primitùs animal, & aliquandiu nutritur, crescitque in utero vel ovo? adeò tamen insciis par ntibus hæc fiunt, ut licèt operam suam ministrent, nesciant tamen antequam in lucem exeat soboles, mas an fœmina procreetur; ore, an umbilico, an utroque nutrimentum hauriat: immò an omninò vescatur, aut etiam vivat nec ne. Ex his autem liquet in efformatione aut nutritione fœtûs nondum in lucem editi, animalia non dirigi à sua cognitione effectum seu finem prospiciente: multò verò minùs à prospectu conservationis vitæ suæ hoc modo procurandæ; illa enim propagatione

 spe-

speciei potiùs labefactatur: sed & actus hos sine consilio ab illis fieri, & propensiones ad hos actus multò magis esse necessarias: scilicet in his actibus animalia planè sunt similia vegetabilibus, quæ licèt sensu careant, omnique finis prospectu, non tamen sibi solis nutrimentum hauriunt, sed & semen proferunt in speciei suæ propagationem: atque adeò uti in ovis & pulli corpus continetur, & alimentum idoneum quo nutriatur, donec maturus satisve strenuus evadat ut aliunde sibi cibum quærat, concoquátque; ita etiam in seminibus præter exiguum germen (quod futuræ plantæ est rudimentum) continetur etiam materia apta, quæ postquam humectata est, & calore idoneo in fermentationem quandam concitata, in teneras germinis radices sese insinuat, & illud nutrit, donec tantas vires acquisiverit, ut è terra vicina alimentum possit desumere. Postea verò cùm in lucem prodit fœtus, animalia jam sentientia animal sibi simile suo è sanguine, ipsorum operâ naturàli factum esse, indè intus disponuntur ut id nolunt actu, & neglectu voluntario infectum facere; & sunt sanè quæ modò diximus Physiologis satis comperta; quæ si quis distinctiùs explicata videre velit, Medicos nostros clarissimos legat, nempe Doctores, Harvæjum, & Highmorum *de generatione*, & Needhamum in erudito opere *de formato fœtu.* Sufficiunt illa quæ annotavi pauca ad evincendum quòd ex ipsa fabrica & temperie animalium (immò & vegetabilium) ab universalibus causis determinatis validæ oriuntur propensiones ad sobolem non modò generandam sed & nutriendam. Quin etiam experientiâ notissimum est propensiones hasce in animalibus ætate & usu invalescere, adeò ut vehementes nascantur dolores, si quid iis contrarium acciderit: hinc illæ hominum lachrymæ, quæ in frustrato amore, aut in sterilitate, aut amissione liberorum distillant: ideoque ex his, aliisque hujus generis innumeris quæ indies occurrunt, facilè quis colligat, ordinarium plerumque animalium statum ipsis ingratum admodum fore, nisi (quantum possint) per

benevo-

benevolentiam erga alia ſibi congenera, ſocietate cum iis utantur amicâ, cujus beneficio prolem procreent, educéntque, quantum fieri poteſt, tutiſſimè. Denique integra animalium compages, (quoniam ea neceſſaria eſt conſuetarum functionum actionúmque cauſa) apertè indicat, ab iisdem cauſis internis provenire actus propter ſuam conſervationem, & affectus eatenus benevolos, quantum ſatis eſt ad amicam cum congeneribus animalibus conſociationem: hæc enim duo ab omnigenis animalibus ut plurimum re ipsâ fiunt, quanquam contingat aliquando, ſed rariùs, per ignorantiam, aut affectus perturbatos, vel ſibi, vel aliis ejusdem ſpeciei nocere. Quoniam itaque frequentior eſt inter ipſa concordia, pauciores autem ſunt diſcordiæ, ſequitur cauſas naturales concordiæ ipſis intrinſecas eſſe fortiores; vel eorum naturam, ubi nulla ſunt Civilis Societatis adjumenta, in hunc effectum potiùs quàm diſcordiam propendere; quod præcipuè contendimus. Hoc enim ſufficit (niſi evincatur hominum naturam animalem eâdem in brutis ferociorem eſſe, pacique magìs inimicam) ac probandum, quòd in omnibus deliberationibus de futuro (in quibus tantùm quid ut plurimum contingit, ſtatuendum eſt) generatim concludere liceat pacatam cum aliis conſociationem propenſionibus noſtris gratiorem fore, eandémque in aliis potiùs expectandam eſſe, quanquam in aliquibus caſibus res aliter eveniat. Quemadmodum verè quis pronunciet aleæ naturæ magìs convenire ut non jaciatur Senarius primo jactu quàm ut jaciatur, quoniam quinque ſunt caſus poſſibiles qui huic jactui repugnant, unus autem qui favet. Quòd autem animalia ratione carentia cum aliis ſui generis plerumque agant benevolè, id quidem facilè eſt probatu, percurrendo omnia illa quæ in capite primo requiri indicavimus, ut publico cujusvis generis bono quicquam inſervire dicatur. Abſtinent enim à noxa ſibi invicem ferendâ, ut plurimum. De Serpentibus hoc memoravit Juvenalis, quòd

niam autem hinc in iis fit famis, sitis, variarúmque ægritudinum sensus valdè molestus, stimulantur ad quærendas, tentandásque commodissimas rationes alimenta, & medelas, aliáque subsidia sibi quærendi, quales scilicet suarum virium æstimatio, & rerum omnium quæ ipsis occurrunt, notitia suggesserit. Occurrit autem nihil quod ipsis penitùs notum sit quàm congenera animalia, quorum & vires, & necessitates è similitudine cum suis facillimè æstimant, & ex eadem naturæ similitudine amoris, auxiliique spem aliquam hauriunt. Causa autem istius spei est, partim quòd res similes similia de se phantasmata, adeoque similes affectus (nisi gravis aliqua impediat causa, ut passio, error, dissimilitudo valdè displicens, &c.) generare soleant, adeò ut eodem quo sese amore complectantur, alia animalia sibi congenera: partim verò quia prospiciunt facillimè è discordia & contentione mala quidem ingentia ac innumera, boni autem vix quicquam sperari posse. Quippe propter virium æqualitatem, aut accidentia multa quæ vires majores minoribus exæquent, (qualia sunt; somnus, lassitudo, morbi, consociationes plurium imbecillium, locorum opportunitates variæ, in quibus imbecilliores vincant fortiores) non rarò contingat ut sibi invicem noceant, ipsámve mortem inferant. Si enim potentiæ quæ inter se contendunt, quovis modo fiant æquales, illæ sunt ad invicem utì pondera in æquilibrio posita, quorum utrumvis alterum distinere potest à loco quem petit inferiore, neutrum autem eò quò tendit, potest pervenire. Atque hujusmodi mala contingunt in virium æqualitate, cùm unum animal cum altero concertat, etsi cum aliis pax utrinque colatur: At si cum omnibus susciperetur bellum, toties cum viribus longè superioribus certamen esset ineundum, ut vitæ nulla spes relinqueretur. Breviter, verisimile est, ipsis brutis judicantibus, ubi omnibus in rerum naturâ suppetit quod magìs conducit ad singulorum propriam aliorúmque conservationem, satius esse rerum usum inter

se,

se, ut occasio tulerit, per concordiam dividere, & præsentibus tantùm necessariis uti, quàm belli perpetui periculis sese exponere, ut rerum non necessariarum copiâ cumulentur.

In voluntate autem concedendi istiusmodi divisionem rerum, & operarum mutuarum, eámque conservandi postquam facta est, continetur summa actuum omnium quibus bonum suæ speciei commune procuratur; quare ipsa etiam bruta aliquatenus vident connexionem inter suam-ipsorum conservationem & actus ad bonum suæ speciei commune facientes, atque hanc ob causam inter se benevolè agunt; id quod erat explicandum. Hoc solum adjicere visum est, ea quæ in animalibus notavimus, omnia simul esse consideranda velut concurrentia ad subministrandas vires, & ad efficiendam propensionem versùs commune sui generis bonum, eámque adeò fortem & constantem, ut nisi animalia ei obsequantur, caritura sint magnâ parte suæ fœlicitatis, quæ in eo consistit, ut grata fiant naturalibus eorum inclinationibus, & dolorem sentient oriundum è lucta passionum inanium quæ naturalissimis hisce principiis repugnant, quarùm vis à nulla imaginationis delusione dependet; adeoque rectè distinguuntur ab istis passionibus quas inanes dixi, quoniam à delusa proveniunt phantasia. In eum autem finem visum est in causis benevolentiæ hujus erga congenera animalia, quæ in brutis omnigenis conspicitur, inquirere, quoniam manifestum esse duxi eas omnes (aliásque insuper majores) in hominibus reperiri, eósque adeò ex his saltem causis à natura aptos fieri ad talem inter se consociationem, plerumque certè amicam, qualem inter bruta congenera videmus, quæ rationis auxilio ad majorem perfectionem evehatur.

§. XXII. Hobbium interim non latuit hoc cum suis principiis minimè consistere, ideoque sæpe hæc in contrariam sententiam insinuat: *Homines ursis, lupis & serpentibus esse ferociores; statum eorum naturalem esse statum belli omnium*

um

um in omnes; nullam inter eos esse naturam boni vel mali publici antequam civitates constituantur, adeoque nullam ejusmodi boni notitiam, nullum ejus appetitum. Loca in quibus hæc tradit, alibi citavimus; hîc autem considerandus locus quidam in *Leviathane Cap. 17.* cui consonat libri *de Cive, cap. 5. §. 5.* ubi sibimet ipsi objicit; *Animalia quædam bruta, ut Apes, & Formicæ, pacificè in eodem alveari, & eâdem formicariâ inter se vivunt:* rogátque quid impedit quò minùs homines idem faciant? Respondet autem sex articulis, quorum summa est hæc; *1. Homines litigant de Honoribus, illa animalia non item.* Regero autem; Honores Civiles (de quibus contentiones aliquando oriuntur) locum non habere in statu naturali, seu ante constitutas civitates inter homines, ideoque de his eos non posse contendere in statu naturæ de quo nunc agitur, magìs quàm bruta animalia: Deinde, vera gloria, seu honos qui extra civile regimen haberi potest, definiente Cicerone, est consentiens laus bonorum, & incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute. *Tusc. 3.* Virtutes autem omnes communis boni studium continent, indéque solùm reportatur bonorum laus. Ex amore talis honoris tantum abest, ut bellum, ídque in omnes oriatur, ut è contrario hoc veluti calcari stimulantur homines præ cæteris animalibus ad virtutum omnium exercitium quæ, Hobbio teste, sunt pacis communis media necessaria. *Leviath. cap. 15.* Respondet 2do. *Inter animalia illa bonum publicum & privatum idem esse. Ergo ad bonum privatum dum feruntur naturaliter, simul procurant bonum commune; homini autem in bonis propriis nihil tam jucundum est quàm quod alienis sunt majora.* Ego verò hæc repono; gratum nobis fecisse Hobbium quòd hîc imprudens agnoverit esse aliquod bonum publicum seu commune, extra regimen civile; & hoc ab ipsis brutis re ipsâ procurari: Aliter docuit alibi: vide *lib. de Homine c. 10.* verba ultima. Existimamus autem cognitionem boni publici homines ad pacem & virtutem ducere aptam esse, quippe est illud suâ

naturâ

naturâ amabile, & boni privati firmissimum munimentum. Ejus etiam diversitas (aliquibus in casibus) à bono quorundam privato non est sufficiens ratio, cur homines potiùs inter se pugnarent quàm apes & formicæ, quarum bonum commune à privato pariter distinguitur. Quod autem addit de hominibus, si universaliter intelligantur, ut verba ejus sonant, falsissimum est, & sine probatione dictum: nisi fortè remittendi sumus ad generalem illam, uti vocant, demonstrationem rerum hujusmodi quam innuit in *Leviathanis* procemio; scilicet novit Hobbius seipsum, & nihil sibi in rebus suis jucundius esse quàm quòd alienis sint majores, indéque colligit omnibus easdem esse cogitationes. Verùm oportuit aliquid in rerum aut Hominum natura ostendisse, unde necesse sit ut omnes homines ita judicent. Nôrunt certè quotquot verè Rationales sunt, è naturæ suæ necessitate, ac rerum usu, de rebus suis statuere, jucundæ sint nec ne; & quo gradu ipsos juvent sine comparatione cum rebus alienis. Stulti sunt aut invidi qui de solo rerum suarum excessu supra mensuram alienarum lætentur. Quòd si de hujusmodi tantùm hominibus sententiam illam intelligi vellet limitatè, tum sufficientem non assignat causam universalis belli omnium in omnes, sed contentionis fortè alicujus à stultis & invidis movendæ, quam prudentiorum ratio aut vis facilè coerceat, ne universis noceat. Tertiò autem respondet, quòd *Animalia cætera, quia ratione carent, in rerum suarum communium administratione nihil vident, aut videre sibi videntur quod culpent: homines aliter: indè bellum.* His sic respondendum esse censeo. Rationem hanc nihil suggerere quò minùs homines pacatè inter se agerent, si nullum esset regimen Civile cui subjicerentur; quo casu propensiones naturales ad benevolentiam universalem, legésque naturæ omnes locum haberent, his non obstantibus. Nec quicquam affert quò minus tales homines inter se consentirent ad constituendam civitatem, (hæc autem illa sunt quo-

quorum causas nos quærimus) sed objicit aliquid quod impediet, ne constitutam per consensionem solam conservent. Videat autem Hobbius an non hæc quæ de permultorum hominum ingenio scribit, pariter concutient fundamenta pacis in civitate per unionem ab illo fictam constitutâ. *Permulti*, inquit, *sunt, qui se cæteris sapientiores & regendæ civitatis capaciores esse putant, qui dum suo quisque modo reformare volunt, dissident inter se, & belli causa sunt.* Annon hujusmodi homines pacta quibus inter se uniti fuerint, violari solent, & in bella civilia erumpere? Deinde verò considerandum est, Rationem hominum multò efficaciùs pacem & concordiam promovere, detegendo innumeras imposturas imaginationis, & passionum, quàm discordiam per suam fallibilitatem, in rebus ad pacem communem semper necessariis, quæ paucæ sunt & admodum conspicuæ. Præterea homines non statim atque videre sibi videntur quod culpent in rerum communium administratione, bella movent; Eadem ratio quæ culpam detegit, monet etiam, multa ferenda esse pacis servandæ causâ, suggeritque modos varios quibus tentari possit pacificè emendatio talis culpæ. Tuum judicium appello (amice Lector) an hominis conditio deterior sit conditione brutorum quia ratione utitur? Annon potiùs iniquè de hominibus statuerit Hobbius, qui eorum rationem ream peragit omnium miseriarum è bello & discordia ortum trahentium; & hac de causa contendit homines minùs pacatè inter se agere, quàm bruta irrationalia? Verùm totum hoc quod respondet Hobbius, est nihil ad rem. Quæritur enim de obligatione præceptorum rationis rectæ, ante civitates constitutas: Respondetur, hominum multorum rationem adeò falsam esse, ut civitates constitutas dissolvat. Quartò asserit, ideò *homines non posse pacificè inter se vivere æquè ac apes*, &c. *quoniam illa animalia verborum arte illâ carent, quâ homines alii aliis suadere solent Bonum esse Malum, & Malum Bonum*, &c. *& alter*

alte-

alterius actiones ita reprehendit, ut indè turbæ oriantur. Scilicet, quia aliquando contingit ut fucatæ orationis usu concitentur turbæ; ergo homines (utpote qui eâ possint uti) certò nolunt inter se pacem tueri. Laxa certè nimis est consequentia. At probare oportuit homines necessariò, aut saltem certò velle uti, idque constanter, ejusmodi seditiosis orationibus quæ ad bella movenda aliquid faciunt; præsertim cùm tot sint causæ tum ipsis intrinsecæ, tum extrinsecùs conspicuæ quæ ipsis suadeant potiùs pacem quærere. Probandum esset præterea ejusmodi conciones necessariò, aut saltem semper eò usque valituras esse apud auditores omnes, aut plerosque ut statim in bellum ruerent. Fieri enim potest ut perspicaciores sint, quàm qui fucatis verbis se illudi patiantur. Fieri potest ut Prudentiorum orationibus pacificis, solidiore ratione fultis, fidem potiùs adhibeant. Fieri potest ut rerum momenta potiùs expendant quàm inanem verborum sonum. Atque huc certè ipsorum natura eos ducit: Sciunt enim se non verbis pasci posse, aut ab injuriis defendi, sed actionibus, à benevolentia mutua proficiscentibus. Quid vetat, quin potentior sit bonorum suada, cui & ratio tum Oratoris, tum etiam auditorum, & ipsa rerum natura suffragatur? Quidni plus valeat lingua quæ legatione fungitur pacis, quàm quæ classicum canit? Cauti omnes diligenter potiùs attendunt ad ea quæ alii faciunt, quàm quæ dicunt; immo & insuper curant ut adeò libretur eorum potentia, quibus fidunt, ut sine summo suo periculo eos lædere ne possint quidem. Quòd si insuper expendat lector, quanti momenti sint verba tam ore prolata, quàm scriptis mandata ad contractus omnes faciendos, & ad Legum memoriam conservandam, (quibus duobus omnis pacata Societas continetur) non dubio quin mecum sentiet eorum usum multò magìs valere ad Pacem faciendam firmandámque, quam ad eandem eliminandam; adeoque in humani generis commodis numeranda esse, non inter ea quæ homines brutis magìs inhu-

inhumanos faciant. Verùm instat Hobbius. Quintò, *Bruta inter injuriam & damnum non distinguunt:* itaque *quamdiu bene sibi est, cæteris non invident: Homo autem tum maximè molestus est, quando otio opibúsque maximè abundat. Tunc enim sapientiam suam in regentium actionibus reprehendendis, ostentare amat.* Scilicet, Antithesis hoc innuit, Homines brutis minùs pacificè agere, quia distinguunt inter injuriam & damnum. Ego verò longè aliter sentio, Homines libentiùs damnum ferre etiam ab hominibus datum, modò nè fiat injuriâ. Omnémque distinctionem inter hæc duo fundari in juris, legúmque cognitione, quam libenter agnosco hominibus propriam esse. Quòd autem hæc cognitio efficiat homines ad pacem violandam proniores, seu ad conculcandum leges & aliorum jura suis similia, id ferre nequeo. Fateor equidem, jura ab hominibus violari posse per effrænes aliquorum cupiditates, hâc cognitione ne quicquam seu incassum repugnante; verùm cognitio discriminis inter ea quæ jure fiunt, & quæ injuriâ efficere nequit, ut ad injurias inferendas sint procliviores. At invidebunt aliis (uti innuit ex antithesi) & sapientiam ostentare amabunt reprehendendo Regentes: Certè non sine injuria, paucorum vitium toti generi humano objicitur; idque sine probatione nisi fortè in seipso hos affectus conspexerit, & indè eos hominibus omnibus naturales esse concluserit; nam hanc rationem cognoscendi humanum genus, gentium Rectoribus, aliisque omnibus commendat in proœmio *Leviathanis*: nec aliam ullam esse harum rerum demonstrationem: sed monet ut examinemus, an nostris hæc congruant cogitationibus. Meis sanè non consentiunt. Sim ipse fœlix, sint alii fœliciores, non equidem invideo, mihi nihil detrahetur. Modestiorem etiam censeo naturam humanam quàm quæ in reprehendendis Regibus delectetur. Oportet ut longâ consuetudine quidlibet audendi confirmetur illius audacia, qui ad perduellionem moliendam processerit, in quo crimine innumeræ cædes, rapinæ, sacrilegia, omniáque

ſimul flagitia continentur. Verùm incongruè admodùm ab Hobbio hoc ſcelus hominibus objicitur in ſtatu quem ſupponit naturali, qui regiminis Civilis conſtitutionem, ſecundùm ejus hypotheſin, præcedit; videamus itaque an in ultima reſponſione meliùs evincat, humanum genus ad pacificam conſenſionem brutis animalibus minùs eſſe idoneum? *Animalium* (inquit) *illorum conſenſio à Natura eſt; conſenſio autem hominum a pactis eſt, & artificialis. Mirum ergo non eſt ſi ad firmitatem, & durationem ejus aliud præter pactum requiratur*, nempe *Potentia communis à qua ſinguli ſibi metuant, & quæ omnium actiones ad bonum commune ordinet.*

Reſpondeo. Pares planè eſſe cauſas naturales hominibus intrinſecas quatenus ſunt animalia, quæ eos ad conſenſionem de exercenda mutua inter ſe benevolentia perducant; pares (inquam) iis quæ in quibusvis aliis animalibus reperiuntur, *v.g.* in bobus, leonibus, apibus; ídque veluti in brevi ſpecimine conati ſumus oſtendere in iis quæ pauló antè dicta fuêre: & inſuper majores oſtendemus poſt hæc. Nihil autem oſtendere poteſt Hobbius quod homini deeſt, & cauſa eſt pacificæ ejusmodi conſenſionis quæ in brutis reperitur. Id enim quod additur, eam eſſe pactitiam inter homines adeoque artificialem, vulgus fortè fallat, à Philoſophis facilè redarguetur. Pacta enim illa vi naturæ tum animalis, tum rationalis fiunt. Certè ſi homines nulla inter ſe feciſſent pacta, nullâque uterentur ratione, tantundem tamen valeret inter illos communis natura animalium ejusdem generis, ut conſentirent in mutuam benevolentiam eatenus colendam, quatenus inter omnia bruta ejusdem ſpeciei, & eſt hæc conſenſio, & naturalis eſſe cognoſcitur. Quid itaque vetat quin poſtquam acceſſerit hominibus ratio & verborum uſus, maneat conſenſio illa adhuc naturalis? Ratio non tollit conatus & propenſiones naturales ad concordiam, nec conſenſio naturalis minùs firma fit aut inconſtans, eò quòd verbis exprimatur: quemadmodum

appe-

appetitio & assumptio cibi potûsque non desinunt esse actiones naturales in homine, etsi hunc appetitum verbis exprimat, & ratione suâ locum, tempus, genúsque cibi sumendi constituat. Præterea verò quandoque Hobbius concedit à ratione esse humanæ naturæ partem ac facultatem naturalem, ut *de Cive cap. 1.* art. 1. cap. 2. §. 1. ídque alii omnes (quantùm scio) constanter agnoscunt; unde sequitur eam insuper Societatem seu consensionem, quam ratio suaserit per pacta stabiliendam esse, ex hominum natura scilicet rationali provenire; eámque adeò naturalem dici posse meritò, etsi arctior longè fuerit, pluribúsque conditionibus astricta quàm ulla uspiam inter bestias conspicienda. Patebit autem consensionem oratione profectam ideo aptiùs naturalem dici, si consideremus rationem practicam à natura optimi finis quem prospicere possumus, ac optimorum mediorum quibus uti valemus, prorsus determinari. Atque insuper rationis omni operâ nihil aliud effici, quàm ut propensiones illæ ad concordiam cum aliis sui generis, quæ omnibus animalibus naturales sunt (sed in brutis valdè confusè & cæco modo se exerunt) ad integrum suum objectum, Rationales scilicet universos, dirigantur, & ut singulæ actiones indè optimo loco, tempore, cæterísque circumstantiis eliciantur. Sic meritissimè illa cibi, potúsve sumptio naturalissima dicetur, quæ & generaliter à constitutione animalis provenit, & in omnibus casibus particularibus à ratione animalis valetudinem curante perfectissimè dirigitur, absque ullo in diæta errore. Possunt tamen præcepta illa diætæ regendæ, quorum vim & veritatem ratio ex natura rerum observat, Artis nomen mereri: Ars enim est habitus actiones dirigens, prout finis & mediorum natura indicârit: habitus autem hujusmodi agenti rationali planè naturalis dicatur, siquidem ejus partes, seu præcepta pauca fuerunt, adeoque manifesta, ut facilè imbibantur è natura rerum, absque institutione, & dum aliud agimus; quemadmodum bruta victûs sui regendi

 mo-

modum à sola experientia colligunt; immò & plantæ sine ullius sensûs, nedum artis, adjumento congruos tantùm succos à terra, in suum nutrimentum sine errore hauriunt. Artium prima principia habitus sunt strictè dicti, & suarum quidem artium partes intrinsecæ; adeò ut hâc ratione possint fortè dici artificialia; verùm quia sine arte semper discuntur, ab omnibus agnoscuntur naturaliter cognosci; quíque de artibus scribunt, ea supponunt, non docent. Sic peritia addendi numeros minimos, ac lineas rectas inter se ut fiat summa, Et subductio parilis in exiguis, notissimisque quantitatibus, habitus quidem dici potest & pars essentialis Arithmeticæ & Geometriæ practicæ; eam tamen discipulos suos naturæ suæ viribus absque institutione acquisivisse supponunt Mathematici, adeoque planè naturalem esse. Proinde Euclides in communibus notionibus quæ axiomata vocat, supponit æqualia æqualibus addita aut etiam ablata, notúmque esse quòd summæ, vel differentiæ erunt æquales. Quod ideò tantùm observamus ut perspicuum fiat, peritiam quandam agendi (addendi *v. g.* aut subtrahendi) simul artis alicujus partem esse essentialem, & tamen prorsus naturalem esse homini utpote rationali. Quapropter existimo Hobbium non rectè fecisse, quòd consensionem inter homines quæ pactis exprimitur, ita artificialem esse dixerit, ut opponatur naturali. Non negaverim equidem verba illa quibus pacta significantur ex arbitraria constitutione profluxisse: verùm consensio illa animorum circa mutua benevolentiæ officia, cujus verba sunt signa tantùm, est prorsus naturalis. In consensione autem illa animorum de commutandis *v. g.* officiis consistit natura tota pacti, omnísque ejus vis obligandi indè profluit. Scientia autem & voluntas insuper constituendi aliqua signa quibus hujusmodi consensio utrinque indicetur, adeò facilis est & obvia homini etiam sine institutione, ut naturalis quoque dici mereatur, quanquam usus horum vel illorum signorum sit arbitrarius (ita enim mallem appellare quàm artificialem.)

Brevi-

Breviter, consensio pactis expressa (præsertim circa generalissimos actus benevolentiæ, de quibus solis in disquisitione de legibus naturæ agitur) aut dicenda non est artificialis, aut si ita dicatur, intelligenda ita est illa appellatio ut conveniat cum naturali, non autem illi opponatur, uti minùs firma & durabilis, ut fit apud Hobbium. Significatio enim naturalis consensionis, per verba secundùm artem aliqualem constituta, non minuit ejus firmitatem aut durationem.

Manet itaque inconcussum quod initio posuimus, inesse hominibus, hoc ipso quòd sint animalia, propensiones saltem tales ad benevolentiam erga alios, quales sunt in cæteris animalibus erga alia sibi congenera, in quibus præcipua capita legis naturalis in aliquibus casibus pro modulo suæ cognitionis observari animadvertimus. Operæ pretium autem existimavi hæc Hobbiana responsa sigillatim considerare, partim ut videat Lector, quàm crassum errorem defendere cogitur Hobbius, ut obliteret indicia sanctionis legum naturæ à propensionibus naturalibus desumpta: partim autem quoniam observavi hæc singula, è quibus Hobbius colligere vellet, hominem erga suum genus magìs malevolum esse & insociabilem quàm bruta animalia, commodè admodum in ipsum retorqueri posse, veluti clarissima indicia quòd homo à natura aptus fuerit factus ad majorem erga sibi congeneres benevolentiam, quàm aliud quodvis animalium genus. Amat enim Honorem, qui è beneficentia ejusmodi naturaliter provenit. Publici boni vim ad tutandum bonum ipsi privatum perfectiùs intelligit. Ratione utitur, quæ & ad obedientiam & ad imperandum, prout fors obtulerit, ipsum pariter disponit: verbis aptissimis rationis suæ vim acuere novit & exornare. Legem novit, cujus vi injuriam à damno citra injuriam illato distinguit. Denique consensioni inter homines semel factæ non natura tantùm constantiam, sed naturæ auxiliatrix ars multifariam cautelam adversùs casus minùs opinatos, &

durationem ultra ætatem hominis per scripturam impertit. Interim non libet his singulatim explicandis hîc loci diutiùs immorari ; sed integrum relinquo Lectori judicium , utrùm Hobbianæ responsiones an hæ retorsiones fuerint veriores ? seu, an non hæc hominibus peculiaria potiùs juvent propensiones ad benevolentiam, quas animalis naturæ constat perpetuò inesse , quàm eas eradicent aut retundant?

§. XXIII. Postulat methodi nostræ ratio ut nunc nonnulla expendamus quæ hominum corporibus propria sunt, ut videamus, an non illa homines cæteris animalibus aptiores faciant ad benevolentiam mutuam inter se exercendam, atque adeò ad societates magis amicas constituendas? Illud autem hoc in loco opportuniùs agemus, quoniam etiam hæc iis competunt, quatenus sunt animalia ; adeoque considerandа sunt non ut per se quicquam efficientia , sed ut cooperantia cum iis quæ antea in reliquis animalibus observavimus , unde ex auctis viribus ejusdem generis effectum , sed certius & majus , expectemus. Visum est itaque hæc eo ordine disponere quo facillimè referantur ad ea capita quæ modò vidimus indicare , animalium omnium naturam eâdem operâ ad benevolentiam erga congener animalia ferri , quâ ad suam conservationem propendet. Nihil autem reperimus in humano corpore eximium quod referendum sit ad primum indicium , à limitata partium magnitudine desumptum ; sed ad secundum, quod ex imaginationis & memoriæ viribus, seu effectis sumitur, multa sunt quæ referantur , in quibus humanum corpus cæteris animalium corporibus præcellit. His autem hoc generaliter præmittendum est , quòd quicquid Phantasiæ & Memoriæ vires auget , eásve facit diutiùs inesse hominibus quàm aliis animalibus , id omne multum contribuit ut ii è naturali obviâque experientiâ plura discant circa causas boni tam sui , quàm communis , quæ in ipsorum sunt potestate , adeoque efficit ut majore polleant prudentiâ

dentiâ quâ actiones suas dirigere possint & velint in prosecutionem boni tam privati, quàm publici; quæ duo inter se ex natura hominum intimè conjuncta sunt, & complicata. Quicquid autem prudentiam hujusmodi augere aptum est, id pariter disponit ad praxin omnium virtutum moralium, hoc est, ad omnium legum naturalium observationem.

His præmissis ex Anatomicorum scriptis, quin etiam observatis nostris aliorúmque, nonnulla offeram in corpore humano conspicienda, quæ ad phantasiam, & memoriam in hominibus ampliandam, vegetandámque faciunt, quæ quidem, si sigillatim spectentur, minùs prosint, considerata tamen conjunctim inter se, & cum iis quæ animalibus omnigenis communia sunt, nec non in subordinatione ad mentem diviniorem, cujus corporis nostri partes hæ sunt instrumenta propria, insignem videntur afferre in finem nostrum utilitatem. Humanam autem Phantasiam & Memoriam juvant (1) Cerebrum, quod pro mole corporis longè majus quàm in alio quovis animalium genere conspicitur: (2) Sanguinis spirituúmque animalium indè manantium major copia, defæcatio item major per erectum corporis situm; vigor, motúsque major propter ascensum patentiorem in cerebrum per tubulos Carotidum integros; Memoriæ verò peculiariter utilis est ætatis humanæ diuturnitas, tum puerilis, in qua ingens rerum & verborum copia reconditur, tum etiam maturioris, in qua majore cum judicio ea quæ pridem fuerint nota, quæque recèns observantur, in suas classes disponuntur; De his autem singulis adjiciemus pauca, ut res tota clariùs elucescat.

Cerebri autem nomine intelligimus hoc in loco totam illam substantiam albam quæ in meningibus involvitur intra Cranium, quæ quandóque dividitur in Cerebrum strictè dictum, & Cerebellum; de quo Bartholinus in Anatomia *Lib. 3. cap. 3.* hæc habet; *Cerebri humani magnitudo*

insignis est in proportione sui corporis, ut habet Aristoteles. Et ut plurimùm homo duplo plus cerebri habet quàm bos, nempe ad librarum quatuor vel quinque pondus. Indè verò sic ratiocinandum esse puto. Corporis humani mediocris pondus non assurgit ultra quartam partem ponderis corporis bovini, & tamen duplo plus cerebri ei concessum est in regimen tantilli corporis; indè sequitur octuplum Cerebri datum esse ad regendum æquale pondus membrorum. Ipse etiam comperi corpora ovium majorum, & porcorum corpora pondere corpus humanum æquare. Eorum autem cerebrum tantùm octavam circiter partem habere ponderis Cerebri humani. Quid autem aliud monere potest tanta inter hæc animalia hac in re disparitas, quàm quòd homo naturâ suâ aptus sit factus ut Cerebri vires in actuum suorum regimine longè sint majores, magísque conspicuæ? Certum autem est (ut alios usus cerebri communes cum reliquis animalibus taceam, è quorum consideratione nulla ratio superpondii peti potest) hominem hujus partis ministerio, primò res per sensus delatas accuratiùs observare, eásque inter se conferre & perpendere (præter cætera minoris momenti naturalia effecta) quantum res quælibet, quæ viribus nostris disponuntur, afferre possint boni, aut mali hominibus singulis, vel pluribus conjunctim spectatis. Secundò verò quoniam omnes nervi à Cerebro, aut medulla spinali quæ illi continua est & homogenea, oriuntur, evidentissimum est motus omnes corporis qui ullatenus à nobis regi possunt, cerebri operâ dirigi & gubernari. Id autem distinctiùs intelligatur ex iis quæ Willisius observat de origine omnium nervorum qui motui voluntario inserviunt à Cerebro strictè dicto. Ex his autem sponte suâ hoc sequitur, majorem & molem, & vim Cerebri, quæ in homine conspicitur, ei naturaliter inservire, ut multiplicem actuum seu motuum varietatem indè pendentem diligentiore deliberatione, consilio, & curâ (qui usus sunt cerebri peculiares) dirigat. Hoc autem aliter fieri nequit

quàm

quàm finem sibi maximum proponendo (commune nempe universi bonum, entium vero rationalium præcipuè) & optima media commodissimâ ratione sollicitando, id est, efficaci benevolentiâ rationales sibi omnes devinciendo. Simplicior certè organorum apparatus, qualis in arboribus reperitur, sufficit ad individui unius conservationem; illarum enim plurimæ diutiùs florent quàm vivunt homines; immò sufficit ad speciei suæ propagationem, in quâ tamen aliquid communis boni continetur. Tanta autem cerebri capacitas, cum tot admirandis instrumentis ei annexis, qualia sunt sensuum omnium; motúsque voluntarii organa, ad usus nobiliores adaptatur. In avibus aliquot, & piscibus, cerebri quantitas adeò exigua est, ut ab oculorum suorum mole & pondere æquetur, quandoque etiam superetur (quod cum aliis multis ad rem Anatomicam pertinentibus ab integerrimo amico, Medicóque doctissimo ac fœlicissimo Doctore Hollings, primò mihi commonstratum est) nec his tamen hoc deest ingenii ut pacatè agant cum animalibus sui generis: quanto minùs hoc deesse potest (salvâ ipsorum fœlicitate) hominibus universim, qui amplissimis agendæ cognitionis instrumentis docentur; præsertim cùm in Cerebri usu ad prosecutionem veri, bonique maximi maxima pars fœlicitatis humanæ consistat? Huc pertinet quod Willisius lib. *de Cerebro cap. 26.* tradidit, se in dissectione cadaveris cujusdam à nativitate fatui, nullum in Cerebro vitium reperisse, nisi quòd mole esset perexiguum: & in Cercopitheci anatome observavit quòd Cerebrum ejus parùm ab eo quod in Cane & vulpe cernitur, differebat, nisi quòd proportione ad sui corporis molem habitâ longè esset capacius, ejúsque anfractus ampliores existerent, unde ad ingenium hominis hoc animal propiùs quàm cætera accedit.

§. XXIV. Secundò autem in humano corpore observanda est sanguinis spirituúmque animalium indè profluentium copia, defæcatio, & vigor, major quàm in brutis

reperitur, quæ inter Phantasiæ, ac Memoriæ, ipsiúsque adeò Prudentiæ causas adjuvantes meritò numeretur. Sanguinis autem mensura multis de causis in omnibus animalibus, ipsóque adeò homine variatur. Observârunt autem Anatomici, Charltonus, Lowerus, aliíque, quòd rarò excedat viginti quinque libras, rarò minor sit libris quindecem, ideoque mediocris ejus quantitas æstimari potest viginti librarum. Si itaque supponamus hujusmodi hominis corpus, post exemptum sanguinem, pondus habere ducentarum ejusmodi librarum (quod quidem mediocri hominum pondere majus est) habebit sanguis ad reliquum corpus rationem unius ad decem, vel erit undecima pars corporis viri sanguine suo præditi. Non multùm ab hac computatione discedit Glissonius noster, qui libro *de Hepate cap. 7.* sanguinem totius corporis humani partem duodecimam esse scripsit. In ove autem, vitulo, porco sæpe expertus sum sanguinem ad corpus eorum exsangue rationem habere unius ad viginti, aut minùs ad octodecim. Hinc autem inferre licet, sanguinem humanum ad suum corpus rationem habere fere duplo majorem quàm aliorum animalium terrestrium sanguis habeat ad sua corpora. In piscibus autem, & avibus longè adhuc minor est ratio massæ sanguinis ad corporum suorum molem. In confesso insuper est inter Anatomicos sanguinem humanum aliorum animalium sanguinem calore superare. A copia autem & calore spirituum copiam & agilitatem cuivis pronum est colligere. Id solum hìc adjicere visum est me nihil affirmare de forma spirituum an sit aerea nec ne, quam video Harvæjum ejúsque sectatores oppugnare, sed eo nomine intelligere partes quasdam agillimas ipsius primò sanguinis, quæ indè derivantur in cerebrum ut imaginationi, ac memoriæ, nec non in nervos, fibrásque musculorum, ut motibus animalium inserviant: quales ipse Harvæjus non denegavit. Modus autem quo spiritus seu partes sanguinis agiliores à reliquo sanguine secernantur, nondum fortè

peni-

penitùs, etiam peritissimis naturæ ministris (Medicos intelligo doctissimos) innotuit. Nostro sufficit instituto, quòd inter eos fere convenit sanguinem, cujus partes spirituosiores, seu magìs activæ fermentatione fuerint ab aliis quadantenus dissolutæ, & liberatæ, ad cerebrum transmitti, ut ibi spiritus plenè separentur, seu exstillentur. Ego hoc tantùm in rem nostram observatum velim, majorem cerebri humani molem, majorémque sanguinis copiam facilè intelligi posse efficere, ut copiosiores generentur ibi spiritus quàm in cæteris animalibus, quocunque tandem modo id fiat in utrisque.

Quin etiam, fortasse non prorsus importunum erit id inserere quod Doctissimus noster Medicinæ Professor Dr. Glissonius in puerulis Rachitide affectis, caput majus fieri propter aliarum partium marcescentiam, ingeniúmque simul cum Cerebro, ob majorem sanguinis copiam affusam, incrementum capere, observavit. Nec prætereundum censeo quòd erectus ut plurimùm corporis nostri, dum vigilamus, situs in hunc effectum aliquid contribuat. Hinc enim non solùm symbolicè instituimur in contemplationem causarum sublimiorum, quarum influxus æquè respicit omnes ubique homines, totúmque adeò mundum hunc sublunarem, quod antiquitùs à multis est observatum; verùm etiam hinc cerebrum humanum disponitur ad spiritus vegetiores, simul ac copiosiores generandos, unde ad amplissima quæque rationis munia meliùs fungenda naturaliter comparati sumus. Summa autem omnium illarum functionum in amica consociatione cum rationalibus aliis continetur. Ratio autem ob quam existimem hunc humani Cerebri situm aliquid conferre ad spirituum mobiliorum, & plurium generationem, è principiis petitur staticis ad officia, sitúmque arteriarum, venarúmque ad capita nostra pertinentium accommodari; quæ quidem licèt plerisque videantur heterogenea ac nimis à re nostra aliena, mihi tamen videntur vim suam diffundere per totam mun-

mundum corporeum, adeoque inhumanis corporibus locum habere non contemnendum. Videtur itaq; mihi quòd dum massa sanguinis ex impulsu à Systole cordis recepto in Aortam tota irruit, non tamen omnes ejus partes æqualem ab illo impulsu impetum recipiunt propter diversitatem magnitudinis, figuræ, soliditatis, motuúmque quæ in iis extitit; (est enim sanguis liquor ex admodum heterogeneis partibus constans, habéntque illæ varios motus ut sunt fluidæ, nec non ut calidæ, & fermentatæ, ac majoris minorísve gravitatis participes;) sed nonnullas aliis hinc celeriùs moveri, quas agiliores, levioresque sanguinis partes liceat appellare. Crediderim itaque harum partium numerum bene magnum à crassiorum consortio in divaricationibus arteriarum sese expedire, & faciliùs ad loca superiora evadere posse vi pulsuum perpetuò repetitorum, quâ inæqualiter urgetur earum motus, harum nempe magis, illarum verò minus. Hinc opinor ascendere sanguinem paulò agiliorem in truncum ascendentem, qui etiam angustior est, quàm qui transit in patentiorem illum descendentem, per quem crassior sanguis & gravior faciliùs propellitur. E trunco autem ascendente purior adhuc in carotides, & vertebrales arterias, unde Cerebro spirituum materia suppeditatur. Non ego magnum esse censeo discrimen inter sanguinem arteriosum qui caput alluit, eúmque qui inferiores partes præterlabitur; sed tamen vel minima quæ è principiis claris & universalibus deduci posse viderentur, non censui prorsus silentio premenda, ubi opportunè cogitationibus meis occurrebant. Adjungam itaque quod huic cognatum est de venarum ad cerebrum pertinentium situ declivi, ex quo fit quòd sanguis suâ gravitate descendat celeriùs: unde quia citissimè deplentur venarum jugularium, & vertebralium rami, ideo citiùs locus datur recentis sanguinis affluxui ex arteriis carotidibus, ac vertebralibus, qui aliter à venosi sanguinis resistentia impediretur. E fœlici autem concursu harum duarum causarum,

rum, nempe è vegetioris ſanguinis aſcenſu per arterias cerebro deſtinatas, & è præcipiti deſcenſu ſanguinis ejusdem (poſt amandatos ſpiritus) per venas in erecto corporis humani ſitu, ſequetur celerior ſanguinis in capite circulatio quàm aliis in partibus corporeis, aut quàm fiat in capitibus aliorum animalium; & è celeriore circulatione, recens ſanguis ocyùs ſuppeditabitur, è quo copioſiores ſpiritus exſtillentur.

Non eſſet difficile plurima afferre argumenta quibus ſanguinis ſpirituoſioris aſcenſus per arterias in caput penetrantes confirmari poſſit, eáque deſumpta à frequentioribus in partibus infimi ventris obſtructionibus, è ſanguine fœculentiore natis, è tumoribus, & quandoque fluxu venarum hæmorrhoidalium, qui morbus ſoli (opinor) generi humano accidens, è ſitu corporis erecto, ex parte ſaltem, pendere videtur. Verùm compendio ſtudendum eſſe cenſeo. Lector qui plura in hanc ſententiam cupit, legat illa quæ Doctiſſimus Lowerus ſcripſit in erudito Tractatu *de Corde cap. 2. à pag. 133.* ad finem capitis, quorum plurima (etſi in alium finem ab illo afferantur) ad rem noſtram à prudente Lectore facile poterunt commodari. Nec his quicquam obeſt quòd volucres aliquot reperiantur quæ erecto incedunt capite, collóque prædita ſunt longiuſculo. Concedi enim poteſt, quòd in illis etiam ſanguis eò levior & ſpirituoſior aſcendat, nec tamen hinc magnum ad illorum ingenia ſubſidium erit expectandum, quia & ſanguinis & Cerebri in proportione ad reliquam corporis ſui molem, perexigua eſt illis quantitas. Quin etiam tantillum ſanguinis, etſi non eſſet ſpirituoſus, facili ſyſtoles impulſu per arterias earum carotides aſcenderet, quoniam adeò exiguæ ſunt ut ad tubulorum capillarium è vitro factarum naturam accedant, per quos aquam communem, præſertim calefactam, ſuâ velut ſponte aſcendere vidimus ad aliquot pollicum altitudinem.

Reſtat

Restat ut aliquid dicerem de motu velociore sanguinis in cerebrum humanum, qui exinde provenit, quòd arteria carotis in illis non finditur, ut in brutis plerisque, in mille surculos, & plexus retiformes qui ejus impetum in illis frangunt, sed uno amplo & aperto profluit alveo, donec in Cerebrum penetret; unde necesse est ut partes ejus omnes, ipsíque adeò spiritus impetuosiùs moveantur; & ut circulatio ejus tota citiùs absolvatur; & ut recentis sanguinis accessui paratior sit locus: quæ omnia ad agilitatem & copiam spirituum procurandum plurimùm faciunt. Verùm hæc adeò plenè & accuratè tractârunt Willisius ὁ πάνυ, & Lowerus loco citato, ut industriæ nostræ nullus relinquatur locus, sed ipse velut fontes potiùs sint adeundi. Vide Willis. Cerebri Anatom. *Cap. 7.* Mihi satis est hæc ex illis desumpta ad rem quæ præ manibus est accommodasse. Hoc solum visum est adjicere, quòd quanquam tot sint in humano capite imaginationis, & memoriæ adjumenta quæ Menti operam præstent non inutilem, hæc tamen nullatenus sufficiunt ad resolvendas ejus operationes (quarum antea mentionem fecimus) in vires materiæ & motus. Immo è contrà Malpighium reor verè dixisse, quòd quò meliùs innotescet nobis Cerebri natura, & officium, eò magis desperabimus operationes animi ex ejus motibus explicari posse. Vide Malpig. *de Cerebri cortice, cap. 4.*

§. XXV. Transeo nunc ad ultimum Memoriæ adeoque Prudentiæ auxilium, quod humano generi ordinariò concessum est ultra cætera animalia, quod ex ætatis nostræ consuetis conditionibus profluit. Certissimum est stupendam planè esse memoriæ nostræ vim, quæ in se complectitur aliquot millia verborum, & insuper sententias, seu propositiones exinde factas ultra millies millenas, præter infinitam penè rerum, actionúmque varietatem, quas intra vitæ nostræ curriculum observamus. Ea autem utcunque brevis sit, si comparetur cum æternitate quam expetimus,

aut

aut cum longævitate primorum hominum quam ex historia sacra discimus, est tamen multò longior quàm aliorum plurimorum animalium quæ nobis sunt nota. Illa enim citiùs ad maturitatem perveniunt, citiùs etiam occidunt, quàm ut ad sexagesimum aut septuagesimum annum perveniant, qui vitæ nostræ terminus figi solet. Opportunè autem à Natura cautum est, ut ætate adhuc tenerâ, tenax esset pueris memoria, cujus ope, antequam rebus gerendis maturi simus, multa tenemus de Deo, hominibúsque plurimis, qui Causæ sunt communis boni, nostræque quam speramus fœlicitatis; indéque discimus quàm sit necessarium, & maximum hunc finem prosequi, & diffusâ erga eos benevolentiâ, tanquam unico in eum finem medio, uti. Hobbius tamen hîc ut alibi, bruta præfert hominibus; ideoque in *Leviathanis Cap. 3.* ubi de Prudentia agit, hoc asserit; *Sunt* (inquit) *animalia alia, quæ earum rerum quæ ad finem suum conducunt, plura observant, & prudentiùs persequuntur, unicum annum nata, quàm puer decennis.* Mihi certè qui sæpe cum admiratione observavi solertiam puerorum in lusibus suis, & in aptis ad quæsita responsis, nec non memoriæ insignem fœlicitatem in linguis ediscendis, nihil unquam in brutis videre contigit, quod cum his comparari possit; ideoque Lectoris judicio relinquendum censeo, annon hoc ab Hobbio potiùs malignè, quàm verè & ingenuè dictum fuerit. Plurium autem annorum experientiam, ætate præsertim maturâ, naturaliter prudentiam generare sæpe agnoscit; nec tamen videt quòd hinc aliquid hominibus accedit supra bruta, quorum & ætas brevior est, & quibus parum admodum crescit ex ætate ingenium, quæque quod experientiâ didicerunt aliis, præsertim loco aut tempore multùm dissitis, adeò commodè communicare nequeunt, ut homines possunt, & solent in maximum prudentiæ, ac fœlicitatis mutuæ incrementum.

§. XXVI. Verùm missis tandem iis quæ ad Imaginationem, & Memoriam hominis pertinent, accedamus ad illa

huma-

Restat ut aliquid dicerem de motu velociore sanguinis in cerebrum humanum, qui exinde provenit, quòd arteria carotis in illis non finditur, ut in brutis plerisque, in mille surculos, & plexus retiformes qui ejus impetum in illis frangunt, sed uno amplo & aperto profluit alveo, donec in Cerebrum penetret; unde necesse est ut partes ejus omnes, ipsique adeò spiritus impetuosiùs moveantur; & ut circulatio ejus tota citiùs absolvatur; & ut recentis sanguinis accessui paratior sit locus: quæ omnia ad agilitatem & copiam spirituum procurandum plurimùm faciunt. Verùm hæc adeò plenè & accuratè tractârunt Willisius ὁ πάνυ, & Lowerus loco citato, ut industriæ nostræ nullus relinquatur locus, sed ipse velut fontes potiùs sint adeundi. Vide Willis. Cerebri Anatom. *Cap. 7.* Mihi satis est hæc ex illis desumpta ad rem quæ præ manibus est accommodasse. Hoc solum visum est adjicere, quòd quanquam tot sint in humano capite imaginationis, & memoriæ adjumenta quæ Menti operam præstent non inutilem, hæc tamen nullatenus sufficiunt ad resolvendas ejus operationes (quarum antea mentionem fecimus) in vires materiæ & motus. Immo è contra Malpighium reor verè dixisse, quòd quò meliùs innotescet nobis Cerebri natura, & officium, eò magis desperabimus operationes animi ex ejus motibus explicari posse. Vide Malpig. *de Cerebri cortice, cap. 4.*

§. XXV. Transeo nunc ad ultimum Memoriæ adeoque Prudentiæ auxilium, quod humano generi ordinariò concessum est ultra cætera animalia, quod ex ætatis nostræ consuetis conditionibus profluit. Certissimum est stupendam planè esse memoriæ nostræ vim, quæ in se complectitur aliquot millia verborum, & insuper sententias, seu propositiones exinde factas ultra millies millenas, præter infinitam penè rerum, actionúmque varietatem, quas intra vitæ nostræ curriculum observamus. Ea autem utcunque brevis sit, si comparetur cum æternitate quam expetimus,

aut

aut cum longævitate primorum hominum quam ex historia sacra discimus, est tamen multò longior quàm aliorum plurimorum animalium quæ nobis sunt nota. Illa enim citiùs ad maturitatem perveniunt, citiùs etiam occidunt, quàm ut ad sexagesimum aut septuagesimum annum perveniant, qui vitæ nostræ terminus figi solet. Opportunè autem à Natura cautum est, ut ætate adhuc tenerâ, tenax esset pueris memoria, cujus ope, antequam rebus gerendis maturi simus, multa tenemus de Deo, hominibúsque plurimis, qui Causæ sunt communis boni, nostræque quam speramus fœlicitatis; indéque discimus quàm sit necessarium, & maximum hunc finem prosequi, & diffusâ erga eos benevolentiâ, tanquam unico in eum finem medio, uti. Hobbius tamen hîc ut alibi, bruta præfert hominibus; ideoque in *Leviathanis Cap. 3.* ubi de Prudentia agit, hoc asserit; *Sunt* (inquit) ***animalia alia, quæ earum rerum quæ ad finem suum conducunt, plura observant, & prudentiùs persequuntur, unicum annum nata, quàm puer decennis.*** Mihi certè qui sæpe cum admiratione observavi solertiam puerorum in lusibus suis, & in aptis ad quæsita responsis, nec non memoriæ insignem fœlicitatem in linguis ediscendis, nihil unquam in brutis videre contigit, quod cum his comparari possit; ideoque Lectoris judicio relinquendum censeo, annon hoc ab Hobbio potiùs malignè, quàm verè & ingenuè dictum fuerit. Plurium autem annorum experientiam, ætate præsertim maturâ, naturaliter prudentiam generare sæpe agnoscit; nec tamen videt quòd hinc aliquid hominibus accedit supra bruta, quorum & ætas brevior est, & quibus parum admodum crescit ex ætate ingenium, quæque quod experientiâ didicerunt aliis, præsertim loco aut tempore multùm dissitis, adeò commodè communicare nequeunt, ut homines possunt, & solent in maximum prudentiæ, ac fœlicitatis mutuæ incrementum.

§. XXVI. Verùm missis tandem iis quæ ad Imaginationem, & Memoriam hominis pertinent, accedamus ad illa huma-

humanis corporibus propria, quæ ad affectuum regimen, eorúmque determinationem ad bona potiùs quàm mala aliis quærenda, propius spectare videntur. In his autem illud supponitur velut fundamentum, quod in indicio tertio è natura animalium communi desumpto notavimus. Affectus qui circa Boni cujuscunq; prosecutionem occupantur, animalia omnia quibus insunt naturaliter magis juvare, & delectare, eáq; ideo in hos velut vitæ suæ conservationi magìs amicos eâdem necessitate propendere, quâ principia omnia iis intrinseca ad vitæ suæ, & valetudinis tutelam magìs determinantur, quàm ad procurandam sibimetipsis perniciem. Hoc supposito, duo sunt in humano corpore quæ efficiant ut tali affectuum suorum regimini præ cæteris animalibus diligentissimè velint prospicere; quorum primum efficit ut illud melius quàm alia efficere possit; Secundum, ut ipsius valetudini, vitæque adeò, magis hoc sit necessarium quàm cæteris animalibus. Si quid autem in alterutro minùs certum Lectori videatur, meminerit velim hæc superpondii loco adjecta fuisse, summamque rei nostræ aliunde satis stabilitam esse, nec inutile hæc hominibus propria hîc recensuisse, ut alii saltem eorum usus fœliciùs explicarent. Ipse certè non dubito, quin aliis insuper usibus hæc inserviunt: existimo tamen probabile esse quòd ad nobilissimos quos indicavi effectus non sint inutilia. Sunt autem illa (1) Plexus nervorum homini proprius; (2) Pericardii cum diaphragmate connexio, & huic affinis communicatio inter diaphragmatis nervum, ac plexum nervorum homini proprium, qui præcordiis præcipuè deservit. De his visum est tantùm Anatomicorum observata paucis repetere, & quæ illi de affectibus hinc pendentibus generatim dixerunt, ad rem nostram accommodare. Patet autem affectus hominum vehementissimos in materia circa quam Leges, sive Naturales sive Civiles versantur, exseri; quoniam in his agitur de rerum & operarum humanarum divisione aut faciendâ, aut stabilienda, id est, ed Meo & Tuo,

quæ

quæ quidem homines maximè commovent; ideóque dubium esse nequit, quin ea omnia in humano corpore quæ passionibus movendis, aut sistendis naturaliter inserviunt, muneribus suis in constituendo, & defendendo discrimine inter nostrum & alienum, id est, in tota materia Legum naturalium, strenuè fungantur.

Inprimis itaque de plexu nervorum pauca è Willisio libro de Anatome Cerebri *Cap.* 26. transcribam. Lector cui ad manum est Liber ille, doctissimum adeat Authorem ut dulciùs è fonte bibat, & tabulam nonam quâ hæc depinguntur, inspiciant. Est itaque plexus nervosus homini proprius, juxta mediam cervicem in trunco nervi intercostalis consistens, qui præter fibras in vasa sanguifera & œsophagum dimissas, & surculos quos dimittit in truncos nervi diaphragmatis, & paris vagi, & in nervum recurrentem, duos insuper utrinque ramos dimittit versus cor, quos alter paulò inferiùs oriundus assequitur, atque hi pluribus tandem alterius lateris occurrentes plexum Cardiacum constituunt; inde proficiscuntur tum nervorum insignes rami Cordis regionem obducentes, tum ansulæ nervosæ quæ tam arteriam quàm venam pneumonicam (præcipuos canales sanguinis è quo spiritus, affectuum principia, ebulliunt) circumligant, idémque nervus intercostalis arterias postea stringit subclavias ante ortum arteriarum vertebralium ad caput sanguinem deferentium. *Nervus (inquit Willisius) intercostalis per hosce surculos internuncii specialis loco est, qui Cerebri & Cordis sensa mutua ultra citráque refert. Ex hoc commeatu cerebri conceptus afficiunt Cor, ejúsque vasa unà cum diaphragmate commoveri faciunt, unde sanguinis motus & respiratio variè alterantur, & spirituum indè procreandorum conditio nonnihil immutatur. Addit etiam, ut cogitationes circa appetitûs aut judicii actus (in quibus Prudentiæ ac virtutum vires conspiciuntur) ritè eliciantur, sanguinis fluctus in pectore coerceri, ac ipsius cordis inordinationes à nervis tanquam habenis regi, ínque*

 motus

motus aptos componi oportet. Notavit etiam in dissectione fatui à nativitate plexum prædictum valdè exilem fuisse, & minore satellitio stipatum. Ac præterea in Cercopitheco (quod quidem animal solertiam & passiones hominis maximè imitatur) reperit aliquot surculos in Cor, & appendicem ejus, ab intercostali dimissos, antequam inserebatur in plexum quem vocat thoracicum, secùs quàm in cæteris animalibus. Plura non transcribam. Sufficit his indicâsse hominem instrumentis hisce (præter vires mentis, aliaque fortasse in Cerebro nondum detecta) ad affectuum regimen naturaliter instructum esse; quod quidem ad institutum nostrum non esset inutile, etiamsi his quadantenus similia in ipsis brutis ut pacatè inter se agerent, reperirentur. Verùm quandoquidem homini peculiaria sunt hæc, non potest non Mentem illius commonefacere curandum esse, ut gubernaculo in manus ipsius tradito diligenter assideat, eùmque flectat peritè.

§. XXVII. Secundò autem attingenda venit connexio inter pericardium & diaphragma (quæ in aliis animalibus nulla est,) cui visum est adjungere communicationem inter plexum prædictum homini proprium & nervum diaphragmatis, quippe, ut Willisius ibidem notavit, bini & interdum tres nervi ab hoc plexu in Nervum diaphragmatis mittuntur: nec omittendum est quòd ab eodem nervo intercostali, in quo hic plexus consistit, sparguntur innumeri rami per omnes infimi ventris partes, ut Cor cum omnibus quadantenus consentiat.

Nimius essem, si hæc singula persequi conarer, immò & temerè facerem si de singulorum horum nervorum usu (qui mihi nondum videtur satis exploratus) pronunciarem. Sufficit ad nostrum institutum pauca tantùm de generali eorum usu dicere, de quo inter Anatomicos constat, eos scilicet (1) motibus imprimendis, aut sistendis inservire, (2) doloris aut voluptatis sensum cerebro deferre à partibus queis inseruntur, (3) & in consensum trahere alios

nervos

nervos quibus implicantur. His suppositis assumo (id quod innumeris experimentis constat) Cor nostrum ac diaphragma, & omnia infimi ventris viscera, stomachum puta, hepar, lienem, vasa etiam spermatica, &c. variè affici in omnibus vehementioribus passionibus circa bonum aut malum, nostrum vel alienum, præsertim cùm res nostra alienis ex natura rerum implicari observatur, quod propter notam conditionis omnium hominum similitudinem semper facile est observatu. Constat autem motus hosce nervorum in hæc viscera implantatorum ministerio fieri, non excluso fortè sanguinis per arterias delati concursu. Ex his colligo, Cor hominis in ejusmodi passionibus ideo magis quàm cæterorum animalium affici, quia per peculiares quos dixi nexus nervorum & pericardii cum reliquis visceribus communicat seu consentit; & quia tam Cor ejus, quàm reliqua viscera in affectibus omnigenis à fortioris Cerebri viribus, spirituúmque agiliorum impetu commoventur. Quoniam autem cor & sanguis indè propulsus est vitæ, ac valetudinis, omnísque adeò voluptatis quâ fruimur scaturigo, necesse est ut affectus qui vehementiùs ejus motum juvant vel impediunt in hominibus quàm brutis, sentiantur majoris esse in nobis momenti, quàm in illis sentiri possunt; quorum Corda tot modis cum visceribus suis non consentiunt: ac insuper eorum Cerebra sunt segniora; spiritúsque, sive in sanguine, sive in nervis considerentur, minùs agiles sunt minúsque copiosi. Quanti autem sit ad rem nostram momenti, ex ipsa corporis nostri fabrica nos constanter moneri de necessitate affectus nostros diligentissimè regendi, illi facilè intelligent qui hoc expendent, summam virtutum omnium, totiúsque adeò observantiæ Legibus naturæ præstandæ contineri in affectuum regimine, qui versantur circa divisionem rerum omnium inter omnes faciendam aut conservandam. Verùm quoniam ex Anatomicis nostris observavi, præter generalia de quibus egimus, duo specialia phænomena è

vinculis his inter cor & alias partes nobis intrinsecas intercedentibus accuratiùs explicata, risum nempe, & suspirium, cogitare subiit animum hæc esse quædam præcipuorum in nobis affectuum symptomata, illum effusæ lætitiæ, hunc autem doloris; reliquos autem omnes affectus his similes esse, ut è paritate rationis sperare liceat eorum quoque accidentia posthæc pariter explicari posse: Statui igitur hæc velut specimina eorum quæ supra generaliter diximus breviter exhibere, & ad scopum nostrum dirigere. Inprimis itaque è Willisio in capite citato notamus, quòd è communicatione suprà tradita inter plexum homini proprium & nervum diaphragmatis, patet causa genuina, cur risibilitas sit proprietas humanæ naturæ; nempe quòd unà cum Corde, diaphragma è jucundo imaginationis motu afficitur, & nervorum ab hoc plexu exeuntium commeatu sursum trahitur, ac in iteratos veluti subsultus instigatur; unde, quia pericardium illi accrescit, Cor ipsum ac pulmones pariter commoventur; dein quia idem nervus intercostalis cum nervis maxillaribus superiùs continuatur, cachinno in pectore edito, unà oris & faciei gestus patheticè respondent. Plura habet Willisius. Et ab his nonnihil diversa Lowerius: quæ tamen cum his conciliari possent. Tract. *de corde cap. 2. pag. 90.* dignus est locus quem Lector inspiciat. Ego in rem nostram adjicio risum suavissimum esse vitæ humanæ, amicæ præsertim societatis, condimentum, nullúmque fere ejus usum esse in solitudine, aut in affectibus qui grave aliquod malum spectant, ut irâ, invidiâ, odio, metu, proindéque numerandum inter ea quæ sæpissimè hominum convictum gratum faciunt, raró autem insuavem. Quoniam autem hic motus per intervalla repetitus mirè placet, omnémque tristitiæ molestiam strenuè excutit, colligere licet humanam naturam, eò ipsò quòd ad moliendam sui conservationem aptè fabricata est, in hanc quoque societatis illecebram homini propriam propendere, adeoque hactenus connecti inter se naturaliter nostram ipsorum

curam,

curam, & aliis placendi ſtudium. Suſpirium autem, etſi humano generi non eſt proprium, in hominibus frequentiùs obſervatur, nec in aliis animalibus, quantum memini, inter ſigna doloris aut melancholiæ numeratur; utcunque verò propter nexum inter pericardium humanum, & diaphragma (cujus motu efficitur) majus quàm aliis animalibus affert Cordi hominis nocumentum; ejus quippe motus vitæ humanæ neceſſarius, extraordinario diaphragmatis annexi motu turbatur: à raro quidem ſuſpirio parùm tantùm moleſtiæ affertur, verùm ſi frequens ſit ac diu perſeveret, Cor mirum in modum delaſſatur, & officio ſuo impar fit. Proximè accedit hoc malum morbo illi quem ſingultum Medici appellant, qui, ut Lowerius in Tract. *de Corde cap. 2.* rectiſſimè tradidit, licèt ventriculo noxam atque occaſionem ſæpe debeat, diaphragmatis propriè affectus eſt, qui licèt cùm brevis eſt ejus mora, nos parùm lædat, cùm tamen perſeverat, & aliis ſymptomatibus (quæ ex Hippocratis aphoriſmis Medicis ſunt nota) ſup[illegible]rvenit, mortis ſæpe eſt nuncius &, ex parte quidem, ca[illegible] [illegible]itanti autem mihi de ſuſpirio velut doloris conſequente, [illegible] [illegible]m venit probabilis (uti videtur) conjectura de cauſa lachrymarum quæ inter doloris effecta ſunt, & humano generi fere propriæ. Opinor, ſcilicet, in dolore ſanguinis motum, circa venarum & arteriarum extremitates in capite, obſtrui aliquatenus, ut tam liberè circuitum ſuum peragere non poſſit, (nec deſunt alia harum obſtructionum in hoc affectu indicia) quo caſu glandulæ lachrymales, (quarum explicationem Stenoni debemus) partem aquoſam è ſanguine copioſiùs colare poſſunt, atque per ſuas in oculos aperturas effundere. Huic conjecturæ faciendæ primam mihi occaſionem dedit egregium illud Lowerii experimentum, quo poſtquam ligâſſet in cane vivo venas jugulares, partes omnes ſupra Caput mirè intumeſcebant, lachrymæ copioſè fluebant, & ſaliva tantâ copiâ ex ore profluxit, ac ſi Mercurium ſumpſiſſet. Legatur

 experi-

experimentum multis nominibus utilissimum apud ejus auctorem in capite prius laudato, & conjectura fortè non videbitur inanis: Ideò autem fortasse solus homo lachrymatur, aut quia majores illius sanguini in dolore contingunt obstructiones, pro magnitudine cerebri, & animadversivæ facultatis acumine, aut quia sanguis ejus copiosior, calidior, & ocyùs in capite motus, obstructiones ejusmodi minùs ferre potest, quin separetur liquor salsus è glandulis unde prorumpant lachrymæ. Quin etiam si nullæ sint in dolore, quales supponimus, in cerebro obstructiones, si tamen eo in affectu vel crassior sit sanguis, quàm ut solitos meatus pari facilitate pertranseat, vel si contrà magis rarefiat, aut tantillo celeriùs versùs caput à corde impellatur, quoniam per ejus anfractuosos canales transitus celerior in venas non conceditur, necessariò magis tumescent arteriæ, & eadem extundationis in lachrymas præbebitur causa, ac si obstructiones, quales supponimus, ejus cursui sese opposuissent; quæ quidem è principiis hydragogicis facilè possent probari. Quocunque interim modo res hæc contingat, eruptio lachrymarum ex his obstructionibus indicio sit, majus periculum hominis valetudini imminere è dolore admisso quàm aliis animalibus; sero enim toto evacuando, postquam alibi in capite eruperit, vix sufficient glandulæ lachrymales, licèt nonnihil ex ea evacuatione levaminis accedat. Obnubilatio autem phantasiæ, & variorum morborum symptomata quæ juxta varium dolentium statum & dispositionem corporis sequi solent, præsertim in Melancholicis, manifestum faciunt, totum doloris malum non egeri lachrymis, quæ in paucis maturæ ætatis viris conspici solent. Observatum autem est, Cervum, cujus sanguis, præsertim cum per venationem incaluit, & in motum celeriorem concitatus fuerit, ad sanguinis humani statum accedit, cùm irruentium canum impetum repellere nequit, mortemque videt appropinquantem, in lachrymas prorumpere.

Verùm

Verùm ut ſpeculationes has abrumpam, hoc ultimò notandum eſt, manifeſtum eſſe multiplici experientiâ omnium paſſiones humanas, niſi rationis fræno coerceantur, innumeris morbis, præſertim hypochondriacis, quibùs homines præ cæteris animalibus obnoxii ſunt, originem fomitémque dare, eaſdem autem à ratione gubernatas vegetos homines, agiles, ac vividos, & ad omnia munia idoneos, facere. Ideoque eorum regendorum ſtudium ad vitæ noſtræ ſuavitatem eſſe ſummè neceſſarium, ſive horum affectuum cauſæ nobis fuerint nunc tandem inventæ, ſive adhuc ignotæ maneant, aut ulteriùs quærendæ. Ab hoc effectu, ſatis certè noto, provenit neceſſitas quærendi regulas quaſdam rationis, quibus illæ intra fines certos contineantur; illæ verò non aliæ ſunt quàm quæ præcipiunt, ut exerceantur ſolummodò in mediis ad finem maximum optimúmque, commune ſcilicet bonum, conducentibus.

Media autem ad hunc finem in hominum poteſtate poſita, ſunt illæ tantùm actiones liberæ quibus aut fit, aut conſervatur diviſio rerum & operarum multarum ejuſmodi quæ ad omnium fœlicitatem plurimùm facit. Regulæ autem illæ ſunt ipſiſſimæ Leges naturales, uti poſtea oſtendemus, & actiones ejuſmodi ſunt actus juſtitiæ univerſalis, ſeu omnigenæ virtutis ejuſmodi Legibus conformes. Quapropter ex his concludere licet, ea omnia in humano corpore quæ efficiunt, ut aut faciliùs poſſit affectus regere, aut ut hoc facere ipſi magìs ſit neceſſarium quàm brutis, plurimùm conducere, tum ut Leges naturales cognoſcat, tum ut aliquantiſper propendeat ad ea facienda quæ in illis imperantur.

§. XXVIII. Quæ reſtant pauciſſimis abſolvemus; ad indicium igitur quartum animalibus omnibus commune à propenſione ad propagandum ſuum genus deſumptum, hoc ſolum (quod obſervavi) habet corpus humanum quod ipſi peculiare eſt, nempe quòd ejus propenſiones ad Venerem, non limitatæ ſunt ad quaſdam anni tempeſtates, ut

cæterorum fere animalium, sed quodammodo perpetuæ sunt. Hinc autem fit ut hominibus plerisque necessaria sint connubia, & prolis suscipiendæ appetitus vehementior hinc sequitur; nec ab his divelli possunt appetitus, immò & pacta, circa alimoniam & regimen familiæ. Quoniam autem hæc omnia à sanguinis humani partibus agilioribus, & à majore vi vasorum spermaticorum proveniunt, necesse est ut pariter majora sint inter homines quàm inter bruta, major itaque erit familiæ alendæ regendæque cura, quæ sine cognitione legum naturalium, & propensione aliquâ ad earum observationem nulla esse potest. Nihil enim in bonum familiæ præstari potest nisi fiat, & conservetur aliqua divisio rerum, & operarum mutuarum in eum finem. Hoc autem in unius familiæ cura intellecto & approbato, evidens adeò est rationis paritas in iis quæ pariter necessaria ad fœlicitatem aliarum familiarum, ut necesse sit, ut talis divisionis necessitas similiter intelligatur, nec ratio sufficiens dari potest, cur non similiter approbetur, atque ita se extendat ad totum genus humanum. In cognitione autem & approbatione hujusce divisionis ad omnium bonum necessarium, legis naturalis cognitio & approbatio continetur. Interim modus quo particulæ sanguinis seminales & activæ prolis generandæ conceptum, & appetitum faciunt secundùm hypotheses quasdam physicas, à Physiologis explicandus est; nam cùm hæ particulæ sensus nostros fugiant, ex observatis, ac historia naturali eorum effectus motúsque singuli ordine suo explicari nunquam poterunt. Ego autem ab initio mecum statui ab ejusmodi hypothesibus abstinere; eam sibi quisque sumat quæ observatis & rationi suæ optimè consentit. Nostro enim instituto visum est satìs ostendisse, στοργὴν seu appetitum conservandi educandíque prolem in lucem editam, esse tantùm continuatum appetitum eam generandi, seu efficiendi ut existat; qui in se continet oppugnationem causatum existentiam ejus prohibentium. Sed hac de re quan-

quantum sufficit, antea dictum est. Illud tantùm hîc adjiciendùm est, quòd quoniam proles humana diutiùs est imbecillis, & opis parentum indiga, certum est diuturnitate temporis, & longo usu seu exercitio amoris parentum, eum affectum in iis invalescere, ut eò ægriùs ferant quodvis malum præcipuè mortem ei accidere, quò diutiùs ejus educationi operam navârunt; ipsáque adeò difficultas homines ad commune bonum instituendi, quoniam spe, in eorum natura fundatâ, vincitur, efficit ut majore studio & industriâ parentes id ipsum moliantur, & στοργῆς specimina indies edant longè majora, quàm quæ in aliis animalibus uspiam conspiciantur.

Quin etiam, eò diligentiùs observanda sunt indicia omnia ex hoc capite deducta, quoniam in hoc ultimo resolvitur, & reciprocus amor liberorum erga parentes, & mutua consanguineorum benevolentia quæ ad amorem erga totum genus humanum tandem perducet. Postquam notum fuerit ex historiis optimæ fidei (quâ solùm ratione, pridem facta cognosci possunt) omnes homines ex iisdem olim parentibus prognatos fuisse.

Ad ultimum indicium ab integra simul compage animalium, conjunctísque actionibus sumptum, referenda est aptior adhuc generalis confirmatio hominum ad societatis amicæ munia obeunda, & manifesta arctioris inter homines quàm bestias consociationis effecta in Civili regimine conspicua, quod per universum terrarum orbem semper, saltem per patresfamilias, locum obtinuit. Fatemur tamen id soli corporum fabricæ non tribuendum esse, uti in brutis, sed gubernatrici menti longè magìs, quæ in iis velut in puppi clavum tenet. Hoc autem in loco non tam singularum aliquot partium edisserenda sunt privilegia, quàm aptissima omnium inter se dispositio, quâ plus possunt ad auxilium aliis ferendam, quæ tamen in effectis faciliùs sentiri quàm in ipsis explicari potest. Notandum tamen est, eas omnes fere ideo aliquanto majora præstare posse, quòd determi-

K 5 nantur

nantur influxu amplioris Cerebri, sanguinis, spirituúmque copiosiorum, & Cordis fœliciùs gubernati per nervos ei proprios. Visum est tamen in duabus hominis partibus insigne quiddam notare, quo ad amicam societatem homo magis fit idoneus, in vultu scilicet, & manu. De vultu observavit olim Cicero, eum in nullo alio animante reperiri, quippe in illorum facie tot cogitationum & affectuum indicia nusquam ostenduntur. Hæc autem communioni inter homines incipiendæ, servandæque admodum sunt opportuna, in solitudine nulli sunt usui. Ea sanè signa quænam sint, percipimus omnes, exprimere autem sigillatim vix possumus; facillimè autem observantur hæc; Rubor faciei in verecundia, Pallor in metu & irâ: hæc duo indè in homine sunt conspicua, quod pellucida est illi faciei cuticula, adeò ut sanguinis qui ei suffunditur copia vel inopia, motúsque varii facilè perspiciantur. Quin etiam ex eadem cuticulæ illius pelluciditate, homini propriâ, provenit pars magna eximiæ illius pulchritudinis quæ in humano vultu relucet, quæque ad benevolentiam conciliandam inter homines plurimùm valet, ideoque non erat silentio prætereunda. Hinc enim & sanguinis color vividus cuticulæ colori decorè admistus conspicitur, & ejusdem motus varii, pro affectuum varietate, jucunda admodum spectacula, percipiantur. Accedunt insuper risus, fletúsque, passionum symptomata ad societatem condiendam, & ad arcendam sævitiam non inutilia, quorum causas humano generi proprias jam antea innuimus. Reliquæ omnes in cujusque vultu diversitates pro affectuum varietate, quæ singulæ enumerari vix possunt, oriuntur aut è tot variis sanguinis nostri motibus qui aliquatenus percipiantur per mutationem coloris in faciei cuticula, aut insuper è motibus musculorum ad oculos reliquámque faciem pertinentium, qui cientur à nervis quinti aut sexti paris, qui originem præbent nervo intercostali, adeoque communicant præ cæteris cum plexu hominis proprio. Ex his fit, ut quadantenus in Na-

tura

tura hominis propria fundetur illud dictum; vultus est animi imago, indices oculi. Quin etiam insignis illa facierum diversitas, à qua fit ut inter tot myriades vix duo reperiantur similes, utilissima est ad societates firmandas; hinc enim facilè internosci possunt omnes, ut discernat quisque eum quocum pactum quodvis iniverit, aut negotium susceperit ab aliis quibuscunque, & testimonium minimè fallax ferri possit de iis quæ quisque dixerit, fecerit, aut perpetrare conatus fuerit. Hæc autem fieri non possent; nisi esset aliquid in faciebus hominum, quo alii ab aliis distinguerentur. Manus autem humanæ cum brachio consideratæ fabrica planè singularis est, ejúsque vires multiplices ad agriculturam, inserendas arbores, ad ædificia munimenta, navigiáque extruenda, ac ad alia omnia artificia mechanica, nullius penè essent usus, nisi homines alii aliis subsidia mutua pararent, & in amicas societates coirent. Defuit mihi opportunitas Simiam, aut Cercopithecum dissecandi, ut per omnia compararem eorum pedes anteriores qui manuum nostrarum figuram imitantur cum hominis manu, brachio, humeróque dissectis. Verùm absque anatome constat & nulla effecta tantæ dexteritatis ab iis animalibus produci, quantam ostendunt hominum opera modò nominata, & musculos tam extremæ manûs, quàm brachii, humerique humani, pro mole corporis, robustiores esse, & articulos in omnem partem multò magìs esse versatiles. Manifestum etiam est in homine os brachii propriè dictum, illud nempe quod inter cubitum & humerum intercedit, valdè longum esse, adeò ut ossa cubiti in carpo terminata, longitudine excedat; & adeò commodè scapulæ (quæ non à latere, ut in brutis, sed à tergo sita est) inarticulari, ejúsque musculis regi, ut manus ea de causa à se invicem longè magis diduci possint, aut etiam retrorsum verti, nec non retrorsum adeò incurvari; ut magnam molem aut pondus complexu suo tenere ac attollere possint. Hoc autem naturæ artificio planè singulari, & verè mechanico fit,

ut

ut manus hominis non solùm accommodetur ad motus ac operationes longè plures, sed ut vires acquirat multò majores tam in sustinendis, & absportandis ponderibus, quàm in imprimendo rebus aliis impetu. Enimvero cùm manu sustinendum est & portandum pondus grave, ipsa cum pondere quod prehendit, ita ad latus dimittitur per motum articulorum brachii, ut à linea directionis quàm minimè distet; unde fit ut pondus minimâ vi libretur super centrum gravitatis totius aggregati, quod è corpore nostro & pondere sustinendo constituitur. (Linea autem directionis est recta illa quæ duci concipiatur à centro prædicto gravitatis ad centrum terræ.) Atque hoc sponte faciunt qui principia Centrobaryca non degustârunt, solâ experientiâ docti, quod fieri non posset, nisi manus ita commodè humero & erecto corpori adaptaretur. Contrà autem cùm à manu nostra impetus in corpus leviusculum imprimendus est (in lapidem *v. g.* projiciendum, aut in malleum, aliúdve instrumentum) è commodissima hæc manûs fabrica fit ut discamus eam elevare; unde quia longiùs à centro sui motûs distat, celeriùs movetur majórque vis imprimitur. Quemadmodum in funda longiore, propter distantiam majorem à motûs sui centro, major vis lapidi projiciendo (cæteris paribus) communicatur. Centrum autem motûs à quo manûs distantia, viriúmque adeò incrementum computatur, non semper est in articulatione brachii cum scapula (unde tamen hominis ictibus vis quædam accideret, cui par nulla in aliis animalibus reperitur,) sed multis in casibus, cùm nempe totum corpus atque ideo humerus unà cum brachio in feriendo movetur, centrum illud est in pede cui insistimus, & distantia à manu elevata ad pedem computanda est, ut intelligatur incrementum celeritatis, & impetûs indè fluentis. Hinc autem major manibus nostris vis accedit, quæ etiam, quia erecta figura homini soli competit, nobis est planè propria. Adjiciendum tamen est, plurimorum per totum fere corpus nostrum musculorum vim

vim elasticam & ad ciendos hujusmodi motus conspirare, & ad eosdem, postquam incepti fuerint, accelerandos, unà cum distantia prædicta à centro concurrere. Sunt equidem hæc potentiæ majoris instrumenta talia quæ converti possunt in cædes, aliáque mala aliis inferenda. Nihilominus manifestum esse reor ea omnia quæ omnes generatim homines potentiores faciunt, servato in aliis hominibus potentiæ æquilibrio, singulis argumenta suppeditare, ut alios potentiâ suâ juvare potiùs velint quàm lædere, adeoque benevolentiam mutuam suadere, quam conamur stabilire: id autem his propositionibus probatur gradatim.

§. XXIX. 1. Potentia aliis lædendi quæ pari aliorum potentiâ lædendi (per defensionem aut ultionem) libratur, nemini qui sibi cautè prospicit argumentum præbet idoneum, ut alios potiùs lædere conetur, quàm à noxa attentanda abstinere. Manifestum enim est quia paria utrinque supponuntur potentiarum momenta, hactenus nullam poni causam, cur lanx in unam potiùs partem inclinaret, quàm in aliam. Immò è contrà, quia si certamen ineatur, certum est utrumque decertantium interfici posse aut mutilari, certum etiam neutri è victoria tantum accrescere, quantum ille amittit qui in pugna occiditur; nec quantum ille periculo exponit qui belli aleæ vitam suam committit, utriusque interest certamen non iniri. Periculum vitæ meæ plus mihi detrahit boni, quàm mihi accidere potest ex eo quòd in pari periculo sit hostis mei vita; nec illius ideo augetur securitas, quoniam incerta est mea, sed utrique hinc aliquid decedit quod neutri cedit in emolumentum. Immò si missâ aliquantisper vitæ ac valetudinis consideratione bona tantùm spectemus externa, notissimum est non omnia victorum commoda victoribus in prædam transire, sed ab illis plura acquiri qui paci conservandæ student, quâ partis frui licet.

2. Po-

2. Potentia autem alios juvandi pari aliorum potentiâ juvandi librata, idoneum unicuique suggerit argumentum ut alios juvare velit, præsertim cum id absque detrimento nostro fieri posse certum sit. Æstimationem enim habet aliquam boni, adeoque sufficientem causam movendi voluntatem humanam compensatio possibilis: præsertim cum plerumque beneficentiâ nostrâ (cujus compensatio saltem possibilis est) nihil nobis decedat, quod in rationes venire dignum sit. E collatione hujus propositionis cum priore, patet consequentia (utut supponantur pariter contingentia) potentiæ in benevolentiam determinatæ majorem habere vim animum ea prospicientem impellendi in benevolentiam, quàm habeant consequentia potentiæ in maleficium determinatæ animum in eam partem alliciendi; quod ad rem nostram satis est. E provisis enim consequentibus actionum suarum mens præcipuè movetur. In priori casu possibile esse prospicimus, ut malum aliis inferamus, pariterque possibile ut ab illis malum patiamur, utrinque malum est æquale, nihil autem quod voluntatem, quæ boni majoris est sequax, alliciat; in posteriori bonum prospicimus quod & facere, & recipere possimus, nihil autem detrimenti quod lancem huc inclinantem retrahat: ne possibile quidem hîc est ut uterque hujusmodi actibus aliquid amittat, & plus hîc alteri accrescit quàm mihi decedit. Innocentiâ, humanitate, præstando pacta de tuendo communi bono, aliis prodesse possum, mihi interim, si ritè expendantur omnia, nihil detrahitur, immò hæc ipsa faciendo internè magis convalesco, & delector, & spes seritur non ingrati proventûs ab aliis redituri; qui, si quis sit, omnino vix tantillus esse potest, quantillum ejusmodi actibus mihimet detraho, ut omnibus illud impendam. Quippe, ipse (si spector qualis unusquisque est solus & absque aliorum benevolentiâ, pace permissâ, & auxilio) tantillum habeo, ut ne mihi quidem soli sufficiam, sed adeò sum extremâ necessitate undique cinctus, ut aliis inserviendo conditionem

nem meam deteriorem facere vix possim; quod manifestò intelligetur ab eo qui statum hominis in bello omnium contra omnes, ex omni parte injusto, supponit. Non enim opus est cum Hobbio efferere, bellum hujusmodi justum esse, & per rectam rationem singulorum, omnia sibimet necessaria esse statuentium, necessarium antequam Societas Civilis constituatur. Agnosco enim libenter, non sine fructu considerari posse, quanta mala ex injustitia universali, & falsis hominum quotlibetcunque judiciis omnia sibimet arrogantium, profluere possint. Hoc autem longissimè distat ab Hobbii errore, qui rectam rationem omnium extra Civilem Societatem positorum omnes in hæc mala necessariò deducere docuit, ut nullam ad benefaciendum vim rationi relinqueret, præterquam quæ à regiminis Civilis auctoritate proveniat. Nos autem contrà affirmamus & impossibile esse ut recta ratio omnia nobismet solis arrogare doceat, immò eam jubere ut benevolè consentiamus in divisionem faciendam, & stabiliendam, quâ unicuique aliquid proprium fiat; idque ut aliis multis de causis, ita etiam quia facilè præsentit Iliades malorem omnibus communium, ipsisque adeò singulis imminere, supposito tantùm quòd singuli sui solùm rationem haberent, & inexplebili libidine omnia sibi arrogarent. Duæ propositiones præcedentes ad rem nostram faciunt, si uniuscujusvis potentia, unici tantùm alterius potentiâ librari consideretur. Verùm res adhuc clarior evadet, si consideremus.

3. Potentiam singularis cujuslibet lædendi aliis longè superari à potentia plurium vel omnium quâ se defendant, aut injuriam illatam ulciscantur: & 4. potentiam cujuslibet quâ aliis benefaciat longissimè superari à potentia remunerandi quæ pluribus aut omnibus inest. Hæc enim vehementissimè nobis suadebunt, ut vires nostras quantascunque ad alios potiùs conciliandos quàm lædendos determinemus. Nec sanè cogitari potest quòd semper ita distrahentur omnium vires, ut unicus in hoc bello cum unico dimi-

dimicaret; quocunque enim casu contingat, ut impar hominum numerus congrediatur, duo in unum (ex hac hypothesi) bellum gerent in certiorem ipsius perniciem; & si par primò numerus inter se concurrerent, unius morte ad imparitatem res redigeretur. Verùm hæc videntur abundè sufficere ad probandum quòd vires ipsæ hominum dum circiter æquales supponantur, argumenta potiùs suggerant ad mutuam benevolentiam, quàm ad mutuam perniciem attentandam. Reliqua autem quæ naturæ humanæ propria esse ostendimus, id ipsum suadent fortiùs, ut ostensum est.

§. XXX. Hic autem Lector observari velim, quòd Hobbius nihil uspiam attulerit hoc modo naturale ac intrinsecum corpori aut menti hominis, quod necessarium suggerat unicuique argumentum, aut aliter necessariò homines determinaret ut omnia sibi solis singuli vendicarent, sed aliquando passionibus id imputare, quod antea refutavimus, aliquando generaliter tantùm dicere quod *æquas societatis conditiones ferre nolint, etsi ipsam societatem appetant*, de Cive *Cap. 1. §. 2.* in Annotatione primâ: Respondeo autem, etsi aliqui sint homines qui aliquando conditiones societatis necessarias & æquas nolint accipere, natura tamen nec rerum omnium, nec quæ illis intrinseca est eos docet, aut determinat, ut eas conditiones nolint ferre. Mores in quos quidem aliquando temerè incidunt, & à quibus aliorum plurimorum immò & ipsorum vita sæpè dissidet, non sunt imputandi naturæ humanæ, aut universi, sed ut ipsi sunt contingentes, contingentem habent causam, temerariam nempe arbitrii illorum liberi determinationem. Qui de natura quicquam pronunciare velit, expendat oportet constantes, & necessarias, ac intrinsecas rerum omnium, hominis præsertim, vires & conatus quibus ipsius vita, & ordinaria fœlicitas conservatur, potiùs quàm perturbationes illas accidentales quibus labefactatur: certum enim est dum vivimus & valemus,

vitæ

vitæ ac valetudinis causas esse fortiores iis quæ nos perturbant, adeoque naturam nostram ex iis æstimandam esse. Par est ratio in pronunciando de toto genere humano, seu de hominum omnium sæculis omnibus quæ sibi invicem ut fluminis partes succedunt. De moribus autem hominum licèt contingenter, tamen ut plurimum verum est, quòd velint Conditiones æquas societatis accipere, quod è factis manifestum est, quoniam videmus eorum voluntate societates tales ubique pridem factas, conservari sæpiùs & diutiùs, quàm dissolvi; Velle autem conservare societatem Civilem, aut cum alia civitate pacem servare, est tantùm constans seu continuata voluntas eam constituendi. Immo aliquandò difficilius est constantiam hanc tueri, quàm societatem primò inire; illa tamen difficultas à plerisque omnibus rationis & naturæ suæ viribus quotidiè superatur.

Denique hominis Natura non Mentem tantùm & Corpus, partes ejus essentiales, sed & earum inter se consociationem complectitur. Ideoque visum est observare, hinc etiam perduci posse homines in cognitionem & expetitionem boni pluribus naturis communis, immò & Societatis & Regiminis, quodque hæc voluntati Causæ primæ congrua sunt & grata. Sentimus enim in nobismet ipsis corpus nostrum naturaliter ideoque divinitùs, non tantùm uniri Mentibus nostris, verum etiam illarum regimini subjici in actibus plurimis memoriæ, affectuum, & motuum præcipuè muscularium. Hinc autem velut affixâ Menti ideâ seu exemplari Politiæ perpetuò admonemur, quàm diversæ res, propter subsidia quæ afferant mutua, velut unum aggregatum necessariò considerandæ sunt, dum causas quærimus fœliciter vivendi; quàm necessarium est, ut è partibus nostris aliæ ab aliis determinentur; quantum prosit ordo partium inter se, & quàm necessarius est ordinatus plurium causarum concursus ad omnes penè effectus naturæ nostræ gratos;

quanto usui sint officia partium mutua, & quàm perniciosa sit aliarum ab aliis separatio, quæ mortem naturalem minitatur. His pertractatis, agendum est de Bono & quidem maximo, quod in nostra aliquatenus potestate positum est.

CAPUT III.

De Bono Naturali.

BOnum est quod rei cujuslibet, vel plurium facultates conservat, vel insuper adauget & perficit. His enim effectibus se prodit peculiaris illa convenientia rei unius cum altera, quæ requiritur ut huic Naturæ, præter alias, quicquam Bonum esse dicatur.

Convenientiæ vocabulo non sum usus in definitione Boni, quoniam valdè Æquivocum est. Ea tamen quorum actus motúsve ad aliorum conservationem, vel virium augmentum, salvâ individui Naturâ, faciunt, meritò convenire dicantur. Siquidem non aliter judicare solemus, an natura vel essentia cujuslibet rei, alteri conveniat nec ne, quàm per actionem indè profluentium effecta. Hæc scilicet facultates rerum latentes, & intrinsecam rerum omnium constitutionem pandunt, hæc sensus nostros feriunt, & rerum undè fluunt, nobis notitiam ingenerant: In actionibus respectuum seu Relationum omnium continentur fundamenta, in quibus explicandis tota ferè versatur Philosophia. Sic homini Bonum est quod vires animi, & corporis, aut alterutrius sine noxa alterius tuetur, aut facit ampliores. Καί τοι τό γε ἑκάστου ἀγαθὸν σώζει ἕκαστον, Arist. *Pol. l. 2. c. 1.* de urbibus dictum. Quod autem de unaqualibet re dicimus, intellectum etiam volumus de rerum plurium serie, in qua inseparabiliter connectuntur quædam proficua cum noxiis.

Com-

Comparanda enim ſunt quæ nocent cum eis quæ proſunt, & à nocendi, aut proficiendi vi majore danda eſt denominatio. Hujusmodi autem Bonum quod, abſtrahentes à Legum quarumlibetcunque conſideratione, concipimus, naturale Bonum libens dixerim, quoniam & Naturam quamlibet *v.g.* bruti, aut arboris reſpicit, quippe quorum vires ſervari poſſunt & augeri. Et præterea hujusmodi entia, ipſáque Terra inſervire poſſunt ad ſuas vel etiam noſtras naturas conſervandas, aut uberiore cognitione perficiendas. Diſtinguitur autem ut quoddam latiùs patens à Bono quod dicitur Morale, quod actionibus tantùm & habitibus entium Rationalium attribuitur, & immediatè connotat convenientiam actionum *v. g.* cum Legibus, ſive Naturæ, ſive Civitatibus alicujus; ultimò autem reſolvitur in naturale Bonum publicum, ad cujus conſervationem perfectionémque omnes Naturæ, & Civitatum, quæ juſtæ ſunt, Leges unicè nos dirigunt. Verùm de Morali poſtea latiùs; nunc in Naturale aliquantiſper animum intendamus. Poſtquam manifeſtum eſt factum Boni notionem, & Nomen non ad unum determinare illum qui de eo cogitat, aut loquitur, ſed pariter referri poſſe ad ſingulos alios homines, immò & ad alia omnia quæ vitâ pariter fruuntur, (ne quid inſuper dicam de aliis naturis inanimatis, quæ conſervationis, aut perfectionis ulterioris in ordine, motúve partium conſiſtentis ſunt capaces) deſcendendum eſt ad conſiderationem aggregatorum quæ ex pluribus, immò omnibus ejusdem ſpeciei, animalibus fiant; addo etiam & ex omnibus ratione utentibus, quomodocunque differant, ut *Homo*. *: *Deus*. Nam quemadmodum mens notione [illegible]ica ſingulis communiter applicabili ea conſiderat, poteſt etiam ſingula quæ novit individua ſimul contemplari, & notâ (*v. g.* omnis) ad ſingula ſigillatim utut non cognita ſe extendente ſibi repræſentare, ſeu totum quod dicitur integrale ſingulos complectens componere, ac velut unum corpus (quod poſtea politicum dicemus) illud ſpe-

ctare, ut inquirat, quid illi bonum sit, aut malum, quo proinde bonum malúmve commune, ac publicum humani generis vel etiam omnium Rationalium dicendum erit. Et è diversis quæ proponantur judicare, quodnam possibile aut impossibile, quodnam majus, aut minus fuerit. Nec illud in multis valdè difficile est, saltem generaliter statuere; Quippe cùm eadem sit singulis, quotquot fuerint, Natura, quæ uni competit; è nota unius fœlicitate, scire licet, qualis sigillatim omnibus quærenda sit fœlicitas. Patet enim mentis perfectiones naturales, & corporis sanitatem, vegetámque vim in quibus unius fœlicitas tota est, complecti etiam, si universaliter diffundatur, omnem omnium fœlicitatem; adeoque & graduum diversitatem, & mediorum generaliter necessariorum naturam parilem esse posse, & requiri ad omnes, *v. g.* alimenta, exercitia, somnum *&c.* propter identitatem inter partes & totum; hinc etiam quicquid vel uni totius hujus parti aliquid addit cæteris non mutatis, adeoque illæsis, id totum, ex illa aliísque partibus aggregatum, adauget. Uni homini qui prodest illæsis aliis omnibus, toti aggregato prodesse meritò dicatur: quod ad nostram ipsorum curam aliis innocuam ex intuitu boni publici unumquemque meritò possit animare.

§. II. Bonum ideo fatemur dici quod alteri convenit, adeoque relativè dici, verùm non semper refertur ad appetitum, nec semper ad unum, nempe ipsum appetentem. In his autem duobus turpiter sæpe erravit Hobbius (licèt quandoque sibi contradicens vera scribat;) & his erroribus ceu fundamento innititur magna pars eorum quæ de jure Belli in omnes in statu Naturæ, & jure quidlibet imperandi in statu Civili perperam conscripsit. De sententia Hobbiana quòd Bonum ideo quidvis dicitur, quoniam appetitur, vide *de Homine Cap. 11. §. 4. Omnibus rebus* (inquit) *quæ appetuntur Nomen commune est Bonum* &c. *Cùm alia alii appetant, necesse est multa esse quæ aliquibus bona,*

bona, aliquibus mala sint, &c. *Sunt ergo Bonum & malum appetentibus & fugientibus correlata, &c.* quibus paria scripsit Libello *de Humana Natura Cap. 7. §. 1.* comparatâ cum §. 3. ubi *motum illum in quo rerum conceptus consistere vult, sine ullo Judicii interventu de Cerebro in Cor transire docet, & ibi prout juvat, vel impedit vitalem ejus motum, placere* (inquit) *dicitur, vel displicere. Quod autem cuique sic placet, id ipse Bonum appellat, quod displicet, malum; & hinc ex constitutionis seu temperamentorum diversitate diversæ sunt de Bono sententiæ; naturaliter scilicet adeoque necessariò & in statu Naturæ ex illius sententia* (quidni & in Civili statu, ubi saniores Philosophi naturæ necessitatem existimant culpam tollere?) *inculpatè.* Et *de Cive Cap. 14. §. 17. Ea est natura hominis, ut unusquisque id quod ipse sibi cupit fieri, Bonum; quod fugit, malum vocet. Itaque diversitate Affectuum contingit, ut quod alter Bonum, alter malum; & idem homo quod nunc Bonum, mox malum; & eandem rem sibi bonam, alii malam esse dicat. Bonum enim & malum delectatione & molestiâ nostrâ omnes æstimamus.* Scilicet hoc à natura hominis ideoque necessariò & semper, immò inculpatè ante leges Civiles fieri contendit, non ab evitabili culpa voluntatis. In *Leviathan. Cap. 6.* his habet paria, additque *Bonum, Malum & Vile intelliguntur semper cum relatione ad personam quæ illis verbis utitur, cùm nihil sit simpliciter ita; neque ulla Boni, Mali & Vilis communis regula, ab ipsorum objectorum naturis derivata, sed (ubi Civitas non est) à natura personæ loquentis, vel (ubi est) personæ civitatem repræsentantis; vel ab arbitro vel Judice constituto.* Nos contrà censemus res primò judicari bonas, deinde appeti quatenus videntur saltem bonæ. Quodlibet ideo verè judicari bonum, quia effectus ejus seu vis Naturam re verâ juvat. Privatum bonum quod uni, commune quod multis prodest; non quia ex opinione sive verâ, sive falsâ appetitur, aut ad unum vel alterum temporis momentum delectet, Hominis natura postulat, ut Ratio rerum

Naturas expendens & evidentiâ indè invariabiliter manante statueret priùs quid sit Bonum, idémque judicaret, (sive sua sive alterius res ageretur,) quàm id appeteremus, aut eo delectaremur: & brutorum est solo affectu, nullâ ratione gubernato, rerum, actionúmve bonitatem metiri. Talia tamen in se experiuntur homines jam brutescentes, & hæc naturæ consentanea esse illis placet ab Hobbio audire. Ex hac grege Hobbianorum augetur numerus. Nihilominus certissimum est & dementem malum pati, etsi sua ipsi dementia mirè placeat; & contrà medela ægro bona est, quamvis illam pertinaciter refugiat. Quin & ipse Hobbius aliquando ad sanam mentem redit, & quanquam alibi quidlibet bonum esse aut malum pro arbitrio imperantium, aut cujusvis hominis, semotâ civilis societatis consideratione, frequentissimè inculcat; tamen *Leviathanis cap. 30.* ubi inter officia summi Rectoris ponitur ut bonas condat leges, apertè asserit *non omnes leges esse bonas, etiamsi ad utilitatem faciant Rectoris*, & eas definit esse tales *quæ ad populi bonum sunt necessariæ, ac perspicuæ.* En populi Bonum! quod certè commune est multis ab ipso agnitum, velut finem actûs Legislatoris; finis autem priùs cognitus supponitur, adeoque ejus natura priùs determinata est, quàm Lex, quid bonum malúmve fuerit, populo præscripserit. Sic etiam *Leviath. Cap. 6.* Benevolentiam ac Charitatem definit *per actus, aliis bonum cupiendi:* nec definivisset, opinor, hunc effectum, nisi possibilem putasset. In Editione autem Anglicana *Leviathanis* agnoscit hunc affectum, cùm se extendit ad homines universaliter, esse Indolem bonam: In Latina Editione hoc omisit, ut non consistens (opinor) cum aliis ejus opinionibus. Enimvero Natura boni & efficacia rerum ad Naturæ unius aut plurium conservationem, perfectionémque est prorsus determinata, & ex congruitate rerum cum omnibus Naturæ *v. g.* humanæ facultatibus, aut earum principiis, expenso etiam vel totius vitæ

statu,

ſtatu, vel partis ejus præſtantioris, æſtimanda eſt, non ex irrationali affectu & levi motu ſanguinis, ex prima rerum apprehenſione aliquantiſper juvato, aut etiam impedito.

§. III. Magni autem eſt momenti ratam & immobilem teneri Boni notionem, quoniam hâc concuſsâ & fluctuante neceſſe eſt ut incerta & inſtabilis ſit omnis cognitio noſtra de Fœlicitate; quippe quæ maximum eſt cujusque hominis Bonum, & de Legibus Naturæ, Virtutibúsque ſingulis, Juſtitia, &c. quæ nihil aliud ſunt quàm ejusdem Boni aſſequendi media, & cauſæ quodammodo partiales.

Quanquam igitur propter peculiare quiddam in diverſis hominum temperamentis aliquando contingit, ut alimentum, aut medicamentum uni noxium ſit, quod plerisque innocuum, immò ſalubre eſſe experientia comprobavit; cui ſimile quiddam obſervatum eſt in genio & moribus gentium in aliquibus conſtitutionibus aliis planè diſſimilium; hoc tamen non magìs tollit conſenſum hominum de generali Natura boni, ejúsque partibus vel ſpeciebus præcipuis, quàm levis vultuum diverſitas tollit convenientiam inter homines in communi hominum definitione, aut ſimilitudinem inter eos in partium principalium conformatione & uſu. Nulla gens eſt quæ non ſentiat actus Deum diligendi, & præſentem jucunditatem, & futuræ ſpem ratam continere: & ſic de cæteris quæ ſequuntur inſtantiis. Atque hæc ipſe Hobbius quandoque fatetur, ut *de Cive, Cap.15. §.9.* & ſequentibus: licèt aliquando in ſolo metu, ac opinione potentiæ honorem Deo exhibendum conſiſtere declamitet, ut in *Leviath. p.1. cap. 10. & 11.* Nulla gens non ſentit gratitudinem ἀντιπελαργίαν erga parentes & benefactores toti humano generi ſalutarem eſſe. Nulla temperamentorum diverſitas facit, ut quisquam non bonum eſſe ſentiat univerſis, ut ſingulorum innocentium vitæ, membra, & libertas conſervarentur; ideoque ubique prohibetur in-

nocuorum trucidatio. Quæ ullius *ἰδιοσυγκρασία* non bonum esse judicabit singulis familiis, omnibúsque adeò Gentibus, ut illibata servaretur thori conjugalis fides? Atque eadem de jure utendi, fruendíque rebus externis ad vitam, valetudinem, famam seu honorem, prolis educationem, & amicitiæ cultum necessariis dici possunt. In judicio de bonitate harum rerum, de quibus tota Legum Naturæ & pleraiúmque Civilium cura sollicita est, æquè omnes ubique conveniunt, ac omnia animalia in motu cordis & arteriarum pulsu, aut omnes homines in opinione de nivis candore, & splendore Solis. Ipse etiam Hobbius Leges Civiles, id docere ait. In omni casu Legibus scriptis prætermisso (quos ipse fatetur penè infinitos esse, (*cap. 14. §. 14.*) & infinitas lites parere posse) sequendam esse Legem æquitatis naturalis: Concedit itaque Leges naturalis æquitatis cognosci absque ope Civilis Legis, & casus plures sufficienter indè determinari posse, quàm qui à Legibus Civilibus, qui non sunt penè infiniti, determinantur. Nos hoc tantùm contendimus, aliquot regulas æquitatis naturaliter adeò notas esse, ut in illis cordati ab invicem non dissentiant. Concedimus interim libentissimè multa esse adiaphora, seu in quibus ratio humana universaliter pronunciare non possit, necesse esse ad commune bonum ut res hoc potiùs modo geratur quàm illo. In his autem locum habent variarum civitatum constitutiones variæ, quæ licèt antequam sanciantur, sine crimine poterant impugnari, postquam tamen authoritate publicâ muniuntur, & propter conscientiam erga Deum, cujus vices gerunt Magistratus, & propter communem civium fœlicitatem, pacémque cujus securitas ab inviolata imperantium authoritate præcipuè pendet, summâ religione sunt observandæ. Quippe evidenter magìs conducit ad commune bonum, ut in adiaphoris & dubiis sententia Magistratûs valeat, idque pro bono habeatur à subditis, quod imperanti tale videtur, quàm ut æternæ inter eos lites ea de re maneant, unde bella

bella cædésque, quæ extra dubium mala sunt, meritò forent expectandæ.

§. IV. Est & alius Hobbi error circa Bonum, nempe quòd objectum voluntatis humanæ sit id quod unicuique videtur bonum sibi, *de Cive c.1.artic.2.* Idem ferè sic exprimitur *de Cive c.3.§.21. Unusquisque præsumitur bonum sibi naturaliter, justum propter pacem tantùm & per accidens quærere.* Nempe justum alienum respicit bonum, quod non existimat quemquam quærere, nisi ex metu malorum è statu belli profluentium. His consentiunt quæ suprà citavimus loca, & innumera passim per ejus scripta dispersa idem innuunt. Hinc manat illud *Cap.2. §.8. Quicquid voluntariè fit, propter aliquod bonum fit volentis.*

Hæc autem omnia eò tendunt, ut evincat homines ita comparatos esse ut eorum Naturæ repugnet, adeoque planè impossibile sit ipsis quicquam appetere præter sua commoda, suámque gloriam, *Cap.1.§.2.* Hæc autem cùm perspicuum sit unumquemque ex dominio in alios uberiùs assequi posse quàm è societate cum aliis, omnes hoc naturaliter appetere, adeoque in bellum adversùs omnes dominationis quærendæ causâ ferri; solo autem metu à bello detineri, & ad societatis conditiones accipiendas impelli. At si quæramus, quid eum in sententiam adeò omnibus Philosophis repugnantem duxerit, illud unicum videre possum, quod in eadem Sectione ipse obiter innuit, ubi *Naturam* interpretatur per *affectus omni animali insitos donec nocumentis vel præceptis fiat ut appetitus præsentium, memoriâ præteritorum retundatur.* Æstimat ille naturam humanam, & objectum adæquatum voluntatis, ex affectibus illis qui usum Rationis, experientiam & disciplinam antevertunt, quales reperiuntur in infantibus, & amentibus; videatur ejus præfatio ad Librum *de Cive.* Ego verò cum Philosophis (quantum scio) omnibus naturam hominis è Ratione potiùs metiendam existimo, adeoque voluntatem se extendere posse ad ea quæ Ratio convenientia cuilibet naturæ

L 5 esse

esse dictaverit; siquidem affectus ejusmodi irrationales perturbationes potiùs animi (adeoque præternaturales) dicendi sunt; quod & ipse Hobbius etiam, post editum *de Cive* librum, fassus est in libro *de Homine cap. 12. §. 1. Fatemur etiam nos fieri posse fortè per malum liberi Arbitrii usum, ut homo quispiam angusti* (suo vitio) *pectoris, nihil præter se consideret, adeoque nihil fere velit, nisi quæ sibi judicat commoda*; Verùm in nullo unquam homine præter unum Hobbium talis voluntatis signa observare potui. Alii certè generosioris sunt animi, qui non tantùm id bonum existimant quod sibi bonum est, verùm quicquid facit ad conservationem aut perfectionem, ordinem & decorem humani generis, vel etiam totius quod cogitare possumus universi, id demum bonum existimant, id volunt ac cupiunt, id futurum sperant, eóque præsenti gaudent. Nec quicquam video quod impedire possit, quo minùs quod cuivis Naturæ convenire posse judico, id illi fieri velle possim; immò & quantum in me est anniti ut fiat. Id autem omne intra fines Objecti adæquati facultatis cujuslibet (adeoque & voluntatis) circa quod illa facultas possit exerceri. Huc pertinet quod præcipit Aristoteles *de Legislatore Pol. lib. 7. c. 2.* ad finem. *τοῦ δὲ νομοθέτου τοῦ σπουδαίου ἐστὶ τὸ θεάσασθαι πόλιν, καὶ γένος ἀνθρώπων, καὶ πᾶσαν ἄλλην κοινωνίαν, ζωῆς ἀγαθῆς πῶς μεθέξουσιν καὶ τῆς ἐνδεχομένης αὐτοῖς εὐδαιμονίας:* Et alibi *Pol. lib. 3 c. 8. n. 76. τὸ δ' ἴσως ὀρθὸν, πρὸς τὸ τῆς πόλεως ὅλης συμφέρον, καὶ πρὸς τὸ κοινὸν τὸ τῶν πολιτῶν.* Quod enim postremo hoc loco Aristoteles de Civitatis legibus asserit in iis non partis bonum, sed totius tradendum esse, eamque mensuram recti à Legislatore spectandam; id, si mundus velut Civitas consideretur, qui rectum sit universaliter, ideoque in Legibus universi, seu Naturæ spectandum satis docet. Enimvero cùm quivis legislator sit tantùm homo, is autem & possit & debeat bono communi prospicere, is quippe finis est in quem constituitur, quid vetat, quin idem facere in aliorum etiam hominum potestate situm esse conceda-

cedamus? Quin & hoc à priori demonstrari potest apud illos qui agnoscunt, voluntatis naturam consistere in consensu mentis cum judicio Intellectûs de rebus inter se convenientibus. Certum enim est, Intellectum judicare posse quid aliorum commodis inserviat, juxtà ac nostris; nec ulla suppetit ratio, cur non eadem velle possimus, quæ judicavimus bona. (Imò fieri vix potest, ut quæ judicavimus esse bona, ea non velimus.)

Observandum autem est quòd quicquid homo velle potest, potest etiam statuere id, quantum in ipso est producere; Bonum autem sic volitum à nobis dicitur intendi, & intentionis hujusce vi, finis notionem completam induit: potest itaque bonum commune universi, homo finis esse. Et quoniam est maximum quod possumus velle, intellectus rectè judicans pronunciabit hujusmodi volitionem magis necessariò & intrinsecè connecti cum perfectione hominis, bonum commune ritè intelligentis, quàm volitio cujuslibet minoris boni. Verùm sufficit impræsentiarum ostendisse bonum commune posse esse hominis finem, & quidem præcipuum; si modò probetur esse quovis alio bono majus. An verò quispiam obligetur ad hunc finem quærendum, postea videbimus, ubi de Legum naturalium obligatione disquiremus. Hîc illud tantùm adjiciam, ipsum Hobbium in *Leviathanis* editione Latina *Cap. 31. sectione ultimâ*, contradicere iis omnibus quæ de Bono tantùm sibi proprio quærendo antea scripsit, & non tantùm agnoscere Bonum publicum spectari posse, sed & apertè insinuare sese sperare *Leviathanem* suum illi aliquando fini inserviturum esse. Ejus verba hæc sunt; *Non despero quin Regibus interiùs in sua jura, & Doctoribus in officia sua posthac attentiùs inspicientibus, hæc ipsa doctrina, consuetudine mitior facta, tandem aliquando ad Bonum publicum communiter recipienda sit.* Scilicet hîc suam doctrinam, etsi nondum à Regibus stabilitam, Bono publico utilem futuram esse præsagit, nec unius tantùm Civitatis Bono, sed omnium ubique populorum utili-

utilitati eandem adaptatam esse innuit. Hoc autem quanquam falsissimum mihi videatur, abundè tamen demonstrat hunc finem illius aliquando cogitationibus observari, eúmque nôsse eundem sincerè quæri posse, aliter enim eum non modò non quæreret, sed ne fingeret quidem se quæsivisse.

Quin etiam hominibus naturaliter jucundum esse, adeoque bonum videri aliis placere, ex Hobbio probari potest, quoniam in Libro *de Natura Humana, Cap. 9. §. 15.* apertè docuit ipsam libidinis voluptatem, ex parte quidem esse voluptatem animi, inde scilicet perceptam quod quis alteri se placere sentiat. Absurdissimum autem est, quòd voluptatem animi agnosceret exinde sumi, quòd alteri gratum quiddam fieret uni & in re levissimi momenti, quum interim non agnoscat voluptatem animo humano majorem indè nasci, quòd plurimis simul impensiùs gratificemur, cùm illorum & mentibus & corporibus inservimus bonum commune procurando per fidem, gratitudinem & humanitatem, etiam cùm non eidem potestati Civili subjiciamur.

Denique in libro *de Homine, Cap. 11. §. 14.* ubi de industria in bonis quodnam majus aut minus sit, investigat, apertè testatur majus esse (cæteris paribus) quod pluribus Bonum quàm quod paucioribus.

CAPUT IV.

De Dictaminibus practicis.

PRæmittendum est huic capiti, non omnes hominum actus dictamina, aut notiones dictaminibus æquivalentes supponere. Apprehensiones enim primæ, & motus quidam spirituum seu imaginationes, nonnunquam etiam motus Musculorum, ut nictus Oculorum, vel subitanea ab amicis resilitio sine dictamine fieri videntur; plurimi etiam infantis actus, ut comparationes, judicia *&c.* de jucundis & noxiis, quibus tamen thesaurus notitiarum augetur: & fortè volitio boni simpliciter huc accenseatur.

Scili-

Scilicet ita nos finxit Natura universalis ut ætate adhuc tenerâ, vel inviti plurima sensu percipiamus, & memoriâ firmiter teneamus, & comparatione spontaneâ an sint majora alia aliis, item similia an dissimilia, commoda an incommoda judicemus; Præcipuè verò quoniam præsentes nobismet ipsis semper sumus, & ex peculiari mentis (in se reflectentis) nostræ constitutione, actus intellectûs & voluntatis nostræ necessariò sentimus, & quantum possumus ad ciendos, regendósque corporis quosdam motus, qui ideo voluntarii dici solent, adeoque necessariò etiam experientiâ duce cognoscimus, quinam harum facultatum actus nobismet ipsis noxam afferunt, aut commodum & perfectionem, cui notitiæ appetitio, & actio prosequendi, vel fuga & amolitio à natura conjuncta est. Quin etiam ex Rationis paritate, sponte faciléque (sine alio præter naturam duce) talia etiam aliis entibus quatenus vel mente, vel corpore, vel utroque nobis fuerunt similia, pariter commoda vel incommoda & esse & videri. Hinc nonnulla de actibus Deo gratis, longè plura de omnium hominum commodis & incommodis statuimus.

Adultâ tandem ratione de summa vitæ nostræ, seu omni futuro potentiarum nostrarum exercitio meditamur; & quia actionum probabiliter futurarum, nec non effectuum bonorum, quos indè speramus, numerus major nunc quàm antea simul animo obversatur, & series rerum longior, quæ suo succedent ordine, & ab invicem pendent, instituetur ab animo jam magìs maturo; mens non signa tantùm simplicia in auxilium memoriæ advocat, sed & ope propositionum utitur, in quibus actionum nostrarum cujuslibet generis connexio cum effectibus indè propriè pendentibus distinctiùs exhibetur & affirmatur. Hæ propositiones practicæ dicuntur, nec necésse est ut proponantur in forma Gerundii, hoc aut illud agendum est, uti nonnulli è Scholasticis volunt; quippe Debitudo illa quæ Gerundii voce innuitur, explicatione eget; quæ vel à necessario nexu cum fine,

vel

vel à legis obligatione petenda est. At à quærentibus Legum originem, earum obligatio non supponenda est jam nota. Nexus autem necessarius inter medium & finem satis exprimitur in nexu eorum veluti Causarum cum suis effectibus destinatis.

Quin etiam prout adolescimus, naturaliter comparamus inter se vires causarum ad effectus similes producendos, & effectuum etiam varios perfectionis gradus inter se conferimus, è qua collatione oritur judicium hoc illo majus, minus, vel æquale esse. Hinc ideo, exempli causâ, actionum nostrarum possibilium alias aliis plus vel omnium maximè conferre posse ad nostram, aliorúmque fœlicitatem concludimus. Tales autem propositiones practicæ dicuntur Dictamina comparata.

Nobis qui legum naturalium generationem tantum quærimus, non est necessarium asserere hujusmodi dictamina, etiam postquam ea Legum vim habere novimus, semper homines ad actus determinare; sufficit ut jus dicant determinationi futuræ. De vi etenim determinatrice aliter sentiunt alii, nec libet ea de re contendere. Omnes interim, opinor, id agnoscent Dictamen practicum ad actus deliberatos prærequiri, & aliquo modo viam munire ac monstrare ad actum futurorum determinationem. Nihilominus partes essentiales dictaminis practici, ejúsque forma attentius paulò consideranda veniunt, indè enim ejus generatio in mente nostra facilè intelligetur. Propositio practica aliquando sic exprimitur, Actus hic humanus possibilis (benevolentia scilicet universalis) ad fœlicitatem meam, aliorumque communem præ reliquis eodem tempore possibilibus maximè faciet, vel ut pars ejus essentialis, vel ut causa, aliquando effectura præcipuam ejus partem essentialem. Quandoque autem in forma Imperii Actus, qui intra tuam est potestatem, ad Commune Bonum in datis circumstantiis, omnium quos possis elicere, maximè deserviens, eliciatur; sæpe etiam in forma Gerundii Actus talis

talis exercendus est. Apud me certè prorsus idem significant hæ loquendi formulæ ad Legem naturalem relatæ, sive Intellectus hoc factu optimum esse judicet, sive jubeat, sive ex vi Gerundii dictet me hoc teneri facere. Nam intellectus (qui hoc agens dicitur Conscientia) obligationem satis innuit naturalem, dum dicit hoc factu optimum erit tibi juxtà ac aliis. Quippe omittendo quod mihi optimum pronunciatum est, malum (quod pœna dici potest) in meum caput me accersere, indè constat. At si sub Imperii forma consideretur, eadem res docetur repræsentando proprium cujusque Intellectum velut magistratum deputatum, & authoritate leges ferendi præditum: quod quia Metaphoricum quiddam sonat, minus est Philosophicum; utile tamen, quia similitudo habet fundamentum justissimum in Natura. Forma autem Gerundii idem docet sed velut Judex inferior, aut consiliarius de lege jam lata monens, & actus futuri conformitatem cum ea postulans. Philosopho convenientior primus modus qui, si formam spectes, propositionem theoreticam exprimit; si vim, practicam, utpote fundamentum obligationis naturale docens. Secundus Imperatorem magis decet. Tertius Theologum. Sed omnibus pro libitu uti licebit, si modò distinctionem, qualis qualis est, inter has formulas animo teneamus. Natura rerum exhibet animo quid factu optimum sit. Animus, rerum advertens Regimen, ex Idæa Dei illud eum velle seu imperare factum concludit, sibique, ejus nomine, imperat in secunda Forma: In tertia reflectit in utrumque priorem, actumque imperio congruum justum fore, adversum injustum, pronunciat.

§. II. Est & alius modus, Leges naturæ exprimendi enim actus hic vel ille possibilis maximè convenit humanæ naturæ. Sed dubii sensus sunt; (1) humana natura vel singularem agentis denotat, & tum non satis exprimit ea quæ ante actionem consideranda sunt: non enim unius tantum agentis fœlicitas, sed maximum commune Bonum spectari de-

bet;

bet: vel, (2) humana natura omnes homines spectat, & sic non consideratur Deus. Aut si in harum alterutra notione publicum bonum per consequentiam involvatur, tum hæc formula loquendi cum prima coincidit: quæ tamen ideo præferenda est quia hâc ambiguitate caret. Et deinde illud, *convenit*, ambiguum est quò referatur: Actus enim naturæ alicui convenire dicatur, (1) cùm convenit principiis agendi, qualia sunt facultates ac habitus, objectáque vel intus in Memoriâ latentia, vel ab extrà sollicitantia ad actus; atque ad hæc capita revocari debent dictamina practica, (propositiones, *viz.* quæ sunt Regulæ actionum) quorum termini ab objectis orti in memoria continentur, & in propositiones ab animo formantur, unde actus determinant, & habitus constituunt. (2) Actus convenire dicatur Naturæ Humanæ cùm ejus effectus naturam hominis unius aut plurium conservant, aut perficiunt. Posterior his sensus coincidit cum Formula quam primò proposui, quæ ambiguitate caret: immò & prior sensus convenientiæ actuum magna ex parte eò reducatur. Nam propositiones practicæ, quæ sunt inter interna actuum principia, omnes fiunt de appetendo fine præcipuè maximo, & de usu mediorum. Quæque de ultimo fine appetendo pronunciant illud tantùm dicunt; Hoc suâ Naturâ bonum est seu pars fœlicitatis humanæ, & quidem maxima possibilis in datis circumstantiis: Quæ autem de mediis statuunt, illud tantùm indicant; Hoc conducere ad ejusmodi bonum obtinendum, & in dato casu maximè. Atque hæ loquendi Formulæ cum prima coincidunt. Præstat autem primâ Formulâ uti, quoniam Analysis hæc quam proposui propositionis de actûs convenientia non est obvia plerumque intellectui; & præterea is scopus noster est, ut Genesin Dictaminum primorum, quibus convenire actus debent, explicemus; adeoque non sufficit nostro scopo dicere; Actum convenire dictaminibus jam factis, qualia tantùm sunt principia proxima humanorum actuum. Fortasse tamen non inutile erit

erit id annotare, verè affirmari posse, omnes actus bonos seu virtutes perfectè & essentialiter consentire cum notione, seu Ideâ agentis rationalis, cujus Ratio in Prudentiam jam adoleverit, quò naturaliter tendit. Prudentia enim intrinsecè includit & finis optimi, maximíque, quem cujusque facultates respicere possunt, volitionem; & ejusdem per media efficacissima prosecutionem. Finis autem maximus est commune omnibus rationalibus agentibus Bonum, & consensus omnium in mutua auxilia ad id obtinendum, est medium illius obtinendi efficacissimum. In actibus autem hujusmodi consensum consequentibus omnis Religio, & virtus continetur: præsumere autem licet etiam ante pacta inita quòd consentient omnes hunc esse finem maximum, atque hoc unicum esse medium planè necessarium, quia actuum humanorum ad opem mutuò ferendam nulla præter consensum voluntatis esse potest causa. Itaque si hujusmodi dictamina Rationis (quæ dum in memoria reponuntur ad actus nos determinant) inter principia interna actionum humanarum numeremus, (quod quidem meritò fiat quoniam totam essentiam & vim habituum in se continent) tum rectè & secundùm ea quæ tradidimus, dici potest, id omne esse justum quod cum his principiis ac Legibus Naturæ rationalis consentit.

§. III. Considerandum etiam venit præsertim ad primam, quæ potissima est Naturæ formula leges suas proponendi, an satìs doceatur & quasi promulgetur ea Lex, seu propositio practica, cùm ejus termini (adeoq; eorum nexus, seu veritas propositionis) obvii fiunt, & quasi coràm expositi hominibus qui ad actuum suorum effectus velint animum advertere; An verò existimandum sit Naturam non sufficienter declarâsse talem veritatem, ita ut obligationem introduceret, eis qui per injuriam, aliásve quibus animum suum distrahunt curas, terminos ejusmodi non comparant inter se, nec propositiones ejusmodi practicas ad actus suos futuros dirigendos constituunt? Prior sententia mihi veri-

 simi-

bet: vel, (2) humana natura omnes homines ſpectat, & ſic non conſideratur Deus. Aut ſi in harum alterutra notione publicum bonum per conſequentiam involvatur, tum hæc formula loquendi cum prima coincidit: quæ tamen ideo præferenda eſt quia hâc ambiguitate caret. Et deinde illud, *convenit*, ambiguum eſt quò referatur: Actus enim naturæ alicui convenire dicatur, (1) cùm convenit principiis agendi, qualia ſunt facultates ac habitus, objectáque vel intus in Memoriâ latentia, vel ab extrà ſollicitantia ad actus; atque ad hæc capita revocari debent dictamina practica, (propoſitiones, *viz.* quæ ſunt Regulæ actionum) quorum termini ab objectis òrti in memoria continentur, & in propoſitiones ab animo formantur, unde actus determinant, & habitus conſtituunt. (2) Actus convenire dicatur Naturæ Humanæ cùm ejus effectus naturam hominis unius aut plurium conſervant, aut perficiunt. Poſterior his ſenſus coincidit cum Formula quam primò propoſui, quæ ambiguitate caret: immò & prior ſenſus convenientiæ actuum magna ex parte eò reducatur. Nam propoſitiones practicæ, quæ ſunt inter interna actuum principia, omnes fiunt de appetendo fine præcipuè maximo, & de uſu mediorum. Quæque de ultimo fine appetendo pronunciant illud tantùm dicunt; Hoc ſuâ Naturâ bonum eſt ſeu pars fœlicitatis humanæ, & quidem maxima poſſibilis in datis circumſtantiis: Quæ autem de mediis ſtatuunt, illud tantùm indicant; Hoc conducere ad ejuſmodi bonum obtinendum, & in dato caſu maximè. Atque hæ loquendi Formulæ cum prima coincidunt. Præſtat autem primâ Formulâ uti, quoniam Analyſis hæc quam propoſui propoſitionis de actûs convenientia non eſt obvia plerumque intellectui; & prætereà is ſcopus noſter eſt, ut Geneſin Dictaminum primorum, quibus convenire actus debent, explicemus; adeoque non ſufficit noſtro ſcopo dicere; Actum convenire dictaminibus jam factis, qualia tantùm ſunt principia proxima humanorum actuum. Fortaſſe tamen non inutile

erit

erit id annotare, verè affirmari posse, omnes actus bonos seu virtutes perfectè & essentialiter consentire cum notione, seu Ideâ agentis rationalis, cujus Ratio in Prudentiam jam adoleverit, quò naturaliter tendit. Prudentia enim intrinsecè includit & finis optimi, maximíque, quem cujusque facultates respicere possunt, volitionem; & ejusdem per media efficacissima prosecutionem. Finis autem maximus est commune omnibus rationalibus agentibus Bonum, & consensus omnium in mutua auxilia ad id obtinendum, est medium illius obtinendi efficacissimum. In actibus autem hujusmodi consensum consequentibus omnis Religio, & virtus continetur; præsumere autem licet etiam ante pacta inita quòd consentient omnes hunc esse finem maximum, atque hoc unicum esse medium planè necessarium, quia actuum humanorum ad opem mutuò ferendam nulla præter consensum voluntatis esse potest causa. Itaque si hujusmodi dictamina Rationis (quæ dum in memoria reponuntur ad actus nos determinant) inter principia interna actionum humanarum numeremus, (quod quidem meritò fiat quoniam totam essentiam & vim habituum in se continent) tum rectè & secundùm ea quæ tradidimus, dici potest, id omne esse justum quod cum his principiis ac Legibus Naturæ rationalis consentit.

§. III. Considerandum etiam venit præsertim ad primam, quæ potissima est Naturæ formula leges suas proponendi, an satìs doceatur & quasi promulgetur ea Lex, seu propositio practica, cùm ejus termini (adeoq; eorum nexus, seu veritas propositionis) obvii fiunt, & quasi coràm expositi hominibus qui ad actuum suorum effectus velint animum advertere; An verò existimandum sit Naturam non sufficienter declarâsse talem veritatem, ita ut obligationem introduceret, eis qui per injuriam, aliásve quibus animum suum distrahunt curas, terminos ejusmodi non comparant inter se, nec propositiones ejusmodi practicas ad actus suos futuros dirigendos constituunt? Prior sententia mihi verisimi-

ſimilior videtur, quia ſatis docetur duo latera Trianguli longiora eſſe reliquo, etſi quiſpiam eam propoſitionem non formet, ſed Triangulum oculis exponit: utcunque curandum eſt, ut hoc ſcripto evincatur (1) Terminos Legum naturalium in hac rerum compage hominum animis ita ſatis obviè exponi. (2) Hominum animos ita ſive ex ſua natura, ſive ex conjunctione cum corpore, reliquóque ſyſtemate mundi ad eos advertendos, abſtrahendos & comparandos inter ſe, & ad propoſitiones pro actuum determinatione conſtituendas, excitari; adeoque ſanos omnes ejusmodi ſententias in mente habere, licèt quandoque cum heterogeneis, falsísve confuſas, adeoque obſcuratas. Termini autem earum propoſitionum practicarum, quæ Leges naturales dicuntur, ſunt Actus humani qui conſilio, ſeu judicio rationis regi poſſunt, quique poſtquam exeruntur, ſimul aliquid conferunt ad ſtatum fœliciſſimum univerſorum Rationalium & ad noſtram privatam fœlicitatem. Illi autem non incommodè dividuntur vulgò in (1) Elicitos Intellectûs ac voluntatis, adeoque Affectuum ſaltem quatenus Affectus vehementiores ſunt in ipſa mente, (2) Imperatos qui in corpore vi mentis exeruntur.

§. IV. Verùm antequam Leges particulariùs conſideremus, operæ pretium erit diutiùs immorari tractandæ naturæ practicarum propoſitionum, primóque oſtendere quàm affines ſint, vel ejusdem plane ſensûs cum theoreticis, ſive categoricæ fuerint, ſive hypotheticæ; deinde in omnibus effectum ut finem, actus nobis poſſibiles ut media reputari.

Primò itaque obſervandum eſt practicas propriè propoſitiones eas dici, quæ Geneſin effectûs ex actibus humanis enunciant. Hanc definitionem viſum eſt exemplis illuſtrare. Talis eſt hæc in Arithmetica, Additio numerorum eorum efficiet Aggregatum, i. e. Summam generat. Aut, Subductio numeri è numero eorum relinquet differentiam. Sic ex Elem. Geom. Praxis in prima propoſitione præſcripta

trian-

triangulum efficit æquilaterum, est propositio practica de effectu plurium actuum humanorum, certâ serie sibi succedentium, pronuncians. Quin etiam eodem modo mens certò intelligit veritatem talis Practicæ, quo cujusvis Theoreticæ propositionis; nempe perpendendo terminos ejus quorum alter alterum includit. Sic, Constitutio totius Trianguli æquilateri fit constituendo omnes ejus partes inter se unitas, eodem modo cognoscitur esse vera, quo hæc theoretica, totum Triangulum æquilaterum idem est cum omnibus ejus partibus inter se unitis. Eodem autem res recidit, si constitutio totius hujusce spectetur ut finis, & varii illi motus quibus tria illius latera constituuntur ac adaptantur, inter se spectentur ut media ad hunc finem necessaria. Eadem enim, quoad sententiam, propositio sic sonabit; Necesse est ad constitutionem totius trianguli æquilateri, ut constituantur omnia ejus latera & inter se uniantur modo ab Euclide indicato, aut alio simili. Finis enim re ipsâ est effectum intentum, & media simul omnia omnes causæ efficientes omnium partium adaptationem includunt. Facillimè etiam ad operationes conservationem aut perfectionem totius cujuslibet (quod hisce operationibus eget) accommodari possunt ea quæ circa constitutionem diximus. Quandoquidem conservatio est tantùm actuum quibus quicquam constituitur perpetuatio, Hinc hæc propositio practica; Necesse est ad conservationem totius Systematis Rationalium pro viribus nostris procurandam, ut quoad possumus omnes ejus partes, earúmque inter se unitatem (qualem talis Systematis perfectio postulat) tueamur. Hæc, inquam, parilem habet evidentiam illi theoreticæ quæ de identitate inter totum ac partes unitas pronunciat. In illa autem rectè intellectâ fundamenta Legum omnium Naturalium ostendemus contineri. Quæ autem scripsimus de reductione practicæ hujus facillimæ primi problematis Euclidæi solutionem docente, propter paritatem rationis universaliter intelligi volumus. Nihil enim prohibet,

quin illorum omnium solutio perfectè in theorematis proponi possit, de quibus in problematis quæri solet. Itaque Archimedes secundo de sphæra se è problematis quorum solutio è propositionibus constat, praxin dirigentibus, Theoremata fecisse apertè profitetur. Et Ramus eum secutus in Geometria sua Euclidæa problemata omnia in Theoremata convertit. Et in Analytica speciosa, quæ est fœlicissima ars problemata solvendi, in fine operis theorema semper exhibetur, solutionem problematis indicans. Nec sanè dubium est, quin ut Cartesius, Vieta, Wallisius aliíque praxes in Mathesi pura (Arithmetica & Geometria) requisitas per Theoremata Analyticè inventa atque exhibita expedire fœliciter docuerint: ita etiam praxes in mixta Mathesi, non solùm in Astronomia (quod egregiè præstitit Cl. Wardus) sed & in Mechanica, statica, &c. & in magna Physiologiæ parte præstari possint. Quin & Analyticam (quo nomine non solùm radicum extractionem, sed & totam Arithmeticam speciosam complector) velut præstantissimum Scientiæ exemplar aliquatenus imitari potest, & debet Disciplina moralis & civilis. (1) Praxium suarum Regulas, totámque disciplinæ suæ substantiam per universalia aliquot theoremata tradendo. Ubi observandum censeo ejus certitudinem non magis labefactari, aut usum minui, eò quòd in operationibus externis circa materiam multiplici circumstantiarum varietate intricatam nos præcisas determinationes non possumus assequi; quàm principiorum Geometricorum, circa lineas, superficies, aut solida mensuranda, veritas & utilitas evertitur, ex eo quòd nec sensuum nec instrumentorum ope efficere possumus ullam extra nos lineam exactè rectam, aut superficiem perfectè planam, sphæricámve; aut corpus omnimodò regulare, aut ad talia reducibile. Sufficit quòd ad ἀκρίβειαν adeò propè accedamus, ut nihil quod ullius sit momenti ad usus humanos omittatur. Id autem etiam vi principiorum doctrinæ moralis assequi licebit. Fatemur interim in materia pru-

den-

dentiæ moralis ea, quæ dantur, seu ut cognita sumuntur, quæ sunt Deus, & homines, eorúmque actus, & relationes mutuæ, non adeò accuratè nota esse, ac ea quæ in certa mensura seu quantitate dantur in Mathesi; ideoque quæ ex iis colliguntur eodem defectu ἀκριβείας laborare. Methodus tamen, regulæ operationum, & ratio deducendi alia ex aliis eadem est: nec opus est ἀκριβείᾳ ad usus vitæ; quemadmodum ea non requiritur in praxi mensurandi planities ac solida.

(2) Methodo incipiente à maximè compositis & involutis, ubi nota cum ignotis immiscentur in æquatione data, tandem diligenter inter se res comparando, simplex quiddam reperit ex quo composita constitui possent, & ignota per nota explicari. Sic etiam Moralis Philosophia imprimis contemplatur finem valdè involutum, mediáque variè perplexa. Finis enim est Aggregatum ex omnibus bonis in nostra potestate sitis, quæ Regnum Dei, Mundum intellectualem, singulásque ejus partes exornare possunt. Media quibus obtinendus est, sunt omnes liberi actus nobis circa omnia possibiles. Et, ex æqualitate datâ inter has notiones, utpote inter vires causæ & adæquatum earum effectum, eliciendæ sunt omnes morum regulæ, omnésque virtutum actus ab iis imperati. Hæc autem inter se æquari manifestum est, quippe finis est integrum effectum producendum, & actus nobis possibiles integram exhauriunt vim efficientis. In eo autem consistit ars vitæ, ut adeò diligenter expendat tum omnia bona publica, quæ nobis sunt possibilia, tum singulos actus nostros, eorúmque ordinem quo alii aliis materiam præparare, aut vires adjicere possunt; ut repertis tandem facillimis actibus qui ad finem deserviant, eorum ope ad difficiliores progrediamur quousque ad ultimos facultatum nostrarum terminos illos intricatissimos pervenerimus. Atque hæc praxis Analyseos praxi est valdè similis.

(3) Quemadmodum Analysis ignotam, quærendámve

adhuc quantitatem prolepsi quâdam mentis qualitercunque supponit, & suo charactere notat, atque hoc posito datas relationes ejus ad notas quantitates depingit, è quibus ipsa tandem innotescit: ita etiam Ethica finem, seu effectum quæsitum utcunque animo concipit, ope relationum quas habet ad notas quadantenus (saltem in genere) operationes nostras eum nomine summi Boni, vel fœlicitatis distinguit ab aliis quæ menti obversantur, quanquam nôrit illum nondum existere, & licèt distinctè non noverit, qualis tandem re ipsâ ex operationibus, rerúmque extra nos positarum concursu emerget, unde meritò dicatur ignotum: sed ope actuum illorum & facultatum, ad quos ut Effectum ad Causas refertur, adeoque ex iis totum certissimè pendet, tandem paulatim notum fit. Huc etiam referendum est quòd cùm finis cujusque sit totum illud, maximúmque bonum, quod universo, sibíque suo loco facere quis possit, &c. sequatur finem concipiendum esse, ut aggregatum seu summam effectuum bonorum tam Deo gratissimorum, quàm hominibus universis maximam, quæ ex efficacissima serie industriâ nostrâ exerendarum per omne futurum tempus produci potest. Contingit autem sæpe (curandúmque est ut quàm sæpissimè id fiat) potentiæ nostræ effectus bonos secundùm Geometricam progressionem crescere; ut in Lucris per Anatocismum, vel etiam ex Agricultura & Mercatura, cùm unoquoque anno prioris anni proventus sorti additur, unde ingens ultra quod quisquam definitè præsagire possit, oritur incrementum fœlicitatis communis, & privatæ.

(4) Cùm manifestum sit, hominem sine Deo nihil, sine aliorum hominum consensu, ac ope penè nihil posse ad commune Bonum (Dei gloriam, hominúmque fœlicitatem) contrà autem actu aliquo ineunte, aut conservante societatem cum Deo, hominibúsque, quemvis in publicum comparatè loquendo) plurimùm conferre posse; necesse erit, ut judicium Rationis hominem determinet ad Actum,

qui

qui societatem ejusmodi spectet constituendam, aut tuendam. In societate autem inter homines nihil fere agitur quod à numerorum & mensuræ scientia non dependeat; adeoque si omnia accuratè tractentur, ad evidentiam ac certitudinem Mathematicam quæsita circa praxes reducerentur. Hujusmodi sunt determinationes valorum tam rerum, quam operarum, seu actionum humanarum, sive per earum collationem inter se, sive per comparationem singulorum cum tertio, nempe Nomismate, cujus etiam variæ sint species, Arithmeticâ opus est sive naturali, sive artificiali ad reducendos variarum specierum valores ad nomen notissimum commodissimúmque. Huc pertinent numerationes pretiorum in omni commercio, & temporum calculatio, Investigatio Proportionis Lucri, aut damni cuique in Societate assignandi. Infinitus penè essem, si Matheseos usum in re tactica, in Navigatione, in machinarum omnigenarum inventione ac usu, in dimetiendis agris, propugnaculis, ædificiis conarer enarrare. Sufficiat paucis dicere tam in re cujusque privata, quàm omnium publicâ eam esse certè, justéque agendi (ubicunque ἀκρίβεια exigitur) præcipuum adjumentum. Quod à me non dicitur ad laudem Matheseos (quod supervacaneum foret) sed ad astruendam certitudinem in regulis vitæ, ac morum, eo nomine quòd perpetuo ferè certæ scientiæ ministerio, aut principiis per se notis prudentia naturalis utatur. Huc referendum puto, quòd cùm nescitur quid sit futurum, sciri tamen possit, quid possibile sit; possibiliáque inter se comparari possunt; scirique certò possit, quodnam è duobus possibilibus non modò pluris aut minoris valebit si quando existant, verùm etiam quodnam è pluribus causis, quod à paucioribus nunc existentibus aut mox extituris fieri possit: quod autem pluribus modis fieri possit, magìs probabile est futurum esse, plurísque valet ejus expectatio. Magni autem in rebus agendis usus est, certè saltem scire cujus rei, vel effectûs spes major sit, plurísve æstimanda. Quippe ea est vitæ humanæ conditio, ut impen-

denda sit fere opera nostra, ac sæpe sumptus, immò ipsa vita necessariò perîclis exponenda propter spem rerum ad conservationem, fœlicitatémve nostram aut alienam facientium, licèt spes illa non sit certa, sed tantùm probabilis; in ipsis pacis occupationibus, Agriculturâ, Mercaturâ, multóque magìs in Belli alea. Analytica autem, quam naturaliter exercent omnes, etiam hæc optimè docet expendere, & quo pacto talia certam habent determinationem ex Analytica secundùm artem expolitâ pulchrè admodùm Clariss. Christ. Hugenius docuit exemplo ratiociniorum quæ circa ludum aleæ contingunt; utì videre licet ad finem Exercitationum Mathem. miscellanearum à Schotenio in lucem emissarum.

Huc pertinet quòd quemadmodum in rebus ex prudentia gerendis experiundum est quandoque aliâ atque aliâ viâ, priusquam certò sciamus, an res hoc, an alio modo secundùm vota succedet? priusquam certò sciamus an assequi possimus, quod videbatur expetendum? ità etiam in examine analytico antitheses aliquando variæ, variæ nonnunquam divisiones alíque reductionis modi tentandi veniunt priusquam ad solutionem propositi alicujus problematis perveniatur. Non esset alienum ab hoc loco similitudinem inter has artes ulteriùs prosequi, ostendendo quomodo utriusque processus hypothesin quandoque falsam, & impossibilem detegit non multò minùs utiliter, quàm invenit aliam esse veram aut possibilem: atque insuper exhibendo quomodo signa negativa oppositos motui destinato motus repræsentarent, & quo pacto diversorum hominum in eundem finem consentientium operæ motibus implicatis unam Lineam describentibus responderent. Verùm cùm res hujusmodi non sint admodum claræ, & aliqua etiam dissimilitudo haud raro interveniat, visum est satius esse hìc subsistere, quò mecum pervenire possunt qui principiis Matheseos vel leviter fuerint imbuti, aut ingenio scientiis capiendis paulò fœliciùs dispositio à natura præditi; quàm ex comparatione cum re minùs nota, caliginem pro luce rebus moralibus inferre.

CAPUT



Caput V.

De Lege Naturæ ejusque Obligatione.

MUnitâ jam viâ ad ea quæ sequuntur omnia, caput hoc auspicabimur à Definitione Legis Naturalis. Lex Naturæ est propositio à natura rerum ex Voluntate primæ Causæ menti satis apertè oblata vel impressa, quæ Actionem agentis rationalis possibilem communi bono maximè deservientem indicat, & integram singulorum fœlicitatem exinde solùm obtineri posse. Contrariæ huic fini Actiones & omissiones iisque annexa mala hoc modo videntur pariter & indicari & prohiberi, siquidem privationes ex oppositis suis optimè intelliguntur. Rectum enim est index sui & obliqui. Quod autem à dato termino, seu rerum statu ad finem hunc optimum viâ brevissimâ proficiscitur, id translatione à Mathematica rectæ proprietate factâ, Rectum dicitur. Actio effectum optatissimum citissimè attingens, viâ proficiscitur brevissimâ ad finem. Ergo est recta. Ipsáque illa Comparatio, quâ inventa est, supponit omnia adeò perpensa, ut sciantur & quæ ad finem minùs proficiunt, multóque faciliùs quæ ei producendo obstent.

Verùm expendemus Definitionem datam. Propositio] nempe vera, uti sequentia docent: simplicius hoc & apertius videbatur verbum, quàm Phrasis *Dictamen rectæ Rationis*, quæ semotâ tandem ambiguitate illuc recidit. Nec visum est generis loco orationem ponere, quod fecit Hobbius, ne quis verborum aut singulorum quorumlibet arbitrariè institutorum usum, & notitiam ad legis essentiam requiri falsò reputaret. Actionum humanarum, & effectuum bonorum malorúmque humanæ naturæ, præsertim verò præmiorum, pœnarúmque iis cohærentium notitia, seu conceptus animo formati, & in propositionum practica-

rum, quales descripsi, formam redacti sufficiunt ad legis essentiam constituendam: Hujusmodi autem cogitationes in animis eorum qui surdi nati sunt, ex observatione generari possint, licèt verborum sonum, aut vim non capiant, atque adeò etiam illis innotescent leges naturales.

A natura] Efficientis mentio in hac definitione facienda erit, quoniam non Legis simpliciter Definitio requiritur, sed Legis Naturæ, quæ vox authorem, seu Efficientem exprimit. Natura rerum] non solùm inferiorem hunc mundum, cujus nos pars sumus, sed & ejus Conditorem, Rectorémque Deum significat; nempe in hunc effectum ut verè judicemus de actibus ad Bonum publicum necessariis, concurrunt & Mundus extra nos, præcipuè homines quorum res agitur, qui objectivè nos excitant ad eorum apprehensionem & considerationem; & nosmet ipsi tam ut partes humani generis, quàm ut nostrorum actuum causæ liberæ; & insuper Deus, ut communis omnium causa, & rector, cujus authoritas sæpe venit consideranda. Certum autem est, solas veras propositiones, sive theoreticas, sive practicas, à natura rerum menti nostræ imprimi; quoniam actio naturalis id solum indicat, quod existit, ejusque causa est in quo nihil unquam est falsi: id enim totum provenit à voluntaria temeritate notiones conjungente, aut separante quas natura non conjunxit aut separavit. Si itaque naturâ cohæreant termini, vera de iis affirmata fiat propositio. Termini aute cohærent, cùm ab eadem re diversimodè consideratâ, aut cum rebus diversis comparatâ, diversi ejus conceptus (plerumque inadæquati) menti ingeruntur. De negativis autem veris ex his facile est pronunciare. Interim justè admodum hæ Leges, seu propositiones naturæ ascribuntur, cum ea & ipsarum Terminos & Terminorum cohærentiam menti exponat observandam. Ita insuper agentia rationalia comparata sunt ut dum in hoc statu morantur, ex necessitate quadam suæ naturæ, earum

Ter-

Terminos percipiant, seu apprehendant, sed & ex intrinseca propensione feruntur ad eos inter se conferendos, ut propositiones efficiant affirmatas de consentaneis, negativas de dissentaneis, immò & ab binas propositiones ita inter se disponendas, ut ex iis præmissis tertiam seu conclusionem deducant. Scilicet hæc flagitat ipsa natura rationalitatis ut & propositiones (præcipuè de actuum nostrorum effectibus circa nostram, aliorúmque fœlicitatem) fiant per se evidentes, quales sunt primæ Leges naturæ; & ex iis deducantur aliæ, seu Conclusiones, quæ secundariæ, seu minùs notæ ejus Leges dicantur. De natura rerum Creatarum dubitare non possumus, quin tam res externæ cogitationes nostras excitantes, quàm mens nostra eas componens, causæ sint necessariarum veritatum. De natura autem Creatoris, quin ea earum causa dicenda sit, non dubitabimus, si seriò perpendamus tum ea quæ antea dicta sunt, tum hoc quod annectere visum est; nempe omnis veritas est à prima Causa rerum illarum in quibus fundàtur, nec ullam habet tincturam à labe hominum præternaturali, sed est incontaminatum effectum, seu opus Dei. Ideoque si qua vera propositio indicet quid sit faciendum, à Deo indicat hoc esse faciendum. Nec certius est res naturales illas à Deo esse factas ad suos effectus producendos naturales, veluti Solem ad illuminandum aerem, & pluviam ad humectandam terram; quàm hujusmodi propositiones, quæ naturaliter regunt actiones nostras, à Deo datas esse nobis in Regularum officium: hoc enim unum facere possunt, nempe dirigere; ídque faciunt necessariò ex intrinseca sua natura.

Satis apertè offertur, aut imprimitur ab objectis propositio, cujus Termini, eorúmque cohærentia in rerum natura sensibus, ac cogitationibus ita exponuntur, ut adulti hominis animus, nullo laborans morbo, si velit attendere, seu advertere, illam facilè observet; utpote quæ obviâ, seu vulgari innotescit experientiâ, *v. g.* Hominem occidi

posse

posse copiosâ sanguinis effusione, præfocatione, inediâ, *&c.* vitam aliquandiu conservari aeris respiratione, victûs ac vestitûs usu: operam hominum mutuam ad beatiorem vitam multum facere.

§. II. Quòd si quis his rationibus aliam ab effectu velit adjicere, nempe Leges Naturæ ita dici, quia ejus necessitatibus subveniunt, eámque maximè perficiunt; is me non habebit repugnantem; quia appellationis causæ rebus impositæ eidem homini variæ esse possunt, & multò magis plures in idem nomen rei imponendum à diversis causis moveantur.

Verùm quoniam alio sensu definitur Lex, seu Jus (nam eodem sensu hæc verba ibi sumuntur) Naturæ à ICtis Cæsareis, tam in *Pandectis*, quàm in *Institutionibus Lib. 1. Id quod Natura docuit omnia animalia*; & ita distinguunt à *jure Gentium, quo Gentes humanæ utuntur, quódque naturalis ratio inter omnes homines constituit*: visum est tantæ authoritati & authoritatem opponere æqualem, & rationem quæ pluris apud Philosophos valere solet. Priorem quod attinet, idem Justinianus in *Institutionum lib. 2.* de rerum divisione, singularum hæc habet verba. *Quarundem rerum dominium nanciscimur jure naturali quod, sicut discimus, Jus Gentium appellatur.* En, ut jam Jus naturale idem apud ipsum significet, cum jure Gentium, cujus Definitio apud ipsum cum nostra Legis naturalis consentit. Quin & ipse Cicero, qui Latinè loquendi gloriâ, ne Imperatori quidem cedet, *Officiorum* tertio hæc duo velut idem significantia posuit. *Naturâ, id est jure Gentium:* & legi naturali Religionis præcepta annumerat, quæ homini propria sunt, non cæteris animalibus communia. His itaque priscis Authoribus licet jura Naturæ & Gentium pro iisdem sumere; ut supervacaneum jam sit recentiores Philosophos sic loqui solitos evincere. Ratio autem quæ me impellit ut Leges naturæ homini tantùm proprias esse dixerim hæc est, quoniam sunt propositiones de Effectibus ab actionum causa-

causalitate pendentibus, seu decreta Judicii terminos componentis, aut dividentis, quorum summa authoritas pendet ex eo quòd à Deo sciantur proficisci. Nihil autem reperio, quod arguat bruta animalia propositiones facere, ejusmodi præcipuè; multò minùs scire possunt eas à Deo sibi impressas; ac ad illas tanquam normas actiones suas exigere.

§. III. Indicat] Non me latet illud Modestini *F. tit. 3. de Legibus. Legis virtus hæc est imperare, vetare, permittere, punire*, quibus etiam addi potest, remunerare seu præmia conferre. Et tamen nihil horum in definitione Legis Naturæ posui, quam tamen vires, seu virtutes has omnes habere agnosco. Eæ autem omnes ex una hac indicatione notionum ad Bonum commune maximè spectantium, quæ intrinseca est earum forma, videntur sequi. Philosophia & notitiæ à rebus impressæ, quales eæ sunt, & quid faciant, exhibent. Illa autem verba *imperare*, &c. magis accommoda videntur esse formulis verborum quibus Magistratus ad voluntatem suam significandam utitur, quàm simplicissimis rerum indiciis: è quibus tamen præceptorum, prohibitionum, pœnarum, præmiorúmque vis tota facilè deducitur.

Nam postquam Rector satis declaravit velle se Bonum publicum, cùm indicat quid eò tendat, satis imperat, & eo imperio contrarias actiones, omissionésque manifestò prohibet. Quique cujusque privatam fœlicitatem, & conscientiæ pacem à conatibus hæc præstandi, & in publica contineri, ac ab ea pendere voluit, actioni commune Bonum procuranti certum præmium decrevit: vitióque opposito pœnam sancivit; carentiam nempe suæ partis boni quæ è publico, nisi per ipsum stetisset, orietur. Permittere, dicatur Lex naturæ quæ indicat non necessariò requiri ad Bonum commune, & tamen cum eo consistere posse. Talia autem si non necessariò impedirentur à Rectoribus, apertè lædere-tur natura, quæ in motu ad perpetuam varietatem tendente consi-

Actio hîc descripta universaliter est intelligenda, non unius tantùm hominis actio, nec quæ unius sunt diei; sed omnes omnium humanæ actiones per omne tempus ad commune omnium bonum diriguntur. De Hominum autem solorum actibus expressè libet agere, quoniam nobis quotidianâ experientiâ sunt notissimi; & si quid è lege naturæ circa actus Dei, ac Angelorum philosophandum erit, id ex analogia hîc fundata deducendum est.

Verba [agentis rationalis] in definitione posita indefinita quidem sunt, adeoque ad unum quemlibet hominem, *v. g.* protoplastem adhuc solitarium applicari possunt; & tum commune Bonum esset, quicquid Deo atque ipsi gratum esset. Verùm quoniam in materia versamur quam Scholæ necessariam vocant, indefinita illa se intelliguntur diffundere ad omnes & singulos homines, conjunctim aut divisim sumptos, postquam plures in rerum natura extiterint. Id autem hac de causa annotandum hîc censui, quoniam notissimæ Leges naturæ, quæ ad charitatem ac justitiam inter homines exercendam dirigunt, eos in numerum jam crevisse supponunt, & id præcipuè agunt ut manifestum iis fiat quibus actibus inter se mutuò elicitis se invicem possint fœliciores reddere. Multos itaque simul alloquuntur Leges naturales, utì & Civiles facere solent. Hinc legem commune præceptum dicunt JCti. & à Solone (utì memini) lege cautum accepimus, ne de unoquovis Lex fiat. Præterea plurium juncti conatus actúsque aliquid, quod notabiliter ad Bonum commune contribuat, efficere possint; adeoque evidentior est veritas hujusmodi propositionis, Fides, gratitudo, στοργὴ, aut innocentia omnium, aut multorum ad bonum publicum conducit, quàm quòd ejusmodi actus à singulari quovis eliciti idem faciant.

§. IV. Verùm præcipuus character legum naturalium ex effectu (publico nempe bono) quem actiones in ea præscriptæ producunt, desumitur, quod & res ipsa fieri postulat. Actionum quippe, quæ Legum sunt objecta,

natura

natura intrinseca in effectis optimè perspicitur. Leges autem hæ, utpote propositiones, adeoque è notionibus inter se combinatis constitutæ, ab objectis differentiam sibi sumunt specificam. Quare legum ipsarum intrinseca natura in effectibus ad quos dirigunt, conspicitur. Effectum autem agentis rationalis, quatenus ejus Idæa animo præconcepta eum & movet, primò ad intentionem illud producendi, & tandem actionibus illuc destinatis terminum ponit, Finis dicitur. De Fine interim fatentur omnes necessarium esse consultò agenti, (1) Ut eum sibi proponat. (2) Ut media, quibus is obtineatur, disquirat, eligat, atque applicet. Consentaneum est igitur ut Leges Naturæ rationali penitùs accommodatæ & finem ostendant optimum, & media quæ illum obtineant maximè idonea. Quare in data definitione, Finis loco propono Bonum publicum (latiore sensu quàm Ulpianus, qui definit publicum Bonum quod ad statum Reipublicæ Romanæ spectat, & in sacris, Sacerdotibus, & Magistratibus consistit.) Id enim ego ad ea quæ omnes homines & ad Dei honorem spectant, pertingere volo, quod verè est maximum quod nobis est possibile. Mediorum autem munus præstant actiones omnium quæ in nostra sunt potestate, in datis circumstantiis illud efficacissimè attingentes.

Quoniam autem & nomina Finis & Mediorum ambiguæ admodum sunt significationis, & liberam agentis rationalis intentionem, variis modis mutabilem, & incertò cognitam connotant, adeoque materiam demonstrationibus minùs idoneam cogitationibus nostris ingenerant; visum est mihi, re, quæ præ manibus est, non mutatâ, sub alia notione eam considerare. Scilicet quoniam magìs conspicuus est nexus, planéque insolubilis inter causas efficientes & effectus indè oriundos; perpetuáque experientia, & observatio frequens quales effectus datas causas sequantur, apertiùs edoceat; ideoque Bonum publicum tanquam Effectum, Actiones autem virésque nostras à quibus aliquid ejus-

ejusmodi speratur tanquam causas effectrices, in definitione protulimus. Hoc enim pacto Quæstiones morales & politicæ de fine & mediis, in terminos vertuntur Philosophis naturalibus usitatos. An hæ causæ efficientes hunc effectum producere valeant, nec ne? Hujusmodi autem quæstionibus responsum detur demonstrabile ex olim observata humanorum actuum efficacia, spectatorum tum per se, tum in concursu cum aliis Causis, iis, quæ nunc ponuntur, non absimilibus. Quamvis enim, dum deliberamus, liberi meritò dicamur, & effectus postmodum è nostris actibus futuri, respectu illius libertatis, omni jure dicantur contingentes; postquam tamen nos determinavimus ad agendum, nexus inter actus nostros, & effectus omnes indè pendentes necessarius est, ac planè naturalis, adeoque demonstrationi subjectus; quod videre licet in effectionibus Geometricis, quæ non minùs liberè fiunt, quàm aliæ quævis actiones humanæ. Ideoque quemadmodum longâ series consequentiarum ultra spem imperitorum, de ratione linearum, aut angulorum inter se deduci potest demonstrativè, ex eo quòd quis paucas lineas duxerit juxta praxes in Geometria præscriptas: ita è principiis Physiologiæ demonstrari possunt multa consecutura actum humanum motum imprimentem notum corpori intra notum systema aliorum corporum; adeoque sæpè quid hominis vitæ, membrorum sanitati, integritati & locomotivæ Facultati (in cujus usu libertas incarcerationi opposita cernitur) aut etiam bonis quæ quis possidet noxam afferet; quídve contrà in cujuspiam, aut plurium cedet emolumentum. Evicit autem (si quid ego judico) præstantior Physiologia mutationes omnes corporum omnium, etiam humanorum, quæ ab extrà veniunt (nam excipiendæ sunt determinationes ab interna voluntatis libertate) sive in melius, sive deterius fieri secundùm ea de motu theoremata, quæ per Analysin Geometricam inveniuntur & demonstrantur. Pauca fateor sunt, licèt magni momenti, quæ adhuc ea de re fuerint exhibita;

ostensa tamen est methodus motus, quantumvis implicatos, calculo Geometrico subjiciendi, & theoremata de Lineis, Figuris, motûsque determinationibus indè ortis quotcunque adinveniendi, atque adeò (cùm tota natura corporea in ejus extensionem, figuras, motúsque variè implicatos resolvenda sit) generalis monstrata est via effecta ejus omnia sub demonstratione reducendi. Hæc autem à me ideo tantùm dicta sunt obiter, ut ostendam quâ methodo insistendum sit ut ea perfectè, è necessaria cohærentia terminorum, habeamus demonstrata, quæ ex communi observatione, perpetuâque experientiâ satìs sunt comperta existere in natura rerum; atque ab invicem pendere, ut causas & effecta, quæque alii aliis è principiis physicis conantur deducere. Qualia sunt actus illi quibus homines alii aliorum vitas, libertates, fortunásque eripere, aut è contrà conservare solent.

§. V. In reprehensionem hìc incurrunt Stoici, qui nihil Bonum præter virtutes, nihil malum præter vitia dixerùnt. Quippe incauti dum virtutis egregiam bonitatem, vitiorúmque insignem malitiam stabilire satagunt; unicam illam causam quare virtus bona est, vitiúmque malum penitùs tollunt. Ideo enim virtus bonum est (& quidem maximum verè censetur) quia actus humanos determinat ad effectus, qui boni publici naturalis partes sunt præcipuæ, adeoque nititur ut & universos homines animi & corporis perfectionibus naturalibus cumulatissimos reddat, & Dei honorem per imitationem beneficentiæ divinæ maximè promoveat. Præterea cum altera pars justitiæ universalis quæ est ipsissima virtus inter homines conspicua consistat in Innocentia, hoc est in coercendis ejusmodi actibus qui homicidii, furti *&c.* nomine veniunt, manifestum est rationem nullam esse Legis prohibentis noxas tales, nisi agnoscant tales actus, scilicet ereptionem vitæ, aut bonorum (in quibus vitæ causæ conservantes consistunt) innocentis, etiam antecedenter ad ullam legem, adeóque sine respectu

ad virtutem illi legi obtemperantem, homini cuivis, aut etiam pluribus esse mala, seu noxia. Hoc nescio an negaverit Hobbius, nam damnum esse in talibus actibus apertè concedit, & illud malum esse ei qui noxam patitur, *de Cive cap.3.§.4.* his verbis. *In civitate si quis alicui noceat, quicum nihil pactus est, damnum ei infert cui malum: injuriam soli illi qui Civitatis habet potestatem.* Alibi tamen apertè contendit; *Leges Civiles esse Regulas boni & mali, ideoque quod Legislator praceperit, id pro bono; quod vetuerit, id pro malo habendum esse; & seditiosum esse dicere Cognitionem boni & mali pertinere ad singulos. Cap. 12. §. 1.* Libenter hæc inter se conciliarem ambigui vocabuli distinctione, ponendo malum in priore loco significare id quod Naturæ noxium: in posteriore autem id quod Legibus incongruum. Verùm non placebit, opinor, illi hæc conciliatio; quoniam ex hoc fundamento inferri poterit quædam sciri posse ante Legis definitionem mala, seu noxia vel singulari alicui homini, vel aggregato è pluribus,& exinde etiam probari aliquas constitutiones Civiles malas esse, seu noxias populo. Ideoque ab hoc incommodo prudenter admodum cavit *Cap.17.§.12. ne qua Definitio in tota Mathesi, Philosophia Naturali, aut Civili, ne qua ratiocinatio hominum in illis disciplinis rata sit, nisi accedat authoritas Civilis.* Nempe quod negat de Christo eum venisse in hunc mundum ut Logicam doceret, id ad Monarcharum, omniúmque summarum potestatum prærogativam pertinere contendit. Ii scilicet in thronum evecti sunt ut Logicam doceant, cæterásque Scientias naturales. Fœlicia sanè tempora non nostra solùm,sed & omnium gentium omnia! Reges & Respublicæ omnes philosophati sunt perpetuò; omniúmque decreta semper fuêre κυρίαι δόξαι, ratæ sententiæ, utcunque vel ipsi sibi, vel alii aliis contradixerint. Sed ipse sua hæc inter se fœliciùs conciliet; simúlque oro, illum eximat scrupulum,quomodo necessaria sint agentium naturalium, ipsorúmque hominum effecta omnia, atque

adeò illa quibus noceant, vel prosint alii aliis, indè bona, maláve dicantur; & tamen à mutabili arbitrio principum pendeat determinatio utrùm eadem sint bona, an mala? quæ duo præcipua sunt ipsius dogmata, sed adversis inter se frontibus pugnantia. Quin etiam pugnat posterior sententia cum necessariò & essentialiter requisitis ad societatem, agnitis ab ipso Hobbio pro legibus naturæ, *viz.* Rejectione juris in omnes & omnia, fide pactorum servandâ, Gratitudine, de quibus ipse *cap.* 3. *de Cive.* Certè si quis princeps leges generales his contrarias sanciret ad civitatem suam stabiliendam, pari successu id faceret ac si decerneret usum veneni, aut aeris, vestiúmque peste infectorum ad sanitatem civium conservandam. Pariter enim immutabilis est vis & efficacia rerum ejusmodi ad mala discordiæ hominibus inferenda, *i.e.* ad cædes & rapinas *&c.* ac venenorum, pestisque vis ad sanguinem corrumpendum. Non parebit Xerxi verberatus Hellespontus; nec noxia in utilia mutari possunt principum decretis. Cogitetur Lex, quæ jubeat homines cujusvis regni omnes obvios sibi concives sine Sexûs, Ætatis, aut factorum discrimine occidere; pacta omnia violare; ingratos omnibus se præstare: Et si cives hujusmodi edictis parerent, vide an non internecionem civium statim introduceret (non obstante obligatione in foro interno, quam ille agnoscere videtur, ut incautis imponat) ut subditorum unus tantùm cæteris omnibus superesset, quem aliorum omnium cæde superbum nullus metus potentiæ majoris (unicum vinculum à Hobbio agnitum) coerceret ab interficiendo principe quem illo minùs robustum licèt supponere. Ostendat porro, quomodo tota ejus Philosophia demonstrativa sit, & necessariò vera, cùm à nullo adhuc principe fuerit confirmata; sed è contrà multa ejus dogmata, ut illud de necessitate oppositum libero arbitrio à principibus plerisque omnibus qui Christianismum profitentur, condemnetur.

Quic-

Quicquid ſit quod ille ſentiat, id ad renonm multùm attinet; mitius tamen eſt judicare vel deceptum eſſe verborum *Boni* & *Mali* ambiguitate, vel decipere voluiſſe incautos Lectores; quàm credere illum eò inſaniæ perveniſſe, ut exiſtimaret bonum & malum naturale, *i. e.* actiones, præſertim humanas, eas quæ juvant, aut lædunt corpora, mentésve hominum, ſive ſingularium, ſive multitudinum non eſſe ſuâ naturâ, ſeu ex ſe determinatas ad ſua effecta naturalia; ſed pro arbitrio principum prodeſſe vel nocere.

§. VI. Liceat itaque ſupponere quæ ſequuntur ſenſuum teſtimonio nota phænomena è Phyſiologiæ principiis, ſi nondum demonſtrata, ſaltem tandem aliquando demonſtranda, quæ perpetuâ conſtant experientiâ (cujus cauſas Phyſiologia tradendas ſuſcipit, effectáque indè demonſtrare tenetur) Nempe homines diætæ prudenter inſtitutæ, & mutui amoris vi, permittendo ſingulis ut ſuâ aliquâ operâ vitæ & valetudini neceſſaria acquirant, agendo aliis innoxia aut utilia, pactorum obſervantiâ, gratitudine erga beneficos, peculiari ϛοργῇ erga liberos, & conſanguineos, tam in linea aſcendente quàm deſcendente (qui notabili charactere identitatis, ſeu dependentiæ principiorum naturalium à communi fonte à cæteris quadantenus diſtinguuntur) profuiſſe ſibi invicem olim, & poſthæc quò magìs hæc facient magìs invicem profuturos eſſe, tam quoad corporum ſanitatem & robur, quàm quoad mentium ſcientiam, prudentiam, gaudium, ac in omni tranquillitate, ipsâque adeò morte ſpem bonam. Contrà autem contrariis actibus animorum errores, anxióſque dolores oriri; corporibus autem membrorum mutilationem, morborum inſultus, famis, ſitiſque incommoda, ipſámque necem multis hominibus inferri; cùm aliter agendo, quod in noſtra poteſtate eſt, tanta mala potuiſſent præcaveri. Scilicet è diſcordiis, ebrietate, violatione fidei, &c. bella oriuntur, ut è naturalibus cauſis. Atque hinc clades, direptiones bonorum, incendia

æquè neceſſariò & naturaliter, ac è peſte hominum interitus, aut ex ingenti aliquando Terræ motu urbis ruina & abſorptio; ut utraque pariter mala naturalia, & non uni propria, ſed multis communia. Quemadmodum diæta per experientiam limitata, mutua concordia, fides, gratitudo publica ſunt bona ex intrinſeca ſua vi, velut aer omnibus ſalubris, aut benignus Solis in totum terrarum orbem influxus. Poſſunt enim harum diſpoſitionum vires (licèt ſparſæ per ſingulos homines operantur) junctim conſiderari, & earum effectum in totum aggregatum humani generis, magnámve ejus partem verè aſcribuntur iis veluti cauſis phyſicis. Eodem planè modo quo varia animalium, plantarúmque ſemina licèt locis cuique propriis natura disjunxit, iiſque tantùm ſuas edant vires; ſimul tamen conſiderari poſſunt, déque iis affirmetur verè quòd ſint vitæ, incrementi, reliquorúmque effectuum, qui innumeri in plantis animalibúſque cernuntur, principia, ac cauſæ neceſſariæ. Quippe aggregatum effectuum, cum aggregato cauſarum non minùs cohæret, quàm ſinguli effectus cum cauſis ſuis per ſe ſpectatis.

Ratum itaque ſit propoſitiones æternæ veritatis, ſeu immutabiles fieri poſſe de effectibus ab actionibus humanis, quales ſunt virtutes, & vitia, orituris, quandocunque principia hominibus interna eos ad actiones externas determinaverint: ac è contrà ex effectis humanæ actionis noxiis, vel commodis ſingulis, præſertim verò multis, ſciri poſſe an principia interna practica publico fuerint ſalubria an nocua, *i. e.* naturaliter bona vel mala. Tota autem difficultas præſciendi an ex actione aliqua data effectus ſecuturus ſit bonus an malus, indè oritur quòd quis aliarum cauſarum cum illa concurſus futurus ſit, ſæpe ignoretur. Exinde enim fit ut quod primò viſum ſit in melius tendere, vergat tandem in partem debiliorem. Hinc de abſtractè & generaliter conſideratis actibus noſtris, & per ſe quid efficiunt, uti & de effectu motuum phyſicorum abſtractè conſideratorum

(ut

(ut in genesi linearum, ac figurarum ex iis, faciunt Mathematici) nonnulla nec difficulter demonstrantur. Hinc etiam summus prudentiæ moralis ac civilis apex consistit in penitissima circumstantiarum cum actionibus humanis ad effectus suos concurrentium, vel obstantium notitiâ; cujus pars præcipua est hominum singularium quibuscum agendum, aut contra quos, intimior cognitio tam quoad Intellectûs vires, & principia cujusque practica, quam affectuum peculiares cuique propensiones, nec non quoad amicorum, servorum, reique familiaris, subsidiáque quibus quisque (fundatâ jam politiâ) utitur.

§. VII. Summa rei huc redit, considerationem virium, actionúmque nostrarum, ut causarum, finísque expetiti, ut effectûs, commodissimam videri methodum generalem morum regulas in naturæ phænomena, seu observata fœliciter resolvendi; qui præcipuus esse debet scopus scribentis de lege Naturæ, ut & viventis ad naturæ normam. Scientia enim naturalis judicare docebit, datis actionibus, seu motibus impressis, & objecto in quod agitur (quod est hic homo vel hominum multitudo) an sequetur objecti conservatio ac perfectio, quæ bonum; an verò ejus corruptio aliqua & diminutio, quæ malum dicitur? Hoc itaque pacto in consilium ac deliberationem vocatur id omne quod scimus, sive de natura virium nostrarum, causarúmque aliarum, quæ nobiscum concurrunt, sive etiam de natura illorum circa quos sumus operaturi, ut ex his qualis effectus consequetur, prævideamus. Consideratis autem & inter se collatis variis effectibus qui varias actiones in nostra potestate positas sequentur, illa duo satis curabimus (1) ut finem (seu effectum) semper aggrediamur possibilem, & eorum quos possumus assequi optimum; (2) ut media (seu causas) nempe actiones adhibeamus, quæ effectui præviso adæquatè conveniunt. In illis autem duobus totius prudentiæ Moralis & Civilis summa consistit. Dictata autem prudentiæ actiones humanas ubivis gentium ad bonum publi-

cum (commune rationalium omnium) hominibus possibile dirigentia sunt ipsissimæ leges naturæ. Et si intellectûs cujusvis hominis assensum impetrent, adeoque actu ejus voluntatem determinent, ut juxta eorum tenorem agat, & in memoria reposita ad determinationem hominis pro re nata recurrant in mentem, habitum constituunt virtutis Moralis. Iis autem si quid accedat quod civitatis alicujus peculiarem respiciat constitutionem, aut cujusvis in ea officium publicum, aut res privatas, fit ea tum prudentia Civilis, Politica, vel privata prout additamentum illud postulaverit. Verùm hæc nimia fortè videantur quæ hâc occasione dicerentur.

§. VIII. Pergo ad Commune (quod & publicum dico) bonum enucleatiùs explicandum. Illis autem verbis intellectum velim Aggregatum seu summam bonorum omnium quibus operâ nostra cumulari possunt singula entia rationalia conjunctìm considerata, & secundùm ordinem quem inter ea constitutum reperimus, aut ad eorum fœlicitatem constituendam necessariò requiruntur. Considero enim Deum, hominésque universos propter aliqualem similitudinem in ratione, seu natura intelligente sub una notione repræsentatos, cui notio *Omnis*, seu summæ, addita, eam facit ad singulos se diffundere. Facilis autem est cuivis homini generalis entis rationalis notio, & syncategorematis illius [Omnis] quo summa indicatur. Brutis autem quæ nec abstrahunt à singularibus, nec numerant, ut summas colligant (multò autem minùs Naturam, quâ Deus & homines conveniunt, percipiunt) harum notionum, neu competit. Quâ de causâ inter alias commune bonum spectare nequeunt, nec virtutis, aut societatis cum hominibus (quæ in illius consideratione fundatur) capacia sunt. Quanquam autem rationalium commune bonum spectari immediatè in legibus naturæ nostræ dixerim, non tamen negaverim, quin eæ naturam inferiorem, planéque irrationalem, & corpoream curæ nostræ demandent, *v.g.*

Ani-

Animalium pastum, plantarum sationem, ipsiúsque agri cultum, quatenus hæc ad Dei honorem, hominúmque fœlicitatem deservire possint; verùm id dum agitur, non propriè, saltem non ultimò, spectatur harum rerum perfectio, sed ipsarum usus, & concursus cum actionibus nostris ad rationalium bonum intenditur: Observamus enim dum naturam scrutamur corpora omnia à Deo, *primo rationali*, regi: nostra autem, iisque mediantibus alia perquam multa à ratione humana determinari necessariò, dum ad nutum judicii & voluntatis nostræ experiemur moveri musculos nostros, multáque corpora vicina, atque ideo corpora subordinata ex naturæ universalis constitutione reperimus. Quippe inter id quod determinat & ea quæ determinantur, mens non possit non ordinem quendam concipere, ut determinans sit prius, determinatum posterius in agendo. Interest autem nostrâ ut ordinem, quem à natura constitutum invenimus, conservemus inviolatum, &, quoad possumus, perfectionem nostram indè promoveamus. E quibus non immeritò obiter concluserim eum, qui agentium rationalium bonum summum quæsiverit, totius systematis Mundi bonum atque ordinem quærere; & ex observata in natura motuum determinatione qualicunque aliquam ordinis, & dependentiæ notionem in mente generari; quæ cum proficiscitur à judicio animi rationalis *regimen* propriè dicitur. Hæc autem cùm & in natura nostra experiamur intimè, & naturali sensuum judicio videmus his paria extra nos fieri; meritò affirmemus, nos à natura Ordinis ac Regiminis idæam accepisse. Verùm hæc sufficiant de verbo *publicum* seu *commune*.

§. IX. *Bonum* in definitione positum illud intellectum velim, quod à Philosophis bonum *Naturale* appellari solitum est, quodque jam antè definivimus respectu naturæ creaturarum, quòd eam conservet aut perficiat, seu fœliciorem faciat: respectu autem naturæ divinæ utpote ex se beatissimæ, id quod ipsi gratum est aut placet, ut μακαριςμὸς,

analogicè scilicet, quoniam quæ nos conservare, aut perficere sentimus, grata dicimus nobis, *i. e.* animum tranquillum relinquunt & gaudii plenum: quoniam autem conservari, & perfici apertè repugnant infinitæ perfectioni, tranquillitas autem, & gaudium, seu complacentia separatim ab imperfectione concipiantur, hæc tutò divinæ Majestati tribui possunt.

Verùm nè longiùs ab hominibus digrediar, naturalia illis sunt bona duûm generum; (1) Quæ animum exornant, & exhilarant, quorum omnium fundamentum positum videtur in iis, quæ cognitionem perficiunt ac judicium; cui si consentiat, voluntas pariter perfecta est. (2) Quæ corporum vires tuentur atque roborant. Enimvero publica bona eadem sunt cum singulorum bonis; & ex Idæa vera fœlicitatis cujusvis hominis facili analogiâ deduci potest fœlicitas quærenda sive Civitati alicui, sive etiam universis hominibus simul consideratis. Quippe è singulis conflata Politia tum demum fœlix est, cùm singula ejus membra, præcipuè autem principalia, & mentes habent naturalibus perfectionibus Intellectûs ac voluntatis præditas, & corpora sana, vegetisque viribus animis famulantia. Observandum autem est, me hæc *bona naturalia* dixisse eo sensu quo voces istæ velut latiùs patentes (adeoque generaliores & priùs naturâ notæ) distinguuntur à *bonis moralibus*; illa enim tantùm sunt actiones voluntariæ legi alicui præsertim naturali conformes. Ideoque bonum hoc sensu non est sumendum quum definitioni Legis naturalis inseritur, quippe definitio absurdè fit per ea quæ definitum jam antè notum supponunt. Multa autem sunt bona naturalia, h. e. quæ aliquid conferunt ad fœlicitatem hominis, quæ non sunt moraliter bona, utpote nec voluntariæ actiones, nec ulla lege imperata: qualia sunt acumen Ingenii, Scientiarum ornamenta, Memoriæ vis singularis, Corporis robur, rerum externarum adjumenta, &c. Contrà verò existimo nullam Actionem voluntatis ex lege naturæ imperari, aut com-

men-

mendari, adeoque moraliter bonam esse, quæ non ex sua natura aliquid faciat ad fœlicitatem hominum. Supponitur à morali Philosopho è Physica aut experientia notum quid conservet, aut augeat animi vires, quídve vitam vegetiorem, durabiliorémque faciat, atque inter cætera quosdam actus humanos, qui virtutum nomine insigniuntur ad hos effectus plurimùm conferre, aliósque cum aliis bene consistere. Mens humana suæ potestatis ad tales actus eliciendos conscia, hæc observans in singularibus instantiis, seu exemplis ad se, vel alium notum hominem pertinentibus, propter naturarum similitudinem, concludit ejusmodi actus homines omnes beatiores effecturos; aut cum omnium beatitudine probè consistere; & generales hujusmodi conclusiones sunt leges naturæ. Sic ex observata similitudine inter corpora humana, & probatâ utilitate esculentorum, potulentorúmque, somni & exercitiorum, totiúsque materiæ medicæ generales efformati sunt Aphorismi Diætetici, & Therapeutici, qui ubique gentium sunt; licet multa præcepta Medicinæ pro varietate Regionum, Climatúmque sint mutabilia, & respondeat varietati, quæ inter Leges diversarum Regionum Civiles invenitur. Postea verò cùm harum conclusionum indicio ejusmodi actus exseramus, eósque cum iis conferamus, illos his conformes reperimus; unde actibus his præter naturalis bonitatis antè notam appellationem, accedit etiam illa quòd moraliter boni sunt ex conformitate talium morum cum legibus naturæ jam factis. Nihil hîc addam de verbo [possibilem] quod inserui, quia ultimi fines obligationis ad actiones nunquam excedunt limites facultatis obligatæ. Quanquam magnum quiddam sonat *bonum publicum*, nemo ad illud ultra vires suas promovendum obligatur: Illud [maximè] insinuat Leges naturæ affirmatas, seu actum præcipientes (quales tantùm hîc descripsi, quia negativæ facilè exinde colligantur, & videtur natura (quæ tota è rebus positivis constat) has tantùm immediatè imprimere) comparata esse dictamina,

cás-

eásque actionem (earum quæ in datis circumstantiis in nostra sunt potestate cogitare & dicere) optimam præcipere; ἀεὶ τὸ βέλτιστον. Notandum tamen quod optimo æquale optimum meritò dicatur, seu cùm nihil interest (quantum assequi possumus) quidlibet agamus. Atque in hujusmodi casibus locus est libertati à lege naturali concessæ seu permissæ.

§. X. Postquam definitionis nostræ verba (quibus innuitur; *Legem naturæ semper indicare actiones ad bonum commune, solas valere ad integram, summámque singulorum agentium fœlicitatem procurandam*, &c.) sanctionem harum Legum exprimunt, notam ex annexa earum observationi beatitudine, ac violationi miseriâ. Integram autem summámque dixi fœlicitatem possibilem in iis spectari, quoniam naturaliter, ac necessariò singuli appetunt non illius tantùm aliquam particulam, sed eam totam quæ ipsis secundùm voluntatem primæ causæ possibilis videtur. Estque hic appetitus summè rationalis, ac perfectior manifestò quàm appetitus minoris cujuslibet boni. Ex hoc autem fonte illud fluit (quod magni est ad justitiam universalem momenti) non eam propositionem pro Lege Naturæ reputandam esse, quæ indicet quales actiones corporis voluptatem, aut divitias, aut honores, aut aliam quamvis fœlicitatis particulam ad tempus comparare valeant; sed eas tantùm, quæ certò prænunciant, quibus modis summam maximam bonorum omnium, præsertim verò maximorum, quæ Mentes nostras beant perpetuò, acquiramus. Hanc ob causam necesse est etiam ut deliberemus, & statuamus apud nosmet ipsos non tam de partibus exiguis vitæ nostræ (*v. g.* quid hodiè agere expediat, ut fœliciter hunc diem transigamus) sed de tota vita futura, quid semper, & in omnibus circumstantiis ad perpetuam conducat fœlicitatem. Quoniam in integra serie actionum per totum vitæ futuræ decursum eliciendarum, velut in causa, continetur integra illa fœlicitas, quæ in nostra est aut erit potestate,

quam

quam naturaliter expetimus. Pleraque autem omnia improborum flagitia indè nascuntur, quòd gaudia tantùm corporis, eáque mox fruenda spectant, & actiones ad hunc scopum dirigunt; de iis verò quæ ad animum pertinent, aut quæ post longam hujusmodi actionum seriem eventura sunt minimè soliciti.

Verba autem illa [singulorum fœlicitatem, &c.] innuunt partem aliquam bonorum illorum quæ à voluntate primæ Causæ quasi in communem fœlicitatem collocata sunt in creatione, in ordinaria conservatione mundi eodem actu concessam esse, datámque singulis; atque adeò partis uniuscujusque mensuram à ratione humana determinari posse per proportionem illam quâ singuli cum toto rationalium aggregato comparantur. Quemadmodum cor eâdem circulatione massæ sanguinis totius animalis vitam conservat, & singulis membris proportionatum distribuit alimentum. Hoc tantùm interest, quòd à corporis membris sua proportio sine ratione imbibitur: in hominibus autem judicium rationis singulorum proportionem considerans, bonorum eam partem sibi vendicat quæ cum totius salute consistit.

§. XI. Antequam descendo ad species actionum ad bonum publicum necessarias, vel cum eo consistentes, necessarium visum est hæc duo ostendere; (1) Quòd in hac nostra Definitione ea comprehenduntur omnia (saltem facili consequentiâ indè deducantur) quæ requiruntur in natura generali Legis. (2) Ea etiam quæ Legi naturali peculiaria sunt.

Primum quod attinet, opportunè occurrit illud Modestini è *Digestis* modò citatum, Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire, quibus addi potest in nonnullis legibus etiam præmia conferre: In his certè verbis continetur id quod Metaphoricis verbis *Obligandi*, & *debitum Constituendi* à nonnullis exprimitur. Obligatio à Justiniano *Instit. lib. 3. tit. 41.* definitur *Juris vinculum quo necessitate*

astringimur alicujus rei solvendæ secundùm nostræ civitatis jura. Ubi ut mittam quòd suæ solùm, scilicet Romanæ, civitatis jura respicit; cùm tamen alibi Papinianus longè rectiùs (*Digest. l. 46. tit. 3.* lege stichum parag. naturalis) Naturalem agnoscat obligationem à Civili distinctam, quæ *solo vinculo æquitatis sustinetur.* Illud obscuritatem parit quòd Metaphoricis verbis, quæ dubii plerumque sensûs sunt, uti placuit. Illa enim verba *vinculum* & *obstringimur* non faciliùs intelliguntur, quàm obligatio definienda. Verùm si rem consideremus, apertum est illud innui (*viz.*) Annexas esse pœnas atque insuper immunitates, & privilegia legibus ab authoritate eas ferente, hominésque partim spe boni ex observantia, partim metu mali ex contumacia proventuri determinari, aut saltem moveri quadantenus ad agendum secundùm Legum præscripta. Non alia enim necessitas voluntatem humanam ad agendum determinat, quàm malum in quantum tale esse nobis constat fugiendi, bonúmque quatenus nobis apparet prosequendi: hanc autem necessitatem, quæ quidem cum liberrima potestate disquirendi de rerum bonitate consistit, naturæ humanæ intrinsecam esse agnoscunt (quantùm scio) omnes. Summa itaque vis obligandi hæc est, Legis authorem legum suarum observationi bona, transgressioni mala, scilicet naturalia, adjunxisse, quorum prospectu moventur homines actiones potiùs legibus conformes quàm ab iis dissentientes elicere. Bona autem conjuncta observationi Legum naturalium sunt ipsissima illa quæ Fœlicitatem hominis summam constituunt; adeoque planè maxima; Mala etiam quæ statum perpetuum legibus iis contrarium consequuntur ea sunt quæ summam miseriam efficiunt. Horum conjunctio cum actibus humanis naturalis est & necessaria, *i.e.* non totaliter pendet ab arbitrio Rectorum (quanquam in omni civitate pars aliqua pœnarum & præmiorum secundùm voluntatem gubernantium distribuitur) sed si nullum fieret Civile Regimen, partim ex natura actuum seque-

ſequerentur, partim à privatis neceſſariò adjicerentur: & cùm Civile Regimen ubique exiſtat, naturæ omnibus Civitatibus communis conſervandæ notiſſima neceſſitas, Rectores ad pœnas exigendas, & præmia conferenda (licèt cum aliqua diverſitate in diverſis locis & temporibus) ubique determinat.

§. XII. Verùm quia præcipuum hoc eſt κρινόμενον hujus controverſiæ, accuratiùs oſtendendus eſt nexus inter actiones in tota vita (quoad fieri poteſt) omnes cujusque ſingularis ad bonum publicum; & maximam poſſibilem uniuſcujusque fœlicitatem ac perfectionem. Eſt autem duplex; (1) Immediatus. (2) Mediatus propter bona ab hominibus, ipſóque Deo per hujusmodi actus conciliata.

De priore primùm agemus, quia inſeparabile eſt ab ipſa actione virtutis præmium, & faciliùs demonſtrabile, quoniam præſens nullis futuri incertis caſibus obnoxium, nec multiplici cauſarum varietate (à qua futura præmia dependent) implicatum. Nexus autem immediatus inter fœlicitatem animi cujusque hominis maximam, quæ in ejus eſt poteſtate, & actiones quas elicit ad Bonum commune Dei, hominumque maximè facientes, hic eſt, quòd eæ ipſiſſimæ ſunt actiones in quarum exercitio, ſensúque intimo fœlicitas cujusque (in quantum in ipſius eſt poteſtate) conſiſtit. Eædem actiones conſideratæ quoad ſpecificam ſuam differentiam ab objectis, ſeu materia circa quam verſantur, & effectu externo latiſſimo dicuntur actus tendentes ad bonum commune: Conſideratæ ut ipſius agentis exercitium virium maximarum, ſeu perfectiones maximæ, tranquillitatem gaudiúmque ipſi ex earum ſenſu maximum afferentes, *Fœlicitas* ejus (quam ipſe ſibi conferre poteſt) *ſumma*. Eodem modo quo nexum intelligimus inter ſanitatem corporis, & illæſas vires, actionésque tam naturales circa alituram & generationem, quàm animales. Supponimus notum eſſe Phyſiologiâ, vel experientiâ obſervatum, hæc quæ in hoc paragrapho ſequuntur ad naturalem animi humani perfe-

perfectionem pertinere (1) Generatim, ut Facultates ejus, Intellectus nempe & Voluntas, agant circa omnigena quidem objecta, præcipuè verò circa Deum, hominésque. Illi enim naturam habent animo cujusque similem, aut analogam, adeoque ex actibus nostris, quorum necessariò conscii sumus, cognoscibilem; & præterea illorum actus plurimi intimè nos tangunt; iique (utpote agentes secundùm rectam rationem) actibus nostris moveri possint, ut in nostram nobiscum conspirent Fœlicitatem.

(2) Speciatim ad Intellectûs perfectionem requiri (1) Ut notiones universales à singularibus abstrahat, & comparet cum aliis, earúmque Attributa necessaria ad alia, quæ occurrunt, individua pertinere observet, *v. g.* ut à sui cognitione singularia abstrahendo discat essentialiter connexa cum rationali, aut animali *&c.* Et inter alia in omnibus conatus quosdam ad suam-ipsorum conservationem, perfectionémque. (2) Ut Causas rerum (quadantenus à nostra potestate pendentium) generantes, conservantésque scrutetur. (3) Ut similia similibus de casibus judicet; secúmque, postquam rectè judicaverit, semper consentiat. (4) Ut conclusiones non theoreticas tantùm, sed practicas è notis principiis inferat. (5) Ut ordinem naturæ, prout quæsiti conditio postulat, sectetur, nunc Analyticum, nunc Syntheticum. Ad hoc caput revocandum est notum illud, ad perfectionem agentis Rationalis requiri, ut priùs statuat de Fine, quàm de Mediis, seu effectum intentum, quantum potest, bene perpendat, priusquàm causas applicet ad illius productionem concursuras. Adeoque ut priùs sibi totius vitæ futuræ finem proponat, quàm ex rationis præscripto accingere se possit ad actus; quorum veluti mediorum, seu causarum influxus ad totius vitæ statum pertingat, eámque vel fœliciorem efficiet, vel minùs fœlicem. Hujus autem observati usum facilè percipiamus in iis quæ sequuntur, ubi omnes omnino actus nostros, & ad summam vitæ fœlicissimæ facere posse, immò ei aliquid addere vel detrahere

necess-

necessariò videamus; & rationem jubere ut singulos qui futuri sunt, in hunc finem dirigamus uniformiter. Quin etiam eodem rem perducit ordo syntheticus tractandi actionum voluntariarum decursum integrum. Nam si actio voluntaria abstractè, seu ut universale, consideretur, ejus Objectum, effectúmque est Bonum latissimè etiam diffusum, sive facienti, sive aliis quibuslibet gratum. Deinde procedendum est ad nolitionem mali cujuscunque, sive illud unius, sive plurium; sive nostro sive alieno repugnet Bono. Volitiones autem, & nolitiones pro Boni malique præstantia, aliisque circumstantiis variorum affectuum, hinc Amoris, Appetitûs, Spei, Gaudii; illinc odii, metûs, fugæ, tristitiæ induunt nomina. Tandem devenitur ad considerationem particularium actuum, tam qui in præsenti, quam qui tempore probabiliter futuro exserantur; & illius inter illos ordinis, cujus ope bonorum faciendorum, fruendorúmque per totum vitæ decursum, velut progressionis cujusdam Summa maxima exoritur, quæ *Fælicitas cujusque*, seu ***Summum bonum*** dicitur.

Ad voluntatis humanæ naturalem perfectionem requiri judicamus, ut ea rectissimam sequatur Rationem, tam in placidioribus electionibus, quæ simplices dicuntur Volitiones, Nolitionésque, quàm in vehementioribus illis, qui Affectuum nomine venire solent.

Ex his etiam videre licet, quòd his contrarii actus imperfectiones sint & morbi Animi, quemadmodum Claudicatio, motus Paralytici, & Convulsivi morborum Corporis sunt indicia. Tales sunt assensus contradictoriis propositionibus dati, quia certum est alteram Contradictioriarum non esse veram: Dissimilia in rebus similibus judicia *&c.*

§. XIII. Non libet curiosiùs inquirere, an fœlicitas hominis sit Aggregatum actionum vegetissimarum quæ à Facultatibus nostris provenire possunt? an potiùs sensus earum gratissimus cum tranquillitate, ac gaudio conjunctus,

qui Voluptas à nonnullis dicitur. Individui hi ſunt comites & uterque ad Fœlicitatem neceſſarius. Illud dicam, Potentiam noſtram nihil majus continere in ſe, quo fœlices nos faciat, quàm Actiones: Nec Actiones alius augmenti capaces eſſe, quàm quod in ipſarum intrinſeco vigore, & objecti, ſeu effecti excellentiâ naturali conſpicitur. Commune igitur hominum, Deíque bonum cùm ſit objectum, & opus quod poſſumus maximum, præſtantiſſimúmque (quippe in ſingulis illorum Fœlicitas cujusque perfectionem complectitur, commune autem bonum Fœlicitatem ſingulorum conjungit) vegetiſſimi circa illud actus, eorúmque ſenſus nos maximè omnium, quæ ipſi poſſumus, beabunt. Enimvero cordatiores plerique Philoſophi in Actione, & quidem utriusque facultatis mentis humanæ, ejus & beatitudinem ponunt & virtutem; quod paucis complexus eſt Plutarchus in Conſolatione Ἐξ ὀρθῶν ἐπιλογισμῶν εἰς εὐσταθῆ διάθεσιν τελευτώντων ἤρηται τὸ μακάριον. Non interim omnes ſatìs explicare ſolent circa quod objectum atque effectum directè, & adæquatè omnes illæ Actiones beatificæ occupentur. Nam quod dicitur circa finem, ſeu fœlicitatem, non ſatisfacit: quoniam cum ipſa Fœlicitas aggregatum quoddam ſit, cujus partibus perpetuò fruimur, & in Actione dicitur conſiſtere, idem erit dicere, Agimus propter fœlicitatem, & agimus ut agamus. Cùm autem dicitur actionum noſtrarum beatos conſtituentium objectum, effectúmque eſſe Dei honorem & gloriam, aliquid ſanè dicitur, ſed pars tantùm materiæ circa quam verſantur qui bene, beatéque vitam agunt. Dici quidem poteſt, è ſtudio gloriæ divinæ deduci poſſe Cognitionem ſui, aliorúmque, nec non Charitatem, & Juſtitiam erga homines. Verùm Cognitio, Dilectióque noſtrûm-ipſorum, aliorúmque hominum intrinſecam habent & ſibimet-ipſis propriam perfectionem naturalem (in cujus poſſeſſione pars aliqua humanæ Fœlicitatis conſiſtit) quam ſcire licet abſque conſequentia à Dei honore petita. Immò videtur priùs ſciri

homo,

homo, & diligi, quàm mens assurgat in Cognitionem, Dilectionémque Dei, cujus existentia, & bonitas amabilis ex operibus suis, homine præcipuè, agnoscuntur. Sit itaque ratum, directum & adæquatum objectum Actionum, queis beamur primariò, esse Deum, hominésque, effectum circa eos quod ipsis gratum bonúmque est. Certè objectum actionum beatificarum majus haberi nequit, quàm quod omnia eorúmque ad invicem ordinem complectitur; nec illud sub notione universaliore, perfectiore, ac suaviore considerari potest, quàm quâ exhibetur in verbis illis, *Commune Bonum.* Quippe præterquam quòd *Bonum* æquè latè patet, ac Ens, adeoque ad singula rerum, præsertim rationalium, individua pertingat; hoc habet insuper quòd non tantùm intrinsecas & essentiales rerum perfectiones respiciat; sed ea omnia, quæ illis postea accrescere possunt, ornamenta, sive singulæ per se spectentur, sive prout omnimodò ad invicem referuntur: atque insuper Entia spectantur tantùm prout Bonum facere possunt, vel recipere, cùm legibus diriguntur actus voluntarii circa illa: Hinc fit ut hujusmodi objecti Latitudo immensa omnem amplissimarum Facultatum vigorem evocet, exerceat, adæquet, & perpetuâ amœnitate (nihil enim Bono ac Fœlicitate cujuscunque tandem sit amœnius) easdem oblectet. Stupidus certè est quem ipsarum arborum, immò & herbarum Vere ac æstate florentium aspectus tunc non magis delectet, quàm cùm hyeme defloruêre. At hominem prorsus exuit, qui humani generis *summam Fœlicitatem* quæ ex optimarum legum observantia nasceretur animo saltem prospiciens, magnam voluptatem ex aliquali ejus spe non persentiscit. Oculorum vitio imputatur si ictericus suo tantùm colore res tinctas sentiat; aut si quis suam tantummodo imaginem aspiceret; multò magis mentis imperfectio est, & infœlicitas, de corporis tantummodo unius sibi conjuncti (aliis omnibus neglectis) conservatione cogitare.

§. XIV. Interim certum eſt, Naturam homines pleroſque omnes dum mente ac corpore fruuntur ſanis, tantis inſtruxiſſe viribus, ut absque ullo ſibimet damno illato plurima poſſint quæ aliis emolumentum afferant non exiguum, nobis ipſis autem nulli ferè ſunt uſui. Qualia ſunt aliis conſilium dare quo vita, aut valetudo conſervetur; viam monſtrare, &c. Quòd ſi vires hujusmodi occaſione datâ non exerceantur, fruſtraneæ ſunt, aut tantùm cedunt in perpetuum Domini ſui opprobrium; uti ſolet ager incultus, & ſemen per negligentiam corruptum, quod cum fructu ſimul & laude ſeri potuiſſet. Enimvero ipſum *agere* (quod certè facimus, dum aliis ſervimus) nobis & ſalubrius eſt, & jucundius quàm prorſus otiari; exercitio enim & ſentimus, de novo quid poſſumus, quod volupe eſt valentibus; & Facultatum vigor conſervatur, ſæpe etiam augetur; habitúsque, quorum ope promptiùs agimus, corroborantur: alioquin autem & habitus evaneſcerent & vires torperent. Eſt autem manifeſtum quòd nulla actio circa alios cum neceſſariis, & rectis actionibus circa noſtrum bonum conſentire poſſit, niſi dictata practica quibus ad ea determinamur, planè conſona ſint iis, quibus ad noſtram Fœlicitatem quærendam dirigimur, i. e. niſi iis talia velle præcipiant, qualia nobiſmet-ipſis: nam rebus quæ neceſſariò ſimiles judicantur (quarum conditio nihil habet notabiliter differens reſpectu effectuum ad totius ordinem ſperandorum) ſimilia velle neceſſe eſt; niſi vel Intellectûs judicium à rebus, aut à ſe diſſentiat, vel Voluntas judicio repugnet; quorum neutrum cum interna pace ad fœlicitatem requiſitâ conſiſtit. Hinc aliis pariter innocuis, aut utilibus; pariter vel liberis, vel obligatis, &c. ejusmodi bona, qualia nobis volumus. Atque hujusmodi Judicia adeò intrinſecè in Intellectu continentur, ut qui ſecundùm hæc fecerit, naturæ ſuæ intellectuali congruè fecerit. Naturæ autem congrua eam voluptate perfundunt.

Nec

Nec tamen non impediunt, quò minùs ex generatione in Familiis, ex pactis in Civitatibus inæqualitas quædam oriatur, quâ alii aliis præstantiores sint. Quin etiam quoniam animo humano gratissimum est operam suam maximo cum successu impendere, & ingratum admodum frustrà quicquam conari, ideo fœliciùs in benefaciendo multis operam suã collocabit, quàm in lædendi conatibus. Quippe plurimi libentissimè illam excipient eíque obsecundabunt, qui si nos illis lædere velle conspiciant, strenuè se nobis oppugnabunt; ut sæpissimè frustrà simus illud attentantes. Bona autem illa quæ ad vitæ conservationem necessaria sunt, ideo determinatiùs cognoscuntur, & expetuntur ab omnibus, quia causarum etiam necessariarum nexus cum effectibus suis naturaliter determinatur, & unicè ex iis investigari possunt: earúmque investigatio, & applicatio ad suos effectus jucùndior est humano ingenio certitudinem quàm minimè fluctuantem anhelanti. Addo etiam opus conservandi, perficiendíque naturam *v. g.* humanam opus esse majorem postulans & scientiam circa rerum naturas, & solertiam, ac industriam in inveniendis, utendísque mediis eum in finem, quàm opus perdendi & corrumpendi eandem naturam humanam. Id enim à mero neglectu, aut ignorantia facilè fieri potest, à viribus hominis admodum imbecillis, aut alterius contemptissimi animalis perpetratur sæpiùs. Maxima autem ad Boni publici prosecutionem (quod omne omnium hominum bonum complectitur, adeoq; maximum est) requiritur sapientia: & quævis stultitia illud aliquatenus minuere & turbare potest. Sapientiam autem cuivis rationali naturæ magìs naturalem esse & intrinsecam supponimus, quàm stultitiam. Adeoque actus voluntatis, & externi conatus ad conservationem communis boni facientes naturaliter sanè perfectiores gràtioresque sint necesse est, magísq; convenientes eidem naturæ rationali: nisi fortè error aliquis Judicii, aut habitus indè enatus, atque ideo malus, animo accesserit; unde fiat, ut quæ naturam lædunt,

grata tamen ipsi videantur, velut aquæ nimiæ potus hydropico, aut febricitanti. Certum enim est perfectionem intrinsecam & naturalem voluntatis, seu animi, hominísve in eo consistere, ut ea velit quæ Intellectus sapientissimus (plurima, & maxima plenissimè comprehendens) rectissimè statuerit rebus plurimis ac maximis esse summè bona. Quippe consensus & harmonia inter actus ejusdem hominis quorum unus, scilicet Actus Intellectûs rectus, & naturæ perfectivus esse agnoscitur, evidentissimè meliorem animi statum indicant, quàm dissensus quo idem à seipso divellitur, ac sese oppugnat: ideoque ubi Intellectus ponitur perfectissimè agere (quod fit cùm plurima, maximáque perpendit, atque inter se componit ut optimus universi status atque ordo in Idæa exsurgat; omniáque præsertim rationalia commodissimè sibi invicem conveniat) ibi necessariò perfectio voluntatis in comprobatione talis judicii sese exseret. Adeoque cùm circa futurorum actuum sive immanentium, sive transeuntium determinationem utraque Facultas exerceatur, determinatio ad optima plurimis facienda mox sequetur. Hujusmodi autem actiones esse quæ in cura *Boni communis*, velut maximi finis, requiruntur, evidentius est quàm ut probatione careat; adeoque has intrinsecas mentis perfectiones includi: non actionem solùm, sed & circa Bonum, idque Entium nobilissimorum, nobis conjunctissimorum, & quidem omnium maximum quod omnibus simul adesse potest, ex consensu, ac naturali ordine omnium facultatum nostrarum eliciendam.

§. XV. Rationem hanc quâ probavimus Fœlicitatem voluntatis in diffusissima benevolentia positam esse, magnoperè firmat Experientia, cujus ope ingentem sentimus suavitatem in Amoris, spei, gaudiíque exercitio circa bonum, non nostrum solummodo, sed & alienum. Nempe beatitudinis partes essentiales sunt hi affectus, & intrinsecam sibi habent jucunditatem, & experimur indies nos alienâ

mo-

moveri fœlicitate: Magnâ itaque Fœlicitatis suæ parte hominem spoliat, qui illi adimit suavissimum affectum Amoris & benevolentiæ erga alios, gaudiísque circa aliorum Fœlicitatem occupati. Angusta admodum est circa nostra tantummodo commoda Lætitiæ materia; sed eadem erit amplissima, si aliorum omnium Fœlicitas cordi nobis sit. Quippe hæc ad illam eandem habebit proportionem, quam habet immensa Beatitudo Dei, totiúsque humani generis, ad curtam illam fictæ fœlicitatis suppellectilem, quam uni homini eíque invido, & malevolo fortunæ bona possint suppeditare. Nulla certè virtus ejus animum exornat qui benevolos erga genus humanum affectus ejecit. Immo odium & livor quæ animum hominis sua tantùm spectantis replent, molestiam ac tristitiam, metum ac solitudinem necessariò secum ducunt: quæ vitæ beatæ planè adversantur. Facultates si percurramus singulas, videbimus eas postquam maturi evasimus vigore suo, & Fœcunditate quasi turgere, majorésque esse quam ut exerceantur circa nosmet-ipsos. Intellectus pronus admodum fertur in considerationem eorum quæ aliis, non minùs quàm nobis, sint utilia. Hinc ortum duxêre Scientiæ omnes summo studio inventæ, & in publicum commodum evulgatæ. Voluntatis autem affectus, suaviores (qui bonum spectant) Amor nempe, Desiderium & Gaudium, quorum usu secundùm Rationem beamur maximè, vix locum habent in Timone aliquo misanthropo; certè non possunt se latè diffundere, nec admodum dulces esse, nisi multorum Bonum diligenter moliamur. Ratio autem communis omnium hominum, dum præcipit ut quàm possumus fœlicissimi esse contendamus, jubet ut explicemus has animorum nostrorum vires, & in latissimi communis Boni campum eas effundamus confertim; ut eum quâ possumus industriâ colentes, & publicæ Fœlicitatis florem deosculantes, nostræ Beatitudinis mel innocuè delibemus.

§. XVI. Quoniam autem multa quæ dicturus ſum de Moribus, hinc pendent, alia adjiciam eodem facientia. Cùm certum ſit è natura voluntatis, actionísve voluntariæ, maximi Boni effectionem eſſe Finem maximum à ratione præſcriptum, illud erit vel maximum Bonum commune (quò refero, quicquid cum eo conſiſtit) vel maximum quod poſſibile videtur cuivis ſingulari, ut ſuum quisque finem, maxima nempe quæ ſibi cupere poſſit commoda, proſequatur, omniáque huic ſubordinare conatur. Nam Familiæ alicujus, vel Civitatis Bonum, vel nondum ſupponitur ſpectari, vel ſi ſpectetur, iisdem fere conſequentiis urgetur, quibus proſecutio privati alicujus boni. Non permittit ratio ut cujusvis ſingularis bonum maximum quod cupere poſſit vel imaginari, pro ultimo fine ſtatuatur. Quippe cùm bona certiſſimè ſit actio quæ ad finem verè ultimum rectâ, ſeu maximo compendio perducet, poſitis diverſis finibus ultimis quorum cauſæ ſint oppoſitæ, oppoſitæ ſibi invicem erunt actiones verè bonæ; quod eſt impoſſibile. *v. g.* Si recta Ratio Titium doceat ejus Fœlicitatem poſſibilem, finémque quærendum conſiſtere in fruitione pleni dominii in fundos, quos occupârunt Sejus & Sempronius, eorúmque perſonas, atque aliorum omnium fundos: Non poteſt vera Ratio Sejo & Sempronio dictare eorum Fœlicitatem quærendam poſitam eſſe in Fruitione pleni dominii in fundos, & perſonam Titii, aliorúmque pariter omnium. Hæc enim apertam includunt Contradictionem, adeoque alterum tantum dictamen verum ſupponi poteſt. At cùm nulla ſit Cauſa, cur unius horum Fœlicitas ipſi ſit ultimus finis magìs quàm alteri ſua, colligere licet rationem dictare nemini, ut ſuam tantùm Fœlicitatem ſibi ut finem maximum proponat, verùm unicuique ſuam potiùs cum aliorum fœlicitate conjunctam; atque hoc eſt quod quærendum contendimus commune Bonum. Nempe illud ſolum eſt unus ille *Finis* cum ſumma poſſibili ſingulorum fœlicitate conſiſtens, cámque maximè promovens; in quem & naturæ

impe-

impetus suum, & Ratio commune bonum spectans conspiret. Et sanè pertinet ad intrinsecam perfectionem rationis practicæ, seu prudentiæ (in quocunque tandem sit Subjecto, ut omnibus à recta Ratione dirigendis unus finis proponatur, qui omnibus communis sit mensura Boni & Mali: seu ut rationalia omnia unum effectum spectent; cujus & partes essentiales, & causæ, nempe efficientes, conservantes, perficientésque, bona dicuntur: quæque illius productionem, &c. impediunt, mala. Vaga quippe aliter erunt boni, malíque nomina prorsus æquivoca, aliud significantia cùm ab aliis usurpantur; & quicquid uni bonum dicitur quia propriis illius usibus inservit, id alii omnes quia ipsorum cupiditatibus non deservit, malum dicent; quod scientiæ, & cognitionis communicationi qui finis est sermonis, incongruum est. Sed si hæc verba applicentur ad ea quæ communiter humani generis intersunt, sensum habent determinatum, & longè omnibus utilissimum. Addo etiam quòd si quis suum tantummodo bonum respiciat, eóque omnia agentia Rationalia velut ad summum suum finem, cui unicè deserviant, pertrahere laboret, is nihil efficiet, nisi fortasse ut ipse se perdat. Quippe manifestò impossibile est ut res omnes, & personæ secundùm voluntates singulorum hominum contraria volentium disponantur. Effectus enim voluntatis cujusque in res externas est determinatio quædam motûs physici; utì patet in assumptione cibi, vestium, comitatûs, &c. Determinationes autem oppositæ corporum naturalium se invicem tollunt. Nam si in oppositos terminos simul moveretur quodlibet corpus, necessariò in pluribus simul esset locis. At si impossibile sit singulis omnes & omnia sibimet subjicere, ratio quæ hunc finem proponit singulis qui uni tantùm contingere potest, sæpiùs quàm millies proponeret impossibile, & semel tantùm possibile: ideoque recta magìs, an erronea foret, facili calculo quivis computabit. Cæteri enim homines & suas habent vires naturales, & appetitus innoxios, quibus sive velit ille,

 sive

ſive nolit, obtemperabunt; & ſuæ prætereaRationis fruuntur luce cui ad majora quàm unius hominis voluptatem quærenda dirigenti meritiſſimè obſequentur, faciléque ſe ab unius, aut paucorum inſolentia tutabunt; ut veſanus ſit oportet, non rationalis, qui talia non prævideat, ſed bellum moveret contra omnes, ut armis experiatur, an ſibi aſſerere poſſit portentoſum illud jus Hobbianum. Illud ipſe definit eſſe *Facultatem agendi ſecundùm rectam rationem*. Ego verò illam tantummodo rectam Rationem practicam eſſe dixerim, quæ poſſibilia tantùm aggredi permitteret, hominémque vetet ſibi ſoli in omnes, & omnia dominium fruſtraneum, aut ipſi pernicioſum arrogare. Vide ejus *Cap. 1. §. 10. 12.* Contrà verò dum publico quivis deſervit, operam nunquam lidit, ſed ejus vis licèt unum fortè attingat immediatè, ipſum ſæpe multis utiliorem reddit, nobiſque ipſis aliquando nihil præter animi gaudium ex aliena proſperitate ſperantibus noſtræ beneficentiæ meſſem non ingratam rependit. Præterea Bono Communi ſtudere cujusvis rationalis intrinſecæ illi perfectioni Voluntatis, quæ in innocua Philautia conſiſtit, addit Actiones pariles multas, & nobiles, circa objecta ſibi ſimilia: habitúmque indè enatum complet enim φιλανθρωπίαν (cujus particula tantùm φιλαυτία) Suum autem bonum ſupponimus quemlibet quærere, ídque agere ad perfectionem ejus pertinere. Ergo ſimiliter inſuper agere erga alios (inter quos Deus ipſo longè præſtantior) perfectionem ejusdem Naturæ cum illa quæ in actione circa ſuum bonum conſiſtit, adjiciat; Lætitiam ſcilicet ex actionum ſuarum conſenſu inter ſe oriundam. Gratius enim eſt menti humanæ conſenſum in ſe, & actibus ſuis obſervare, quàm in conſonantiis Muſicis & figuris Geometricis. Nempe ut ſimiliter judicare de rebus ſimilibus, ita & ſimiliter erga eas eſſe affectum ad perfectionem pertinet mentis humanæ. Contratria judicare de rebus quæ inter ſe conveniunt, contradictionem implicat, & inſania quædam eſt, ideoque velut

mor-

morbus animi vitatur in theoreticis judiciis; nec minor est imperfectio, sed mera est contradictio in practicis dictaminibus, quando in casu prorsus simili, meo *v. g.* & alieno, dissimiliter agendum esse statuimus in judicio practico, & voluntate illud consequente. Immò verò quoniam sua cuique Natura utpote semper præsens, singulis notissima est; & exinde etiam aliorum hominum non minùs nota (quoad essentialia ea & generalia, in quibus omnes conveniunt, & in quibus ut nostrum, ita aliorum jus ad media vitæ conservandæ necessaria fundatur) sequitur illum qui in simili alterius hominis jure statuit aliter, quàm in suo, sibi contradicere in materia notissima, & perpetuò sibi obviâ; talis autem contradictio, præ aliis, mentis sanitatem, pacem & in agendo contentationem maximè violat: ut in his uniformitas maximam affert tranquillitatem.

§. XVII. Ad hoc caput pertinet, quòd qui actus quosdam ad suam Fœlicitatem necessarios judicaverit, non possit, salvâ Ratione, non consentire ut alius quilibet similiter statuat ad suam Fœlicitatem facere similia, & ut pariter eos ex hoc judicio exequatur. Itaque si quis accuratiùs observet quid in propositionibus practicis quemque ad sui conservandi studium determinantibus contineatur, videbit aliquid quod aliis, juxtà ac ipsi imperet suam conservationem curare; idque vetabit eum oppugnare alios quoslibet idem facientes. Enimverò in hac propositione, *Licet Hobbii natura humana ea sibi sumere quæ facultates suas conservabunt, aut perficient*, includitur velut prior naturâ hæc indefinita (quæ necessariâ Terminorum identitate transit in universalem) *Licet Natura humanæ (cuivis) ea sibi sumere, vel agere quæ facultates ejus conservabunt aut perficient.* Dicat mihi Hobbius, quid faciat additio Nominis proprii, quo magìs prior propositio sit evidens Rationis dictamen, *i. e.* Lex Naturæ, quàm posterior, quæ tantundem pronuntiat pro quovis alio? Sin fateatur jus esse cuivis indè ortum ad quidlibet faciendum, uti *Cap. 1, §. 10.*

con-

contendit, quoniam absurda quæ exinde sequuntur, anteà ostendimus; his visum est hoc tantùm regerere quòd determinatio generalis istiusmodi Legis ad singularis cujuslibet hominis (*v.g.* Hobbii) Naturam non potest immediatè, vel per bonam consequentiam contradicere pari ejus determinationi ad alium quemvis: nec potest cujusquam jus seu libertas ab ulla Lege relicta eò extendere, ut liceat oppugnare ea quæ aliis eâdem Lege imperantur facienda. Immò procul dubio cujusque in bona Lege delectatio, & propensio ad Actiones uniformes, & erga Legslatorem reverentia efficient, ut dum absque ulla sibi noxa fieri potest, ad alios in ejusdem Legis observantia juvandos propendeat, quod efficiet ut communi Bono unusquisque inserviat, qui ad principia suam conservationem imperantia probè animum advertat. His argumentis coronidem imponet, & ad sequentia ab effectis mediatis viam muniet hæc Ratiocinatio. Actiones nostræ quæ faciunt ut intimè sentiamus, nos (quantum possumus) fecisse ad nostram ipsorum aliorúmque simul fœlicitatem, suavissimâ nos lætitiâ perfundunt, adeoque nos beant. Actiones ad Bonum commune collimantes hoc faciunt. Ergo, &c. Major à fœlicitatis nostræ (quatenus quidem est in nostra potestate) definitione sumitur, ideoque probatione non eget. Minor autem facillimè probatur, considerando eam esse Naturam humanam, ut non possit non intimè persentiscere, quicquid ipsa consultò agat; qualiter semper agentem supponimus sapientem Boni communis studiosum. Suam autem fœlicitatem negligere nequit qui sapienter quærit ut omnibus quorum ipse unus est, prosit. Finis cura efficiet ut suas vires perfectionésque omnes conservet, augeátque; quia media sunt quibus finem assequatur. Immò verò nihil magìs efficere potest ut Deum, homines, omnésque causas efficacissimas sibi conciliet, & adjungat sibi in societatem operæ quâ suam juxtà ac aliorum fœlicitatem quærit. Quid enim efficaciùs Deum hominésque sollicitare

potest

poteſt in ejus auxilium quàm ſinceri hujusmodi affectus, ac conatus omnibus grata faciendi? Certè cùm nihil majus ſit in hominis facultatibus, nihil majus à Deo, hominibúsve ab illo poteſt expectari: denique præmiis immediatè à Natura annexis; ſtudio Boni communis annumeranda eſt multifaria illa voluptas quæ provenit ab exercitio virium & propenſionum omnium quas humanæ naturæ ineſſe, & in hunc præcipuè finem adaptari fusè oſtendimus in capite de *Humanâ Naturâ*, quò referendus eſt Lector.

§. XVIII. Tranſeamus ad conſiderationem effectuum bonorum à Deo certò expectandorum & ab hominibus longè potiùs, ſi per vitæ decurſum benevoli ſimus illis, quàm ſi dolo malo aut vi omnia per totum pariter vitæ decurſum nobis arrogemus. Clarior erit præſagiendi ratio, ſi integer vitæ ſtatus utrobique conferatur, quàm ſi pauci tantùm actus; & ſufficit deliberantibus de futuris actibus quorum alterum neceſſe eſt, eliciamus, illud evincere, longè certiorem eſſe boni majoris ex hac parte expectationem, cùm neutrobi ſit locus certæ demonſtrationi. Atque hac equidem de causâ non immeritò queſtus eſt olim Seneca, homines etſi de *partibus vitæ ſuæ deliberent, de tota tamen* (quo nempe modo uniformiter tranſigatur) *non deliberare.* Hoc certè ſi facerent, non poſſent non evidentiſſimè conſpicere hominem, qui Dei, hominúmque aliorum omnium jure inſuper habito omnia ſibi ſemper arrogaret, quíque ſe ſolum unicum omnium ſuarum Actionum finem faceret, Deo hominibúsque omnibus exoſum fore, & neceſſariam in caput ſuum accerſere perniciem. Contrà verò illum qui amore, & obſequio in Deum, Innocentiâ & Benevolentiâ erga homines omnes fœlicitatem ſuam cum aliena conſiſtentem, & ab horum opera pendentem quæſiverit, conſultiùs agere & meliorem ſucceſſum meritiſſimè ſperare poſſe. Quanquam enim judicium noſtrum de futuris aliorum hominum, quos demereri ſtudemus, actibus ſit tantùm probabile,

quo-

quoniam tamen maximam habet evidentiam eorum quæ circa talia contingenter futura ſunt, haberi poſſunt ; & rerum gerendarum neceſſitas poſtulet, ut Mens futuros hominum actus proſpiciens non ſit indifferenter pendula, ſed hos potiùs quàm alios futuros eſſe præſagiat; hinc fit ut rationabilius ſit id agere quod major ſuadet probabilitas in noſtram fœlicitatem ceſſurum eſſe; quàm vel nihil agendo negligere omnes occaſiones hominum operam nobis conciliandi, vel vi, ac dolo homines adoriendo, incertò magis belli aleæ ſpes noſtras committere. Enimverò inter incerta futura alia aliis longè probabiliùs futura ſunt: & horum ſpes pluris longè valet quàm illorum. Ratio autem experientiæ nixa differentiam inter ſpei hujus & illius valores inveſtigare novit, & exactè calculo Mathematico determinare (quod oſtendit Hugenius in Ratiociniis *de ludo aleæ*) Eadem igitur rectiſſima Ratio jubebit viam ad fœlicitatem aliquam propter auxilium ab hominibus probabiliùs ducentem eligere, ubi major certitudo obtineri non poteſt.

Ex his etiam concludere licet, quòd, ſi de omnibus (quantum poſſumus) bene merendo bona externa, ſive ad vitam neceſſaria, ſive tantùm ad vitæ jucunditatem requiſita acquirere non poſſumus; tum demum judicanda ſunt inter *τὰ ἐκ ἐφ' ἡμῖν*: atque hoc eſt fundamentum Regulæ illius Juris naturalis; *Quod licitè non poſſumus, inter impoſſibilia cenſendum eſt*. Hoc autem in re præ manibus ideo tutius jubetur, quoniam prorſus certum eſt quòd agendo ob bonum univerſi ſumma rei in tuto collocatur: Quippe hoc pacto nos quod in nobis eſt, maximúmque eſt ad vitam beatam momenti præſtabimus; uti ſuprà oſtenſum eſt: & Dei favor (cujus nutu reliqua omnia reguntur) certiſſimè conciliabitur, utì mox è principiis ab Hobbio & Epicuro conceſſis oſtendemus. Nam cùm homo nihil majus perſolvere poteſt quàm amorem, ejúſque conſequentia erga omnia entia rationalia (quorum caput eſt Deus) certiſſimum

eſt

est naturali lumine eum nihil ultrà debere (quippe nos non tenemur ad impossibilia) atque adeò nihil amore majus ab eo requiri. Eos autem qui quæ sui sunt officii erga Deum hominésque præstiterint, Deum egregiè faventem experturos esse nemo qui eundem mundi Rectorem è rerum natura agnoverit, unquam negabit. Non opus est itaque ut demonstrativè sciamus, alios homines nobiscum benevolè gratóque animo acturos esse, & bonâ fide pacta servaturos esse, priusquàm ratio nobis dictare possit ad fœlicitatem nostram juxtà ac alienam hoc facere, ut à vi & fraude nos abstineamus, nósque aliis benevolos commodósque præstemus.

§. XIX. Paucis complectar sententiæ nostræ summam. Obligatio cujusque hominis ad eliciendos actus communi omnium Bono deservientes (quæ summa est Legum Naturalium) innotescit iis modis, quibus cognoscimus Deum primam rerum omnium causam velle tales actus ab hominibus præstari, aut in ordinaria hujus mundi gubernatione ita rerum omnium vires disposuisse seu determinâsse, ut tales actus præmiis cohonestarentur, iísque contrarii pœnis mulctarentur. Nihil autem refert, an distributio hæc pœnarum ac præmiorum fiat statim, an ad tempus differatur; modò temporis illud intervallum præmiorum ac pœnarum magnitudine compensetur: ídque adeò certò præsciri possit, ut rationum hoc suadentium pondus manifestò superet omnes quicquam in contrarium suspicandi causas.

Sepositâ autem Revelatione per Prophetas in Scripturis factâ, voluntas Dei his de rebus naturaliter cognoscitur; (1) Ex iis de Deo cognitis, quæ voluntatem hæc certò executuram in ordine synthetico distinctæ cognitionis antecedunt. (2) Ex effectis à voluntate ad hæc olim determinatâ provenientibus. De posteriore hac voluntatem divinam cognoscendi viâ diximus nonnulla, & plura quidem restant dicenda. De priore autem, quoniam vix quicquam

con-

concedent Adversarii, omniáque Dei attributa ex effectis à nobis Analyticâ methodo eruenda sunt, parciùs loquemur.

Visum est tamen hæc pauca hoc in loco suggerere. Necesse est ut systematis mundani Opificem summâ Ratione, Sapientiâ, Prudentiâ & Constantiâ præditum esse concipiamus. Sunt enim hæ perfectiones quarum partem aliquam in nobismet ipsis (illius effectis) sentimus; nec fieri potest ut in effectis quicquam perfectionis reperiatur, quod in causa non continetur; At hæ perfectiones voluntatem ejusmodi quam quærimus, antecedunt, & ad eam quasi perducunt. Ergo cognoscatur ejusmodi Voluntas Deo inesse. Minor autem declaratur & probatur exinde, quòd necessarius sit consensus inter rectam hominis Rationem practicam ac voluntatem indè consequentem, & Rationem seu Judicium ac voluntatem Dei eodem de Objecto. Judicium enim utriusque, hoc ipso quòd est rectum, est eidem rei conforme; adeoque à se invicem dissentire nequeunt. Res autem de qua statuitur quicquam in judicio practico, est vel finis, vel media ad finem; de quibus utrisque pronunciatur, quid sit optimum. Quare eundem finem optimum esse, seu boni Naturalis plurimum in se complectiDeus judicabit, quem Ratio cujusvis hominis verè statuit ita se habere, paritérque de mediis pronunciabunt. Exemplo res fiat apertior. Si quis hominum rectè statuat Bonum commune omnium qui secundùm normam rationis agent, majus esse bonum quàm bonum seu fœlicitas unius hominis (hoc autem perinde est ac si judicaret totum esse majus suâ parte) dubium non est, quin idem sentiat Deus. Et eodem res recidet, si pronuncietur fœlicitatem omnium majorem esse quàm fœlicitatem similem cujusvis numeri qui minor sit. Fœlicitas autem quâvis aliâ major, est maxima. Nec ab hoc diversum est judicium, quo pronunciamus fœlicitatem summam quæ rationalibus universis competere potest, finem esse maximum seu summum, quem quisquam Rationalium prosequi pos-

possit. Quippe finis possibilis nihil aliud est quàm bonum illud, aut ea fœlicitas quam sibi proponat quispiam prosequendam. Ideoque dubitari non potest, quin Deum hìc quoque habeamus consentientem. Quoniam autem ipse est è Rationalium numero, nec intelligi potest rationaliter agere sine fine quem sibi proponat, nec major esse potest finis quàm dictum bonorum omnium aggregatum, necessariò intelligimus eum hunc finem judicare eorum omnium optimum esse quos sibi proponere potest. Nec dubitari potest, quin ens perfectissimum illum finem prosequi velit quem rectè judicavit esse optimum, omnibus circumstantiis accuratè expensis. Quippe nulla ratio esse potest cur infra illum subsisteret; nec sine ratione, multò minùs contra illius dictamen, agere potest voluntas perfectissima. Quanquam enim hìc obligatio Legis propriè dicta quæ à Voluntate superioris alicujus provenit, locum non habeat, intrinseca tamen ipsi, constantissimáque perfectio longè rectiùs & constantiùs ipsam in consensum cum intellectu omniscio determinabit. Contradictionem enim implicat eandem voluntatem esse simul Divinam seu perfectissimam, & ab Intellectûs Divini dictamine perfectissimo dissentire. Posito autem quòd Commune Bonum sibi velut finem Deus proponat, facilè colligitur eum velle homines eundem finem prosequi; & manifestum est distributionem præmiorum & pœnarum inter homines medium esse summè necessarium quo ipsi certissimè ducantur in consensum cum Divina voluntate, aut huic fini promovendo libenter cooperentur, & ab actionibus illi contrariis deterreantur. Vult itaque Deus pœnas & mercedes quas ipse novit ad tutandum hunc finem sufficere. Vult, inquam, illas & decernere & re ipsâ opportunè distribuere. Unde colligatur quòd si quid necessarium ad hunc finem hac in vita defuerit, id à Deo in vita futura suppletum iri. Atque hâc præsertim ratione nixa sunt Ethicorum præsagia de fœlicitate, aut miseriâ

hominum hâc vitâ functorum, prout actiones illorum fuerint bonæ vel malæ. Verùm hæc ex ipsorum scriptis facilè discantur.

§. XX. Ego ex iis quæ de Ratione ac fine Dei ostensa sunt hoc potiùs colligendum esse monerem, ex his demonstrari posse benignitatem, justitiam, æquitatem, cæteráque attributa quæ analogiam quandam habent cum Virtutibus hominum, Deo, ejúsque actionibus re ipsâ inesse; ipsúmque adeò velle homines per præcepta præmiis ac pœnis munita regere; quod quidem Epicuri ἀπρονοησίαν funditùs evertit. Manifestum enim est, & hæc omnia attributa huc spectare, & totum insuper regiminis (seu Providentiæ Divinæ pro qua contendimus) negotium in hoc solo nobis noto consistere, ut commune Rationalium omnium bonum per media maximè inidonea promoveatur. Idque clariùs constabit ex iis quæ de Virtutibus & de Regimine Politico postea dicenda veniunt.

Hîc hoc solum adjicere visum est, frustrà Epicuræos Deo Beatitudinem tribuere & Majestatem nisi in eo agnoscant Sapientiam, seu Prudentiam, & Justitiam, omnimodámque adeò Virtutem. Omnes enim Virtutes in Prudentia quæ ad finem optimum per idonea media dirigit velut in fonte continentur, ídque ipse agnovit Epicurus. Eæque omnes sunt tantum partes integrantes Justitiæ universalis. Nulla autem esse potest agentis Rationalis Beatitudo aut Majestas, imò dignitas nulla, si nulla ei insit prudentia, nulláque virtus prudentiæ consentanea. Nec prudentia esse potest ulla, nisi finis optimus sumatur ac media maximè congrua; nec hæc sumi possunt, si non sint suâ naturâ fixa & determinata, hoc est, si nihil sit bonum antequam eligatur, & alius finis alio non est melior, nec medium aliud medio alio magis idoneum, *v. g.* Si publicum bonum non sit privato majus seu melius, & si innocentia, fides, gratitudo, &c. huic fini promovendo non sint aptiora media quàm feritas, perfidia & ingratitudo. Certè potentia, quantacunque cogitari

gitari poteſt, ſi ſine Sapientia ac Juſtitia ſpectatur, beatitudinem ac majeſtatem majorem non habet, quàm quæ in maſſa plumbea infiniti ponderis reperiatur; Pondus enim eſt inſtar cujusvis Potentiæ, uti nôrunt Mechanici. Quin etiam idcirco pluris valet hæc argumentatio contra Epicureos, quoniam ipſi, ſi Gaſſendo credamus, aut etiam Vellejo, qui apud Ciceronem eorum dogmata tuetur, agnoſcunt beatitudinem eorum in hoc quoque conſiſtere quod ſuâ gaudeat ſapientiâ ac virtute. His autem nulla relinquitur materia in qua exerantur, niſi fateantur eum ſummum illum finem Communem, & media illuc ducentia curare. His ſublatis nomen tantùm Sapientiæ ac Virtutis aut Deitatis relinquitur, res tollitur.

§. XXI. Huic argumento ab attributis Divinis ducto cognatum eſt illud quod ſumitur à notione primæ Cauſæ, quâ primò Deus hominibus ex operibus ſuis innoteſcit; in illa enim notione continetur quòd creaturæ omnes, præſertim verò Rationales, à Voluntate Dei acceperint exiſtentiam ſuam, omnêsque adeò vires ipſarum Naturæ intrinſecas. Quoniam autem certum eſt bonum Commune hominum nihil aliud ſignificare prẹter naturẹ ipſorum conſervationem, viriúmque ipſis intrinſecarum ſtatum vegetiſſimum; mens humana non poteſt non judicare eſſe longè credibilius, quòd eadem conſtantiſſima voluntas à qua hominibus datum eſt eſſe, pariter mallet ipſos porro eſſe & valere, hoc eſt conſervari & fœlicitate frui (quantum patitur neceſſaria reliqui Syſtematis (quod ſimul fecit) natura) quàm ab illo deturbari de ſtatu, in quo ipſos collocavit, absque ulla vera neceſſitate, quæ à ſolo reſpectu ad totius conſervationem oriri poteſt. Suppono enim è vera Phyſiologia notum eſſe naturales rerum viciſſitudines, interitus, ortúsque è legibus motûs, quibus integrum ſyſtema Mundi conſervatur, ſemper oriri. Certe ejusdem eſt bonitatis facere ut homines ſint, &, ut juxta conditionem eſſentiæ quæ iis data eſt, efficere ut conſerventur & juventur

 quo-

quoad patitur universi ratio. Quoniam autem hominum nec vis nec intellectus assequi potest quicquam majus circa creaturas quàm quod spectat ad generis humani conservationem, necesse est ut existimet hoc maximum esse quod illos curare vellet Deus. Nec dubium est quin, cùm hanc curam homini committat, præmiis ejus fidem ac diligentiam cohonestabit, ac pœnis perfidiam aut ignaviam arcebit. Sic scilicet è voluntate creandi cognoscitur voluntas conservandi, tuendíque homines. Ex hac autem innotescit obligatio quâ tenemur ad inserviendum eidem voluntati notæ. Eodem fere modo colligimus velle Deum se ab hominibus honorari: Quoniam enim in creatione & conservatione hujus, quod incolimus, Systematis tot voluit esse suarum perfectionum indicia, hominésque eâ voluit esse conditione, ut si Intellectûs sui vires exererent, non possint non ea observare, voluit eos scire qualis est, & agnoscere: Quoniam autem voluit homines esse rationales, id est sibi constantes, & omnem contradictionem aversari, vult ipsorum dicta ac facta animorum cogitatis de illius perfectionibus consentire, hoc est, vult ipsos eum colere & honorare.

§. XXII. Secundus autem modus cognoscendi Deum velle actus ad bonum agentium Rationalium commune conducentes ab hominibus præstari; seu, velle tales actus præmiis decorare, contrarios pœnis coercere, sumitur ex effectis hujusce voluntatis, id est, ex ipsis pœnis & præmiis, quæ propter intrinsecam hominum omnium totiúsque hujus Systematis mundani compagem, Divinâ Voluntate constitutam, Actus humanos naturaliter & ordinariò sequuntur; hominésque aut mulctant malis, aut bonis augeant. Dubitari enim non potest quin Deus qui ita naturalem rerum omnium ordinem constituit, ut talia sint actionum humanarum consequentia erga ipsos actores; fecítque ut ordinaria hæc consequentia ab ipsis præsciri possint aut summa cum probabilitate expectari; voluerit hæc ab iis

consi-

considerari, antequam ad agendum se accingerent; atque eos his provisis velut argumentis in Legum sanctione contentis determinari. Talia autem effecta sunt tum internæ illæ quæ nobilissimas quasque ad bonum publicum collimantes actiones comitantur, deliciæ mentis, ac è contrà furiæ illæ, seu metus, & ægritudines animi quæ flagitiosos insectantur; tum etiam extrinsecùs adventantes pœnæ, ac mercedes ab aliis rationalibus, qui secundùm rectæ Rationis dictata de fine optimo & mediis eo modo genus humanum à pernicie tuentur & communem promovent fœlicitatem. Cùm enim homines, quotquot verè judicant de Bono seu Fine maximo, & de mediis (*v. g.* Bonum commune esse maximum finem qui proponi potest,& pœnas ac præmia esse media eò conducentia) ad hæc judicia practica determinentur à Natura Rerum de quibus statuunt, quarum impressiones in intellectum humanum sunt prorsus necessariæ,causarum autem hujusmodi necessariarum determinationes omnes à prima Causa proveniant; sequitur, dictata illa rectæ Rationis quibus homines quilibet de necessitate pœnas & præmia distribuendi statuunt in ordine ad Bonum commune, velut finem suum optimum, à Deo provenire, hoc est, homines omnes à Deo, mediante rerum naturâ, determinantur ad judicandum tum Bonum commune esse finem optimum,seu bonum maximum quod prosequi possit,& in quo possint homines omnes naturaliter consentire, utpote quod privatam singulorum fœlicitatem (quantum rerum omnium natura patitur) complectitur: pariterque necesse esse velut medium ad hunc finem ut singuli quoad possint curent,ut pœnę ac præmia distribuantur, quibus actus huic fini consentanei cohonestentur,contrarii autem reprimantur.

Quoniam autem in his propositionibus de fine optimo & mediis eò ducentibus, seu de bono maximo ejúsque causis, quæ in hominũ sunt potestate,continentur omnes illæ Conclusiones quas Leges Naturæ dicimus; sequitur, omnes unà

cum propositionibus prædictis hominum mentibus à primæ causæ voluntate imprimi, eámque adeò voluisse ut pœnæ ac præmia distribuerentur, quoad ab hominibus fieri possit, juxta tenorem horum dictaminum practicorum: unde concluditur, omnem hujusmodi pœnam, & omne præmium sic distributum, secundùm ejus voluntatem distribui, eáque omnia effecta esse & indicia voluntatis Divinæ, quâ cognitâ obligatio hominum indè orta latere nequit. Manifestum insuper est quòd idem Deus, sibi semper constans, qui voluit homines bonum commune pœnis præmiísque quoad ipsorum vires valeant tutare, curabit etiam ut ubi hominum vires illud satìs defendere nequeant, suâ id potentiâ pariter protegatur.

Visum autem est huic eò diutiùs Argumento in hoc opusculo insistere, quoniam spes est adversarios suæ conservationi adeò intentos ejus vim libentiùs agnituros esse; & quia multa rei hujusce indicia in rerum natura videantur nobis proponi quæ diligentiorem postularent explicationem. Resolvimus itaque obligationem moralem (quæ Legum est effectus immediatus) in causam principalem primamque earundem, voluntatem nempe & consilium Dei commune bonum promoventis, ideoque propositiones practicas eò dirigentes annexis pœnis & præmiis ad legum formam sancientis. In hominibus autem suæ fœlicitatis cura quæ facit ut pœnas ac præmia perpendant, iísque moveantur, nulla erit obligationis causa, quippe quæ tota à lege, ejúsque latore fluit: Sed erit dispositio quædam in subjecto necessariò requisita ut lex per pœnas ac præmia apud hominem quemvis valeat ad officium re ipsâ præstandum. Uti contiguitas inter corpora necessariò requiritur ut aliud ab alio moveatur, moventis autem vis seu motus tantùm est causa cur mobile impellatur. Illud præterea considerari debet, obligari illos quorum adeò stupidus est animus ut voluntatem Divinam, & ab ea legi annexam sanctionem prorsus negligant. Quin etiam ea sui conservandi perficiendíque

cura,

cura, quæ Naturalis est, ac ab homine inseparabilis, & ea quæ à rectæ Rationis auxiliis insuper accedit, quámque fatemur inter προηγουμένας bonarum actionum,(licèt non obligationis) causas locum aliquem habere, tota est à Deo: ideoque hujus vis ab illius authoritate, aut honore nihil detrahit, nec suus illi locus erit denegandus.

§. XXIII. Interim tamen sua cujusque fœlicitas est pars valdè exigua finis illius, quem vir verè Rationalis prosequitur, & ad totum finem scilicet Commune Bonum, cui à Natura seu à Deo intertexitur, eam tantùm habet rationem, quam habet unus homo ad aggregatum ex omnibus Rationalibus, quæ minor est quàm habet unica arenula ad molem universi corporei. Quoniam Deus (inter quem & hominem nulla est proportio) inter Rationales numeratur, ejúsque honori, in quærendo bono publico, inprimis semper litatur, & simul consulitur omnium hominum fœlicitati, non modò qui nunc uspiam existunt, sed etiam qui per sæcula posthæc unquam futura generabuntur.

Denique ne quis obligationem legum naturalium, quam à voluntate & imperio primæ causæ deduximus, arbitrariam & mutabilem à nobis fingi suspicetur, hoc adjiciendum censui, Benevolentiæ, Virtutúmque adeò omnium exercitium ad fœlicitatem rationalium singulorum privatam, omniúmque communem, habere rationem Causæ Naturalis ad effectum suum planè naturalem, seu medii necessarii ad finem (sepositâ consideratione Imperii Divini) manente rerum naturâ tali, qualis nunc est. Hoc autem ita intelligo, utì agnoscunt plerique omnes, Additionem duarum unitatum duabus priùs positis necessariò constituere numerum quaternarium; aut utì Praxes Geometricæ & Mechanicæ problemata proposita solvunt immutabiliter; adeò ut nec sapientia nec voluntas Divina cogitari possit quicquam in contrarium constituere posse. Interim tamen certum est omnem actionem humanam, ejúsque omnem effectum à voluntate primæ causæ pendere, ipsásque adeò praxes

Arithmeticas, Geometricásque, earúmque effecta omnia indè proficisci seu existentiam suam obtinere. Tota autem nostra disquisitio est de existentia Legum Naturæ, & obligationis earum; quæ à voluntate primæ Causæ omnino derivanda est. Aliam autem non postulamus quam eam quâ rationalium vires, actus, & naturæ suam existentiam sortiantur, uti patebit ex iis quæ sequuntur. Quapropter tantum abest ut hinc colligi possit mutabilitas ulla in obligatione Legum Naturæ, ut è contrario id maximè studuimus evincere, fieri non sine multiplici contradictione, ut Deus simul velit Rationales esse tales quales sunt, & eosdem non obligari legibus iis Naturalibus quas proponemus. Hâc autem unicâ ratione probari potest quicquam à Deo fieri non posse; potest enim omnia, quæ contradictionem non implicant: Si quis autem putet eum contradictoria simul vera esse, facere posse, à paritate rationis verum esse poterit, eum id ipsum simul non posse facere; adeoque frustra erit hoc asserere. Prudentes itaque, opinor, omnes existimabunt me satis immutabilem fecisse legem Naturæ, si ostendero illam sine contradictione mutari non posse; dum Rerum Natura, & vis actualis (quæ à voluntate Divina pendent) manent non mutatæ. Id autem sufficienter probamus dum evincimus & communem omnium fœlicitatem è naturali efficacia actionum universalis benevolentiæ pervenire ostendimus, & singulorum fœlicitatem ab ea quâ omnes beantur, naturaliter divelli non posse: partim quidem quia singularum partium salus à totius salute realiter non distinguitur: partim etiam quia iisdem actibus quibus aliis inservimus, nosmet ipsos aliquatenus beamus, & quantum possumus alios ad gratam retributionem determinamus. Sic scilicet actus publicè utiles eorum authoribus præmia naturaliter conferunt: Contrarii autem actus non minùs naturaliter pœnas ac perniciem in eosdem trahunt.

§. XXIV. Nos itaque, misso illo jure omnium in omnia bellóque indè nato, quod uti ostendimus, frustra

cona-

conatur Hobbius stabilire, sumemus id quod manifestâ rei Veritate ductus concessit, è violatis iis Rationis dictaminibus, quæ vetant ut quis sibi jus in omnia vendicet, jubéntque pactis stare *&c.* in quorum observatione virtutes consistunt omnes, bellum sequi & omnium perniciem? dicimus hæc belli mala pœnæ naturam habere, quæ cum ejusmodi flagitiis à Rectoris voluntate universi hujus ordinem constituente connexa fuerit. Ex eo autem quòd monstrante rerum naturâ (adeoque ejus authore Deo id ipsum indicante) mens humana præmonetur de pœna cum tali actu connexa, indicatur obligatio ad abstinendum ab eo actu; vel mens sufficiente indicio prohibetur ne ita agat; eóque magìs quò actum illud aliis juxtà ac ejus authori nocivum fore indicatur. Certè mihi Commune Bonum (quo nomine liceat Dei honorem cum summa humani generis fœlicitate complecti) ipsâ vitâ suavius, eíque semper anteponendum videtur; atque adeò mala illa quæ vel Dei honorem minuant, vel undè summa mentium humanarum perfectio periclitatur, ipsâ vitæ cujusvis jacturâ majus malum habetur. Unde etiam in pœnarum naturalium censum refero, quòd legum naturalium violatio peccantis facultates præcipuas lædat, stultitiam ac errorem in intellectum ducat, ac perversam mali sub specie boni electionem.

Verùm quoniam rerum hujusmodi cogitationes, utpote à multa in mentes nostras reflexione pendentes, non adeò fortiter feriunt animos eorum qui corporis sui tutelæ, aut delectationibus aliquandiu unicè studuerunt; visum est ob oculos ponere mala hæc externa quæ agnoscit Hobbius è violatis virtutis præceptis, utpote necessariis ad pacem mediis, provenire, eáque considerare velut pœnam Legibus Naturæ ab ejus authore annexam, ut exemplo sensibus frequenter obvio commonstrem. Quomodo noxa in homines publicè nocuos è naturali causarum, præcipuè rationalium, constitutione ac intentione recurrens, & pœnæ definitionem integram exhibeat, & Legem contra noxas sic punitas è

Naturæ Opifice ſancitam eſſe indicet. Eâdem autem operâ elucéſcet quòd bona omnia quæ è pace ac concordia communis Boni ſtudio ſtabilitis, efflorefcunt, Mercedis rationem induant, & affirmativis virtutum præceptis Legis vim obligativam à Deo datum eſſe evincant. Deinde verò hinc facilè innoteſcit quo pacto mentium noſtrarum bona aut mala quæ è noſtris circa Bonum commune factis aut omiſſis nobis obventura prævideantur, nec non quomodo gaudia & dolores è percepta aliorum fœlicitate aut miſeria orituri indicent ad quos tandem actus obligemur. His autem gradibus tandem non difficulter aſſurgere poterit animus humanus ad ſuaviſſimum illius gaudii guſtum, qui percipitur ex intellecto mentis noſtræ conſenſu in principiis practicis, cum mente ac voluntate Dei effuſiſſimè benevoli, & ad æſtimandam doloris illius acerbitatem qui exoritur à clarè percepta repugnantia inter cogitationes affectúſque noſtros, & affectus divinos in hominum regimine conſpicuos. In his autem gaudiis noſtræ fœlicitatis apex; è contra in iis doloribus teterrima miſeria conſiſtit. Atque ideo præcipuam vim obligandi hinc dictatis rationis accedere affirmo. Unde cùm Leges omnem virtutem & efficaciam ſortiantur è voluntate Dei eorum obſervationi præmia, violationi pœnas tantas annectente, non eſt cur nomen legum Naturalium iis denegetur. Sed à ſenſibilibus & confeſſis incipiendum eſt.

§. XXV. Manifeſtum eſt ex ipſis (ſicut loquuntur Logici) terminis bene intellectis tantam malorum colluviem à bello, aut minùs ſævis omnium in omnes inimicitiis humanum genus inundare, ut ad ſingularium conſervationem neceſſarium ſit pacem quærere; pacis autem media neceſſaria ſunt aliis permittere quæ ipſis neceſſaria ſunt, pactorum fidem ſervare, gratum ſe commodúmque præſtare, cæteráſque virtutes colere, quæ (ſi intimiùs conſiderentur) Commune bonum ſpectant omnes. Hæc autem Hobbius vera eſſe concedit, ut videre licet *de Cive Cap. 1. §. 15. Cap.*

Cap. 2. §. 3. Cap. 3. §. *1.* & ſequentibus, eadémque repetit in *Leviathane*, ſed à ſui tantum conſervandi cura deducit; Bonum Commune ſaltem ante conſtitutas Civitates non agnoſcit. Interim tamen illud diligentiſſimè inculcat bellum in omnes, in quo nullam ſperare licet ſalutem, ſecuturum eſſe ex actibus quibus quisque ſibi jus in omnes & omnia vendicat, utpote qui contrarii ſunt apertè neceſſariis illis ad pacem mediis, quæ Virtutum nomine ſoleant celebrari. Veriſſimum certè eſt homines in omni ſtatu Naturæ ſuæ conſervandæ neceſſitate impelli ad eos oppugnandos, puniendóſque qui vitam ipſis ut ut innocentibus, aut jura in quibus vitæ conſervandæ media continentur, ereptum eunt. Hoc autem ipſo quòd hæc mala aliis rectæ Rationis juſſu infliguntur, propter actus humano generi nocuos, pœnæ ſunt; & propoſitiones illæ practicæ, quæ docent neceſſarium eſſe ad pacem ut aliis faciamus quæ nobis velimus fieri, violationi ſuæ pœnam hanc ab authore rationalis naturæ annexam habent, atque hinc integram Legum vim obtineri dignoſcuntur: nec jam ampliùs ſpectandæ ſunt tantùm ut propoſitiones quædam practicæ quorundam Problematum Mathematicorum conſtructionem docentes, quarum uſum quiſpiam tutò negligat; ſed propriè ſibi vendicant Legum nomen, ab obſequium Legibus debitum.

Scilicet hìc (uti in Civitatum Statutis) obligatio Legis è ſanctione ejus per pœnas & præmia cognoſcitur; jus autem ſic ſanciendi Leges Naturales reſolvendum eſt in auctoritatem Naturalem Dei, ſecundùm quam omnibus imperat: Legum autem harum vera bonitas innoteſcit ex actuum Imperatorum nexu naturali, ac neceſſario cum Boni Communis conſervatiòne aut incremento: Eo fere modo quo jus ſanciendi leges Civiles reſolvitur in imperantium auctoritatem, & earum bonitas in actuum qui imperantur aptitudinem ad Reipublicæ utilitatem promovendam. Exempli cauſa, ſumamus Univerſalem illam propoſitionem quam

præ-

præmisimus de Benevolentiæ erga omnes rationales vi ad benevolorum fœlicitatem procurandam; dicimus hoc nomine ad hujusmodi benevolentiam homines naturaliter obligari, quoniam Rector hominum mediis naturalibus efficit ut homines intelligant & se ita naturaliter animatum esse erga communem fœlicitatem, & se in ordine Naturæ constituendo ita causas, præsertim Rationales, disposuisse, ut qui communis Boni curam susciperent, hâc maximè ratione suæ fœlicitatis causas sibi conciliarent, in quarum auxiliis præmium Naturale continetur; & qui secùs fecerint suæ perniciei causas in se se concitarent. Enimvero quemadmodum multi Leges Civiles non discunt è scriptis publicè prostantibus aut à viva voce Legislatorum, sed è suæ Rationis judicio de boni publici causis idoneis, & ex observatione eorum quæ vident publicè honorata aut permissa aut punita; ita quænam sint Leges Naturæ Rationalis, seu Civitatis Dei, primitùs quidem discitur diligenter considerando, quænam necessaria sint ad omnium illius maximæ Civitatis subditorum fœlicitatem, & ad Dei in illa imperantis honorem; & observando quàm naturaliter ac necessario homines impelluntur ad illos coercendos qui his contraria sectantur. Non enim dubitari potest, quin prima causa illam pœnam infligi jusserit, quam recta & necessaria Ratio jubeat infligere; quippe illa à rerum natura exactè propensâ prorsus determinatur, adeoque à Deo rerum omnium Opifice. Similiter etiam colligere licet Deum iis actibus præmia decernere, quibus recta hominis Ratio præmia decernit; atque etiam ipsum illas propositiones de actibus aliquid ad Commune Bonum facientibus Legum vigorem obtinere velle, quas sancitis hoc modo pœnis ac præmiis (præ reliquis veris ac practicis) honoravit. Quin etiam à paritate rationis non obscurè colligi potest, quòd si Deus homines judicare doceat, necesse esse ad Commune Bonum & singulorum proprium ut actus quibus pacis conditiones violantur, postquam ipsis noti sunt, quantum ipsi valent, pœnis

pœnis coerceantur, non solùm ipsum ita judicare, ídque ab hominibus factum velle, verùm etiam quòd ipse similiter judicet de actibus pariter nocivis qui homines latent, aut quibus puniendis vires illis non suppetunt. Certissimum enim est omne rectum judicium adeoque Divinum, de re prorsus simili similiter statuere; & occultissimos actus ipsum latere non posse: adeoque nullam esse causam, cur à ferendo de iis judicio abstineat; quod sæpissime ab hominibus necesse est fieri, ne temerè pronunciando innocentes lædant. Obvia autem est omnibus hæc ratiocinatio, unde nequeunt non secum reputare Deum secretis illorum flagitiis pœnas constituisse, & injurias imbecillioribus illatas ulturum: Quippe non est cur quispiam dubitet quin velit ille hunc finem, Commune nempe Bonum, prosequi quo & ipsius honos & rationalium omnium fœlicitas continetur. Finis enim major esse non potest: & minor ab illo qui verè judicat pro summo haberi nequit. Hinc Conscientiæ angores, & obligatio à regimine Dei originem trahunt.

§. XXVI. Verùm revertamur ad pœnas ab hominibus inflictas propter violationem conditionum ad pacem necessariarum: plura enim restant de obligatione (quam indè monstrari dicimus) explicanda. Notandum enim est quòd etsi ejusmodi crimina aliquando evadant hominibus impunita, verè tamen affirmantur illi à Natura sua rectâque Ratione determinari ad ea punienda, quantum in ipsis est; adeoque per accidens fieri ut flagitiosos impunes abire quandoque permittant; Quemadmodum & alia effecta quæ facimus aut fieri sinimus per ignorantiam aut imbecillitatem naturalem casui potiùs quàm humanæ naturæ imputantur, & inter rarò contingentia à prudentibus numerari solent. Talia autem ut quisquam speret sibimet eventura, ac ut inter ejusmodi eventus media sibi quærat ad suam fœlicitatem, recta Ratio morum formandorum præcepta tradens nunquam cuiquam suaserit. Immò verò è contrà

tutis-

tutissimam esse per benefecta viam commonefaciet, quæ vel hoc nomine Deo nostræque Naturæ unicè grata sit; in qua nec metuendæ veniunt pœnæ à Ratione Divina constitutæ, quas nec vis hominum nec latebræ possunt eludere; nec illæ quas minantur homines, quæ saltem ut probabiliter futuræ spectandæ sunt. De his enim ut ut contingentibus, hoc tamen certum habet recta ratio, quòd, quemadmodum bona quæ contingenter tantùm futura sunt ratum quendam valorem, & veram aliqualis boni naturam in se continent, quam ex observatione causarum à quibus pendent, prudentes certo pretio nunc solvendo nôrunt æstimare; idque quotidiè fit in emenda spe reditûs è fundo, *v. g.* aut officio etiam post mortem cujuspiam proventuri, & in similibus: ita etiam mala his contraria in quibus pœnæ, quas ratio infligere docet, in omnes aliis innocentibus nocivos numerari debent, quanquam contingenter futura sint, præsentium & certorum malorum aliquantò minorum æstimationem recipiunt. Sic periculum amittendi vitam, sanitatem, oleum & operam, quod rebus inter homines gestis accidit, laborum pretium summa cum Ratione ubique gentium auget; adeoque certo & præsenti commodo pensatur, non minùs quàm præsens certúmque malum emergens & lucrum cessans. Quamobrem ratio Naturalis recta luculenter docet pœnæ imminentis periculum, licet contingere aliquando possit ut effugiat reus, certi alicujus præsentisque mali æstimationem subire. Sed quod minuetur quidem secundùm gradus spei, quam quis ex optima circumstantiarum omnium notitia habet pœnas illas evadendi. Cogitetur itaque pœna illa cujus periculo se exponit rei alienæ invasor aliquantò minor, quàm futura est, si modò re ipsâ illi post crimen commissum infligatur, id est, subducatur ab ejus magnitudine quantum ratio jubet, eo nomine quòd incertum sit an infligetur nec ne; & tamen restabit plus mali quàm quod compensari possit lucro ex invasione facto; excessus autem ille male pœnalis sanctionis vinculum

dicta-

dictamini Rationis de non invadendis rebus alienis adjicit. Hunc in finem illud facit magnoperè, quòd ratio naturalis omnes etiam citra Civilem diſciplinam edoceat eum in modum actuum iniquorum pœnas augere, ut quanquam iis multum detrahatur incertæ executionis nomine, reſtet tamen longè plus mali in pœnarum prævisarum æſtimatione quàm quod lucrum è nequitia proventurum præponderet. Hoc autem manifeſtum eſt, tam in pœnis quæ jure belli ex utravis parte infliguntur ob injurias etiam leviores in eos illatas qui eidem regimini Civili non ſubjiciuntur, quàm in iis caſibus in quibus Leges Civiles arbitrio ſubditorum, quibus injuria fit, ſcelerius pœnam permittant, *e. g.* ultio in eos qui alienas domos noctu effringunt, aut qui in viis publicis latrocinantur. In hujusmodi caſibus homines in ſtatum eum, qui Hobbio dicitur naturalis, quadantenus deveniunt, & in eo etiam leviora crimina capite plectuntur: Nec iniquè, quoniam propterea quòd ſæpe Magiſtratus Civilis de hujusmodi flagitiis non poteſt cognoſcere, ſæpe evadunt impunita; ideoque quandocunque ſumi poteſt pœna, ſumitur graviſſima, ut quantò magìs audacia ex ſpe frequentis impunitatis creverit, tantò magìs eadem ſummi ſupplicii metu retundatur: Atque hæc mihi videtur vera Ratio, cur horrenda admodum vindicta in bello quandoque ſit neceſſaria; immò & cur in Civitatibus graviores infliguntur pœnæ quàm quibus opus eſſet ſi omnia quæ perpetrantur crimina in judicium venirent ut ſtatim punirentur. Hæc autem id manifeſtum facere mihi videntur, pœnæ præſertim gravioris periculum (etiamſi ejus executio non certò ſciatur eventura) ab animo humano prævisum, vim habere conſtantem & perpetuam actus voluntarios è rationis conſilio ſuſceptos determinandi in eorum fugam quibus pœnæ illæ intentantur. Pariter etiam prævisio maximi boni probabiliter ſal[illegible] futuri ſemper in ſe habet pondus idoneum quod ad eos actus homines determinet, qui illi procurando ullatenus deſervire poſſint. Vel

ut

ut metaphoram explicemus, hæc argumentum ſuggerunt neceſſariò concludens, praxin legi conformem in cauſis fœlicitatis completæ, quam naturaliter expetimus, contineri, quod ad obligationem inferendam plurimum facit. Obligatio enim Legum Naturalium quæ hominibus naturalis dici poteſt, non adeò tollit liberi arbitrii vires quin obligati ſuo periculo aliter facere poſſint: Sed idoneum ſuppeditat argumentum ſeu cauſam impulſivam ſufficientem, cujus conſideratione moveatur obligatus ut agat aut ab agendo abſtineat, prout Ratio vel Lex ei præceperit.

§. XXVII. Hîc autem, ne videar diſcedere à communi verborum uſu, placuit paucis oſtendere, quomodo ea quæ dixi, ſatis conſiſtant in recepta obligationis definitione. *Juſtinian. Inſtit. lib. 3. tit. 14.* hanc exhibet definitionem. *Obligatio eſt Juris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundùm noſtræ Civitatis Jura.* Patet autem ea quæ de ſolutione dicuntur, & de ſua civitate ſpecialia eſſe, adeoque in generali obligationis notione, quam quærimus, omittenda eſſe. Quæ autem iis præmittuntur, generalia quidem eſſe, ſed obſcuritate quâdam è metaphoris oriundâ laborare. Vinculis enim propriè non aſtringitur animus humanus. Nihil eſt quod neceſſitatem quicquam faciendi aut omittendi menti humanæ de futuro deliberanti afferre poteſt, præter cogitationes ſeu propoſitiones exhibentes indicia boni aut mali, aliis aut nobis ex iis quæ faciemus proventuri. Quoniam autem naturali quâdam neceſſitate ad bona prævisa præſertim maxima quærenda, ad mala autem fugienda determinemur, hinc dictata illa Rationis quæ faciunt ut hæc ex actibus quibusdam noſtris proventura eſſe videamus, neceſſitatem quandam eos exerendi vel cohibendi nobis inferre dicuntur, & nos obligare; quippe bona illa cum fœlicitate noſtra quam naturaliter appetimus, neceſſariò ſint conjuncta, actúsque noſtri ad illorum aſſecutionem planè ſint neceſſarii. Ego itaque obligationem Moralem ſic univerſaliter

nec

nec incommodè definiri posse arbitror: Obligatio est actus Legislatoris quo actiones Legi suæ conformes eis quibus lex fertur necessarias esse indicat. Actio autem agenti rationali tum necessaria esse intelligitur, cùm certum est eam contineri in causis necessariò requisitis ad fœlicitatem illam quam naturaliter adeoque necessariò expetit. Sic obligamur ad Boni Communis prosecutionem, quando indicatur mentibus nostris è Natura rerum (Causarum præsertim Rationalium) nostræ observationi expositâ hunc actum esse causam necessariò requisitam ad constitutionem completæ nostræ fœlicitatis, eámque adeò naturaliter pendere à studio Boni Communis omnium Rationalium, ut sanitas membri pendet à sanitate ac vita totius corporis animati, aut ut efficax esse nequit conservatio virium in manibus nostris insitarum, nisi prior habeatur ratio conservandi vitam virésque per totum corpus nostrum diffusas. Quippe propria cujusque fœlicitas non minùs naturaliter dependet ab influxu Primæ Causæ, & operâ mutuâ aliorum rationalium Communis Boni studio conciliandâ, quàm manus à reliquo corpore; quanquam dependentia unius hominis ab aliis in paucioribus consistat, & sæpe sit ea quæ est inter causas remotas ac effecta sua, adeoque non est adeò perpetuò manifesta: Prætereà verò antea ostensum est prosecutionem Boni Communis ad fœlicitatem cujusque requiri ut causa ejus intrinseca; nempe in ejusmodi actibus status facultatum nostrarum fœlicissimus consistit; hîc autem discimus iis actibus ejus conservationem & perfectionem ulteriorem à Deo hominibúsque aliis efficacissimè conciliari. Omnia autem resolvimus in actus illos voluntarios Primæ Causæ quibus facultatum nostrarum mensuram, indéque oriundam propriam iis fœlicitatem determinavit, & quibus nos in tali systemate dependentes ab aliis causis rationalibus constituere voluit & conservare. His enim positis ponitur necessariò & fundamentum obligationis & ejus naturalis indicatio nostráque indè hausta notitia, & actualis obligatio.

Tantundem autem dicitur cùm dicimus, Obligationem esse actum Legislatoris, seu Causæ Primæ, ac si dixissemus esse actum Legis, scilicet naturalis hoc in loco. Obligat enim Legislator per Legem sufficienter promulgatam. Eámque satis promulgat dum mentibus nostris hoc ostendit, prosecutionem Boni Communis esse Causam necessariò requisitam ad fœlicitatem quam singuli necessariò appetunt. Hoc indicato obligantur homines universi, sive illud tantisper apud illos valeat ut eorum animos in eam quam suadet partem prorsus flectat, sive pluris valeant quæ in contrariam sententiam afferuntur. Pondus habent majus seu conatum versus centrum terræ majorem etiam illa corpora quæ à pondere minore in bilancis alterâ parte posito bilancis vitio attolluntur: Verùm notandum est eam esse vim Argumentorum obligantium quæ certò prævaleret nisi hominum ignorantia, affectus perturbati aut temeritas, velut vitium in bilance, eorum efficaciæ repugnarent: Quippe quæ præter pœnas aut mercedes manifestatas seu expressas, majores insuper (si opus est) juxta summi Rectoris arbitrium annecti posse indicant: Positâ autem obligatione ad prosecutionem Communis Boni ut finis necessarii, hinc sequetur universalem & communem omnibus obligationem in dictatis Rationis de mediis ad Communem omnium fœlicitatem necessariis notam esse. Illorum autem omnium summa in propositione nostra de Benevolentia rationalium singulorum in omnes continetur; unde patet lædendi voluntatem, seu bellum in omnes ad Communem perniciem pergere, nec ullâ ratione medium esse posse ad omnium fœlicitatem, aut cum mediis eum in finem consistere, adeoque nec à Ratione recta dictari posse nec permitti.

§. XXVIII. Quanquam autem dixerim me supponere summam cujusque fœlicitatem propriam necessariò à singulis appeti, absit tamen ut cogitarem eum esse finem singulorum integrum, & (ut loquuntur Scholæ) adæquatum.

Id

Id ſumere volui quod concedent adverſarii, ſed ut illos ſi fieri poterit unà mecum deducerem ulteriùs: Quippe quemadmodum corporis noſtri compages ſubſiſtere nequit, aut valere, niſi magnum illud quo verſamur Syſtema corporum aliquid ad hunc effectum afferat, nec quiſquam naturam rerum rectè intelligens velle poteſt aliter id fieri, quia novit eſſe impoſſibile: ita integra hominis cujusvis ſingularis fœlicitas à benevolentia Dei, aliorúmque hominum naturaliter dependet; ea autem benevolentia Dei erga quemlibet à reſpectu ad ſuum honorem divelli nequit, nec aliorum hominum propenſus in nos animus à ſuæ fœlicitatis cura ſeparari poteſt; immo hanc in illis potiorem agnoſcimus neceſſariò quàm noſtri ſtudium: quare fieri nequit, ut qui naturam rationalium rectè expendit, illud expeteret, ut illi nobis ſuccurrerent, niſi ipſorum conſervatio curetur: adeoque ille non poterit ſuam-ipſius fœlicitatem ſeparatim ab aliorum fœlicitate in finem adæquatum ſibi proponere.

Verùm ſigillatim hæc quæ modò breviter ſuggeſſimus conſideramus, & primò quidem, ſuam cujusque fœlicitatem à Dei benevolentia tanquam causâ neceſſariò requiſitâ pendere nemo, qui providentiam Divinam à rerum natura ſatìs teſtatam agnoverit, denegare poteſt. Quis autem divinam benevolentiam è rationis rectè præſcripto ſperare poterit, niſi Deo ipſe honorem quem ipſi gratum eſſe noverit animitùs perſolvat? Hinc autem varia Religionis præcepta obligandi vim trahunt; immò verò Juſtitiæ, omnigenæque virtutis inter homines mutuò exercendæ præcepta hinc oſtenduntur neceſſaria ad cujusque fœlicitatem media continere, adeoq; ſingulos obligare; quoniam certiſſimum eſt rectorem Univerſi minimè honorari, niſi omnes ejus ſubditi innocenter ſe gerentes, ſecundùm pacis Univerſalis conſervandæ conditiones, *i. e.* ſecundùm Virtutum præcepta, rectè, commodè, benevole tractentur.

§. XXIX. Quòd autem inſuper innuimus, unumquemque

que ab aliorum hominum benevolentia aliquatenus pendere, id quidem verissimum esse reor: sed non ita obvium quin attentiorem postulet considerationem eorum quæ mox dicemus, & aliorum fortasse quæ cujusvis experientia facillimè suggerat. Inprimis autem fœlicitatem uniuscujusque in magna plurimorum bonorum complexione consistere, eámque non satìs esse tutam nisi in futurum è longinquo prospiciamus, & omnes causæ, quo hunc in effectum aliquid conferre possint, quantum in nobis est, nobis concilientur. Hoc enim innumerarum causarum concursui locum facit, adeò ut vix ulla mundi hujus aspectabilis pars sit quæ cuiquam sit prorsus inutilis, multò minùs quisquam est inter homines qui nec fuerit, nec sit, nec esse poterit inter causas, aliquid saltem, ad nostram conservationem aut perfectionem aliquantulum conferentes. Nemo enim (postquam auctus supponitur hominum numerus) cogitari potest, quin à duobus (ut minimum sumamus) ejus fœlicitas vitæque gaudia immediatè pendeant; illorum autem duorum uterque duobus aliis eget, ut beatè vivat; pariterque populus quilibet duorum populorum eget commercio; atque hoc modo procedendo omnes omnibus opem ferre comperiemus. Interim non est necesse, ut quid singuli nobis conferant minutim expendamus, sed sufficit ut omnes aliquid in Commune conferre agnoscamus, quod parili à nobis operâ in Commune conferendâ compensandum sit. Hujusmodi autem actiones humanæ motibus rerum naturalium universalibus, qui ad multa simul effecta deserviunt, aptè mihi videntur respondere.

Deinde verò considerandum est Benevolentiæ nomen latissimo à me sensu positum esse, ut ei acceptum feramus, quicquid vel infimis gradibus innocentiæ, fidei, gratitudinis, aut qualiscunque humanitatis aliorum hominum debemus. Possit enim quilibet, suo licèt cum periculo, mille modis innumeras aliis creare molestias latissimè se spargentes: hoc autem si non fiat, si homines se contineant citra

vesa-

vesanam illam malevolentiam, quæ bellum, hoc est, maxima quæque mala omnibus intentet, benevolentiæ alicui gradui tribuendum est. Quicquid fit ad pacem conservandam & generalem quandam amicitiam inter homines suâ naturâ vel tantillum conducens, id à plurimorum capitibus gravissima arcet mala, adeoque utilitatem habet non contemnendam.

Infinitus essem si minuta omnia quæ ad Utilitates quas omnes omnibus præstant, conarer persequi. Notissimum etiam est eos qui vel minimum possunt, aliis tamen prodesse aut commutationibus rerum & operarum suarum, aut pactorum fidem servando, aut fiduciæ nostræ locum faciendo etiam citra pacta, aut exemplo (si non magnorum gestorum tamen) industriæ, patientiæ, aut innocentiæ. Hæc autem, etiam extra Regiminis considerationem, in hominibus observanda veniunt, & vim suam per totum Terrarum orbem spargunt. Ipsæ denique imperfectiones, & infirmitates hominum hoc ipso quòd naturaliter commiserationem movent, & Regiminis necessitatem ostendunt, ad illud constituendum, conservandúmque omnes potenter suadent, adeoque insignem omnibus præstant usum, in quantum commodorum societatis sanè ingentium causæ sunt aliquatenus adjuvantes. Fatemur nihilominus parum esse quod à multis præsertim remotis accipiunt singuli; sed ideo consimilem tantùm operæ nostræ partem in compensationem reposcimus. Nec tutò possunt hæc negligi, quoniam è minutis hujusmodi humanitatis officiis, quæ plurimorum curâ cumulantur, tota singulorum eáque satìs magna succrescit beatitudo, eo ferè modo quo ex ordinatis minutiarum materiæ motibus & figuris pulcherrima mundi corporei compages consurgit. Verùm (quoniam in capite de *Natura Humana* plura congessimus, quæ manifestum faciunt homines & posse alios multos juvare, & in illud, si modò salva sit eorum fœlicitas, propendere) sufficiant quæ hîc monui paucula, ut impræsentiarum, velut satìs

probatum, ſumamus, homines cauſas eſſe, inter res creatas, præcipuas à quibus unuſquiſque ſuam fœlicitatem tam præſentem, quam futuram in terris pendere neceſſariò agnoſcat. Eandem ob rationem plura his non opus eſt addere ad probandum: Non ſperari poſſe cum Ratione, homines illis beandis libenter operam impendere velle, quos nôrint in ſe eſſe malevolos, perfidos, ingratos, inhumanos; ſed pro comperto ſumi poſſe, alios homines in hoc conſenſuros eſſe ut tales pœnis condignis coerceantur, aut extirpentur.

§. XXX. Obſervandum autem eſt quòd arctiſſima intercedit inter rationales omnes neceſſitudo, quæque per totum vitæ humanæ decurſum monet, ut fruſtra ſit qui ſe ſuæ fœlicitati ſatìs conſuluiſſe judicet, ſi huic, aut uno tempore omnia humanitatis officia præſtiterit, alteri verò aut alio tempore eadem pro libitu violârit. Id enim liquet non ſolùm ex eo quod modò diximus, nempe; Quoniam ſingulorum hominum fœlicitas perpetuò pendet, immediatè quidem à multis, remotè verò, & quoad minutiores ejus partes à pleriſque omnibus qui Commune Bonum ſpectant: ſed & quoniam idem omnibus proſpicit Pater omnium Prima Cauſa; & denique quoniam quicquid eorum quiſquam è rectæ Rationis conſilio factum vult ſibi aut aliis, id etiam omnes verè rationales in quantum id ſciunt, neceſſariò velint, & ſemper. Conſentiunt enim omnes (Deus & homines) qui eadem de re rectè ſentiunt. Hinc autem fit ut ſi cuiquam denegentur ſua, id eſt neceſſaria ſine quibus bono Communi deſervire nequit, id contra Communia omnium commoda, & contra ſententiam, ac voluntatem omnium rectè judicantium ſemper fiet; unde ſequitur cuilibet in ſtatu æqualitatis, hîc ſuppoſito, ad pœnas ſumendas jus dari, ad id ſtimulos ſubdi, datâ occaſione quæ hominibus omnibus diu deeſſe rarò poteſt, Deo verò nunquam, quippe contra illum nec latebræ, nec vires, nec ipſa mors ſceleſtum defendere poſſunt. Eo autem præcipuè

fine

fine hoc observatum velim, ut indè innotescat obligationem ad studium Boni Communis (in quo summa Legum Naturalium consistit) quæ indicatur naturaliter per pœnas contrariis actibus annexas, & præmia congruos huic fini actus consequentia, perpetuam planè esse, ac in quibuslibet circumstantiis firmam permanere, adeoque sufficere ad efficiendum ut justè quivis agat, ac benevolè, secretò æquè ac palàm, erga imbecilles juxtà ac fortes. Enimverò quandoquidem hinc pateat omnes prorsus Rationales tum per rectæ ubicunque sit Rationis consensionem necessariam, tum per easdem Communis fœlicitatis causas inter se uniri; atque insuper ostensum sit speciatim eum qui quicquam acturus sit quod aliis obsit, aut prosit, à cæteris rationalibus adeò pendere ut fœlicitas omnis, quam necessariò quærit, ab illorum opera aut permissione saltem libera, accipienda sit, propter vitæ erga illos benevolè transactæ præmium, aut transigendæ spem; Sequitur nemini, ut ut imbecilli, ne clanculum quidem jus suum denegari posse, quin ab invalore alieni communis Boni cura tantisper abjiciatur, illúdque adeò aliquo gradu minuatur, atque omnes quibus hoc est cordi, id est, omnes verè in Practicis rationales ad talia facta pœnis coercenda excitentur. Est enim commune Bonum unicus ille finis, in cujus prosecutione rationales omnes inter se consentire possunt; quoniam omnium fœlicitatem quoad fieri potest, in se complectitur; & certissimum est illam tantùm rationem practicam esse veram, in qua finis & ad eum media omnibus indicantur, in quibus omnes verè judicantes possunt inter se consentire, eósque adeò secundùm veram rationem practicam agere, quibus hic finis cordi est, & necessaria ad illum media in usum veniunt. Ex his autem colligere licet etiam extra societatem Civilem oculatissimam Dei Rationem, hominúmque quotquot verè rationales sunt, ad detegendam omnem juris alieni invasionem seu injustitiam invigilare; ut nulla sit spes divinam cognitionem effugiendi, exigua tantùm saga-

citatem humanam eludendi: poſtquam autem detecta eſt nequitia nec voluntatem nec vim Deo hominibúſque defuturam eſſe, quæ injuriam attentatam propulſet, aut perpetratam ulciſcatur.

§. XXXI. Paucis hîc adjiciam quòd ipſe juris alieni Invaſor, hoc ipſo quòd conſentienti circa Commune Bonum rationi repugnat, veritatem deſerit, rectæque adeò Rationis Practicæ nativâ perfectione hactenus ſe ſpoliat; & admiſſo uno errore practico innumeris in eo genere viam munit, cæcíſque affectibus ſe ducendum tradit inter innumera præcipitia. Hæc enim omnia quia & mala ſunt, & actum malum ex ordine Naturæ divinitùs conſtituto ſequuntur, pœnæ nomen meritò ſibi vendicant. Ideo autem in omni deliberatione de futuris ſuis actibus neceſſe eſt ut homines conſiderent quid de iis ſentient alii Rationales, quoniam (præterquam quòd illi nobiliſſimum conſtituunt rerum genus) illi ſunt cauſæ præcipuæ, neceſſariò, perpetuóque requiſitæ, & univerſales fœlicitatis illius quam agendo quærunt: Talium enim cauſarum conciliatio diligentiſſima imprimis & ſemper eſt cuique neceſſaria, qui ſibi velit cum ratione conſulere. Univerſales autem eas dico cauſas quæ ad plurima alia, aliorúmque generum effecta concurrunt, præter illud de quo nunc agitur: Nec opus eſt opinor ut multis oſtendam Dei, hominúmque voluntate ea omnia diſponi, quæ cujusque vitam beatiorem faciunt; eorúmque operam aut permiſſionem liberam non minùs eſſe neceſſariam ad cujusque fœlicitatem quàm exortus Solis ad fugandas noctis tenebras. Sufficiat hîc monuiſſe quòd quemadmodum in Scientiis propoſitiones quæ generaliſſimas rerum cauſas aut proprietates explicant (*e. g.* leges motûs, aut triangulorum affectiones ſumantur) in caſibus particularibus nullâ contradictione impugnantur, licèt ibi plurimùm variegentur: Ita in praxi, cura cauſarum univerſalium (rationalium puta junctim conſideratorum) nunquam ſeponi, nedum oppugna-

pugnari potest ab eo qui effectum, suam scilicet fœlicitatem, re ipsâ, & vera cum ratione prosequitur: Sed è contrà cura conciliandi sibi causas primò & præcipuè necessarias ita ad inferiorum omnium acquisitionem viam aperit, & acquisitorum usum flectit regítque, quemadmodum generalissimarum veritatum cognitio ad aliquid in omni casuum varietate determinandum periodos juvat, & ad plura indies invenienda manuducit. Hoc itaque comperto quòd extra nosmet-ipsos auxilium verè rationalium (hoc est Dei, hominúmque illorum qui ad quærendum commune Bonum consentiunt) est medium ad fœlicitatem nostram universalissimum, primò, præcipuè, sempérque necessarium; id statim sequitur, nihil per totum vitæ decursum clàm aut palàm in quenquam committendum esse, quo hoc auxilio destituamur; id est, nihil unquam alieni invadendum esse, sed è contrà omnibus modis semper annitendum ut hoc nobis perpetuum concilietur. Opportunè autem illud insuper contingit, quòd intra nosmet-ipsos nulla sit vis quæ intimiùs & pleniùs nos beare possit, quàm libertima contemplatio, amor, & gaudium circa illa se exerentia quæ Deo hominibúsque talibus, nobilissimis sanè objectis, grata esse, aut à nobis fieri possint: atque hujusmodi actus omnigenos suadet, & sponte fundit universalis illa, quam inculcamus, Benevolentia; quæ suâ ideo naturâ auxilium Rationalium omnium potentissimâ benefactorum suadâ implorabit, exorabítque; quo facto fœlicitatis nostræ causæ nobis intrinsecæ extrinsecis aptissimè conjungentur; & indè Virtus omnis, Religio, & Societas enascetur. Est autem hæc ratio (quâ primus locus in perpetuum vendicatur curæ conciliandi primas & præcipuas causas finis expetiti) generalissima quidem, & præceptis Logicæ (quæ priora sunt Moralibus) consentanea; sed non ideo minus experientiæ, & naturali humanarum operationum ordini congrua, quòd contra argutias quasdam

Dialecticas, imperitè ad praxin translatas, meritò nonnunquam objicitur.

§. XXXII. Id ut luculentius constet, rem totam illustrabimus primò ab oppositi, deinde à paris casûs consideratione. Opponitur autem perpetuò Boni Communis studio (quo universales has fœlicitatis nostræ causas demeremur pro virili) quivis illius neglectus voluntarius; ideoque tali quovis actu fœlicitatem nostram in Dei hominúmve manu relinquimus aut prorsus auferendam, aut minuendam eum in gradum qui ipsorum rectæ Rationi videbitur necessarius ad nos aliósve à tali neglectu sufficiente pœnâ deterrendos. Immò verò qui per Universalis hujusce benevolentiæ neglectum universales illas quas dixi fœlicitatis suæ causas negligit, alias semper minùs idoneas in earum locum surrogat, suas-ipsius fortè vires aut dolos, aut paucorum sibi similium auxilia; hinc novæ in animum admittuntur praxeos regulæ, quæ hoc ipso quòd pariter non sint rationales, seu ad finem consequendum aptæ ob intrinsecam sibi deformitatem, displicent; & quia prioribus contrariantur, mentis tranquillitatem pugnâ perturbant. Sobolem insuper mox in nobis, aliísque nostri sequacibus generant perniciosissimam, passiones intelligo inquietissimas, ac vitia pacei infestissima, odium, invidiam, timorem, tristitiam, μισανθρωπίαν, superbiam, &c. quæ (ut de viperina prole dici solet) matris exedit viscera. Quippe si quis in his persistit, certam sibi tam ab intrà quàm ab extrà perniciem accersit; sin ad sanam mentem redeat adeò utrinque accisam sibi reperiet fœlicitatem, ut satius sibi fuisse publici boni curam nullatenus seposuisse nunquam dubitabit. Minus certè solaminis (ne quid gravius dicam) è præteritorum malefactorum memoria sumet qui ad se rediit; minor restabit in futurum fœliciter progrediendi spes; sive illa internas cujusque respiciat facultates maleficio jam læsas (quæ constanter benefaciendo firmiores evasissent) sive aliorum auxilia in quos deliquimus, quæ parciùs indè expectemus.

Atque

Atque hæc quidem necessariò, velint nolint delinquentes, eveniunt mala à voluntario quovis neglectu Deum, hominésque nobis perpetuò demerendi: unde hoc nullo in casu committendum esse ex annexa naturaliter pœna concludere licet, quod suscepimus, ex opposito declarandum. Quin & ipse Hobbius talia mala, si Deum naturæ authorem agnoscimus, pœnas divinitus inflictas dici posse agnoscit, *Leviath. Cap. 28.* in consequentia sexta quam deduxit à sua pœnæ definitione.

§. XXXIII. Restat ut ostendamus Universales has, & præcipuas humanæ fœlicitatis causas primò, & perpetuò curandas esse ut finem expetitum assequamur; ope exempli seu praxeos similis in re quæ vitam spectat & valetudinem, quam diligenter admodum curant etiam illi qui justitiam, ac probitatem spernunt. Id autem eo tantùm fine faciemus ut rationis, modò positæ, vis & scopus clariùs conspiciatur; probationis enim nervos in hujusmodi εἰκασίᾳ nemo sanus expectabit. Agnoscunt omnes Solis & aeris ingentes esse vires, & planè necessarias ad vitæ humanæ conservationem. Nempe hæ sunt causæ illæ universales quæ prærerquam quòd alia faciant innumera, in hoc etiam effectu præcipuas sibi partes vendicant. Ita tamen ut multas insuper postulent causas sibi quadantenus subordinatas: qualia sunt corporis nostri justa temperies, & organorum apta conformatio, solum salubre, victûs & vestitûs copia, hominum mutua auxilia, & quæ tamen omnia ab universalibus illis causis dependent. Solis enim radii ita indies alterant, & ad omnigenas generationes disponunt terram, communem omnium matrem, plantas & animalia exinde nata, & nutrita, atque ipsum sanguinem hominibus vitalem è vegetabilium, animaliúmque succis haustum, ut omnes qui paulò attentiùs rerum causas introspiciunt, Solem, præ cæteris rebus creatis, generalissimam esse causam omnium, quas in nobis experimur, mutationum ad vitæ tutelam, non inviti fateantur. Quandoquidem igitur dependentia vitæ huma-

humanæ à benigniore Solis influxu analoga est, quodammodo, dependentiæ humanæ fœlicitatis à divino favore, sequitur necessitatem curæ Deum nobis conciliandi per benevolentiam seu charitatem universalem (quæ cultum religiosum & Justitiam omnem complectitur) eâdem ratione doceri qua docemur, necesse esse ut iis commoremur locis in quibus solaris influxûs beneficio perfruamur. Eâdem pariter ratione præmonemur, ne illius iræ per flagitia contraria nosmet subjiciamus, quâ prohibemur ab iis locis incolendis ubi haberi nequeunt calidi innati auxilia, quæ hîc à Sole indies mutuò accipimus: aut quâ docemur nos ab iis locorum & tempestatum caloribus subducere, in quibus Sol sanguinem spiritúsque vitales dissipet.

§. XXXIV. Verùm missâ hâc similitudinis parte, quoniam naturalem Theologiam non libet fusè prosequi, transeamus in alteram illam ab aere desumptam, cujus tanta est necessitas ad hominis vitam, ut singulorum dependentiam à circumfusa aliorum hominum multitudine exinde visum est adumbrare; atque huic comparationi diutiùs immorabimur, quoniam hominum ad se invicem officia, quæ præcipuè suscepimus explicanda, hinc licet illustrare. Aer autem quantopere sit ad vitam humanam necessarius, & vulgus, experientiâ doctum, libenter agnoscit, & Philosophi è luciferis quæ adinvenerunt experimentis luculentiùs demonstrârunt. Testantur hoc animalia sanguine prædita, quæ in ingeniosissima Clarissimi Boylæi machina pneumatica exsucto aere statim interiêre. Idem testantur canes ab erudito Domino Hockio dissecti, qui præcisâ Arteriâ asperâ infra Epiglottidem, & abscissis etiam costis, diaphragmate, & pericardio, aere tantùm recente per folles in pulmones inflato, ultra horam vixerunt. Certum est itaque apud omnes illum inter necessarias vitæ causas numerandum esse, & proinde salubris ubique quæritur; quanquam aeris essentia, & modus quo in nos operatur, nondum satìs sit compertus. Pari ratione (supposito quòd

plures

plures simul extra Civilem societatem existerent homines, eorúmque vires naturales sufficerent ut alii alios juvent, aut etiam impediant, quò minùs rebus necessariis ipsâque adeò vitâ perfruantur, quæ pars est sanissima hypothesis Hobbianæ) certum est ipsos ne vivere quidem posse ad vitæ terminos à Natura præstitutos, nisi consentiant alii in aliorum bonum seu salutem, hactenus saltem quòd à noxa mutuò inferendâ manus cohibebunt, & unicuique usum necessariorum quæ Natura produxit, permittent. Hæc itaque consensio eo ferè modo quo aeris usura ad vitam est necessaria, & aliqualem benevolentiam, majorem certè quàm status Hobbii bellicus, includit; nam & finem respicit benevolentiæ, & eo ipso quòd est actus voluntarius circa media naturaliter idonea, eorum usum respicit. Immò verò unusquisque suas etiam vires intermedia ad plurium salutem idonea necessariò censebit, earúmque ideo usum aliis commodabit, cùm hâc ratione sibi nihil detrahi sentiet, sed augeri potiùs eas tum exercitio, tum etiam compensationis spe; atque ita in hac sola consensione non innocentia solùm sed & beneficentia continebitur; quæ duo utramque benevolentiæ generalis, legisque Naturalis tabulam constituunt. Exinde verò quòd necessaria sit unicuique talis consensio, quoad possumus perpetuò annitendum erit, ut ab hominibus eam obtineamus, quanquam hominum non magìs quàm aeris interiora intelligamus, nec præscire possumus id omne aut bonum aut etiam malum, quod ex eorum consortio exoriatur; uti nec novimus quis aeris haustus salubris sit penitùs, quis morbi contagium secum ferat; novimus autem quòd sublatâ respiratione certa sequatur mors, eâque positâ ut plurimùm ingens vitæ obtineatur adjumentum. Qui etiam universalis ille hominum aliorum influxus, in uniuscujusq; fœlicitatem id postulat, ut adeò assiduè his conciliandis, nemine prorsus neglecto, aut ultrò lacessito, operam demus, ut nunquam patiamur nos indè divelli ut alios sectemur fœlicitatem quærendi

mo-

modos, causásque particulares, *v. g.* lucrum, aut gloriam, aut voluptatem, quanquam suo loco, salvâ semper causarum generaliorum curâ, non sint inutiles. Quippe nemo sanus necessario aeris usu se privabit, & cum vitæ dispendio in profundum mare se se immerget ut sectetur thesauros rerum pretiosissimarum, quæ in illius fundo hîc & illic sparguntur. Ineptissimum enim esse nôrunt paucis aliquot vitæ casibus consulere, atque interim summam futuræ fœlicitatis, ejúsque causas requisitas necessariò, ipsámque adeò vitam negligere. Quapropter eadem ratio quæ docet ut Respirationis organa (quæ ex parte aliqua voluntatis nostræ jussu impediri possunt aut cieri) cæterósque voluntarios corporis nostri motus dirigamus, ut aeris semper salubris usu, quantum in nobis est, fruamur, monebit etiam, ut affectus interiores omnes, actúsque externos qui ad homines universim referuntur, eâ φιλανθρωπίᾳ regamus, ut quoad possumus, efficiamus ut omnes salutari suâ benevolentiâ nos excipiant reficiántque. Cavemus ne noxiis vaporibus halitibúsque tectorum aera repleamus, præsertim verò ne pestis aliorúmque morborum contagiosorum effluviis perpetuum hoc vitæ nostræ & alienæ pabulum inquinetur: quod innocentiæ exiguum est specimen, ejúsque necessitatem in omnibus actionibus docet. Haustum inter pulmones aerem mox è pectore refundimus; aut si tantillum ad sanguinem ac spiritus vitales reficiendos ad tempus retineatur, id unà cum ipso sanguine spiritúque vitali veluti cum fœnore per insensibilem transpirationem postmodum in auras remittitur reciproco Naturæ motu, cui aliquid voluntarii admiscetur, hoc pacto gratitudinem præstante, ejúsque necessitatem ad universi bonum docente. Interim verò quia proprius cujusque sanguis, vitalísque spiritus hoc aere pascitur, & exindè præterea succus genitalis ad speciei conservationem naturalibus organis elaboratur, limitata quædam sui & posteritatis cura eâdem operâ commonstratur. Tandem verò quoniam vires humanæ

manæ reſpiratione reparatæ ad communem omnium uſum naturaliter ſunt verſatiles, & aer ipſe, quem è pulmonibus refundimus, in commune omnium commodum remittitur, leve quoddam humanitatis officium reſpirando adumbramus. Verùm naturalis hæc actio quatenus motus eſt corporeus qui à brutis & dormientibus peragitur, meram habet earum virtutum umbram: umbra tamen hæc vivæ virtutis membra ſingula, eorúmque inter ſe nexus aptiſſimos, ejúsque motus, ſeu effectus reales exactè refert; quod quidem illis conſtabit qui quæ modò diximus, conferent cum iis quæ diximus de actibus neceſſariis ad Bonum Commune: atque inſuper cogitabit Virtutem nihil aliud eſſe præter conſtantem voluntatem obſequendi Legibus Naturalibus, quæ actus ad eum finem neceſſarios præcipiunt. Quatenus autem ipſa reſpiratio, aliíque actus brutis communes, rationis conſilio in homine geruntur, ſi fiant cum perpetuo reſpectu ad finem nobiliſſimum, commune ſcilicet bonum Civitatis Dei, quo Dei Rectoris honos hominúmque ei ſubditorum fœlicitas continetur, tum demum actus hi in verarum Virtutum familia tranſeunt; uti Epulæ, & Jejunia Religionis fiunt exercitia, cùm ad fines religioſos obſervantur.

Denique ne nimius ſim in perſequenda hac ſimilitudine huc ſolùm adjicere libet in quo ulterius hæc duo ſibi mutuò reſpondent; nempe, quamvis & hominum erga quemlibet benevolentia & aeris fruendi copia generalis ſit ac neceſſaria cauſa hinc vitæ, illinc fœlicitatis; neutra tamen eſt effectûs inde pendentis cauſa totalis, & (ut loquuntur) adæquata (multa enim præterea deſiderantur ad vitam ac fœlicitatem tutandam, nihil tamen quod has cauſas ullatenus excludat) neutrius inſuper determinatio ad effectum appetitum eſt prorſus nota; neutra porro eſt penitus in eorum poteſtate qui iis indigent. Hinc autem fit ut his quantum poſſumus curatis, non tamen planè certi ſimus optatum nos effectum aſſecuturos eſſe, niſi aliæ quas determinare non poſſu-

poſſumus,concurrant cauſæ. Hoc tamen neminem à Virtutis ſeu univerſalis Benevolentiæ ſtudio deterrere debet; quoniam videmus ſimilem planè Rationem nemini ſuadere ut aeris ſalubris hauriendi curam abjiciat & ſe conjiciat in loca tam diro peſtilentiæ contagio infecta, ut ne unus è multis millibus indè ſalvus poſſit evadere. Talis certè aer bello omnium in omnes ſimilis eſſet; atque is ſtatus neceſſariò ſequitur ubicunque à communi bono, actionum regulâ, non ſumitur, ſed ſuum ſolius commodum quisque ſibi in omnium ſuarum actionum finem, & alienarum menſuram proponit. Hoc ſolummodo è malis quæ virtutis ſectatoribus accidant, colligi poteſt, omnes fœlicitatis gradus non poſſe ſemper viribus noſtris obtineri etiam cùm illæ à præceptis optimis moralibus penitus reguntur. Interim illud certum erit nos ex obedientia his præſtita id totum facturos eſſe quod in noſtra eſt poteſtate ut beatè vivamus; id quod unicè præſtandum ſuſcepit moralis diſciplina, ſeu recta Ratio practica. Atque hinc tantus naſcetur fructus ut certiſſimè innumeras, quas vitiis ſibi acceſſunt plurimi, calamitates effugiemus, eásque quæ vitari nequeunt placidè ferendo ſuperabimus. Sanâ interim, & ſerenâ, forti ac tranquillâ mente perfruimur; quæ è ſuaviſſimo rectè factorum ſenſu præſenti gaudio, ac futuræ mercedis ſpe nos beabit. E contra autem, qui poſthabito communis Boni ſtudio, Dei, hominúmque ſpernunt benevolentiam, hoc ipſo quòd negligunt præcipuas è quibus, velint nolint, pendent cauſas, ſuæ fœlicitatis fundamenta ſcientes ſuffodiunt, & amicitiam, quam ipſi nôrunt ſibi eſſe neceſſariam, in odium meritiſſimum convertunt. Unde fieri non poteſt quin metuant pœnas, & poſtquam mala ſentiant irruentia, ſe ſuarum calamitatum auctores agnoſcunt, & turpiſſimæ ſemet ipſos redarguant dementiæ, quòd ſibi ſolis vivere voluerint qui ſibi ſolis neutiquam ſufficerent.

§. XXXV. Verùm de his hactenus eum tantùm in finem egi-

egimus, ut ostenderemus præceptum illud de methodo utilissimum γενικὰ γενικῶς, de universalibus quæ vera sunt universaliter statuendum esse, in regulis quoq; praxeos humanæ (quibus fœlicitatis quærendæ ars traditur) locum sibi vendicare; ac proinde universales ejus causas (Deum nempe & homines, seu agentium rationalium auxilia) universaliter esse curandas, seu conciliandas, omni tempore, loco, &c. ita ut nunquam prorsus negligantur, nedum ut in pugnam contra nos concitentur. Id autem fiet, si quibusvis in circumstantiis etsi clàm, aut raò, quicquam in commune Bonum committetur. Quod suave est in vitiis citissimè transit: Sed illatæ in Deum, hominesve injuriæ in æternum manent. Tenax enim est & ipsius peccantis memoria, quæ crimen & ipsi exprobret, & eo invito sæpe prodat: Tenax etiam eorum memoria quos publici commodi violator læserit: quæ ideò, si præsens tempus vindictæ occasionem non concedat, inservire poterit futuris opportunitatibus; aut seræ posteritati rem tradat ulciscendam. Præsertim verò flagitiorum non obliviscitur Deus, etiam cùm judicium differt. Ex his autem, aliisque quæ cuivis occurrunt, colligitur, rationem causas omnes è quibus cujuslibet fœlicitas necessariò pendet rectè expendentē nunquam pronunciare posse quòd iis salvis, adeoq; salvâ suâ- ipsius omni ex parte fœlicitate, quicquam in commune bonum committi possit. Illud nunc agamus, ut clarè pateat, obligationem ad vitandos ejusmodi actus communiter nocuos è prævisione hujus pœnæ innotescere, & pari ratione è spe boni ab aliis retribuendi probabili ratione nixâ sciri posse homines obligari ad alios omnigenâ benevolentiâ demerendos: unde obligatio deducetur ad omnes actus virtutis (qui benevolentiæ universalis varii tantùm sunt modi) exercendos; & ad omnia vitia (quarum natura, virtutibus cognitis, latere nequit) fugienda. Nempe quoniam pœnarum hujusmodi evitatio, & præmiorum consecutio in essentiali conceptu nostræ fœlicitatis quam naturæ

R ne-

necessitate expetimus, continentur; utpote quæ est complexio bonorum omnium quæ consequi possumus. Motiva, ut loquuntur, seu argumenta hinc peti ad Leges observandas concedunt omnes. Ego verò obligationem Legum nihil aliud esse reor præter vim insitam omnium illorum argumentorum quibus Legislator (Deum puta) utitur, ad universalem benevolentiam suadendam. Præmia autem à recta hominum Ratione universali benevolentiæ annexa, ideo præcipuè ad obligationem inducendam faciunt, quoniam amicitiam insuper Dei Rectoris summi Rationalis spondent; Pœnæ autem similiter ab eadem inflictæ sunt Divinæ insuper vindictæ partes quædam nunc subeundæ, & futuræ certissima præsagia. Recta enim Ratio in Deo ab eadem in hominibus nequit dissentire: quod naturali lumine satis notum esse ostendit illud Ciceronis in primo *de Legibus*, ubi Deum respiciens hoc pronunciat; *Quibus ratio est Communis, iisdem & rectam rationem esse Communem.* Nec sanè quicquam intelligere possum quod animum humanum necessitate ullâ possit astringere (in qua vim obligationis ponit definitio Justiniani) præter argumenta bonum aut malum ex actibus nostris proventurum indicantia; quorum cùm maxima sint Deo favor, aut ira, eorum nexus cum actibus nostris satis monstrat, quid ipsius authoritas suadeat, quæ est vera natura Obligationis.

Meminisse interim oportet in præmiorum ac pœnarum censum referenda esse omnia illa bona aut mala quæ ex ordinatione divina in rerum natura conspicue cohærent cum actibus liberis ad bonum aut malum commune spectantibus: Sive ea connexio sit immediata, ut cùm actus quispiam Deo honorificus pluribusve hominibus utilis propter intrinsecam quam experientia omnium degustat dulcedinem suum secum ferat præmium (exempli gratia, summamus utilissimas quasque contemplationes, aut amoris erga Deum hominésque exercitium; aut è contrà dolores

illos,

illos, & ægritudines animi, quæ invidos, iracundos, & omnes malevolos discruciant:)sive connexio illa mediata sit, ita ut bona aut mala actus nostros consequantur interventu longioris seriei causarum, sive illæ fuerint necessariæ, sive liberæ, ut cum ex consilio entium rationalium Dei hominumve, aliquid pœnæ aut mercedis nomine adjicitur actibus humanis. Dei autem consilio pœnas ac præmia etiam post mortem distribui, naturalis hominum id nolentium ratio persentiscit.

Cavendum autem est præcipuè, nè è solis extrinsecis & contingentibus hac in vita pœnis præmiisque sanctionem Legis Naturalis metiamur. Hoc enim esset indicia obligationis longè maxima negligere, unde pronum esset eam contemnere; & si quid boni fecerimus ex horum solummodo bonorum spe, aut malorum metu, abjecti illud esset animi signum & mercenarii. At si insuper internum illud quo mens cohonestatur, præmium & æternum Dei favorem quæsiveris; dum illi cooperaris in boni publici studio, nunquam hinc deesse tibi potest idoneus ad virtutem stimulus, & omnem suspicionem vilis animi evitabis. Honesta certè sunt hujusmodi præmia, praxi virtutis semper conjuncta. (1) Amplior cognitio Dei, Hominúmque, Causarum nobilissimarum, non tuæ solum fœlicitatis sed & Communis omnium rationalium. Et dum Deo Hominibúsque grata facere studes, propter dependentiam hominum à Deo, & ab ope mutua, senties te virtutem omnem haurire è fontibus essentiæ, conservationis, perfectionisque naturæ humanæ, qui nunquam exhauriri possunt. (2) Conformitas naturæ nostræ cum divina, consistens in imitatione benignitatis divinæ, quæ in providentia ejus circa universos conspicua est. (3) Dominium Rationis tuæ in affectus omnes, motúsque corporeos. Scilicet hinc patet ipsam Pietatem ac Justitiam (quæ in modò dictis consistunt) earúmque incrementa, ac effectus immediatos, gaudium nempe & tranquillitatem, ex eorum sensu oriundum esse

præcipuam partem præmii virtutis. Ex his autem conciliari potest sententia Stoicorum, aliorumque qui virtutem appeti volunt propter se. Ego enim hanc mercedem intimè illi conjunctam esse agnosco, ut nullis infortuniis ab ea separari possit. Verum quia separatim saltem considerari potest hoc præmium, & virtuti proprium est, & præsciri velut præmium, visum est necessarium illud considerare sub notione sanctionis annexæ dictamini practico de prosecutione Boni Communis (seu de omnigena virtute colenda) atque hâc peculiari notâ hoc dictamen ab aliis omnibus practicis quæ quidem vera sunt, sed à singulis non necessariò observanda, distinguitur. Talia sunt dictamina circa solutionem problematum in Arithmetica & Geometria, quæ non sunt Leges universales quia sanctione carent hujusmodi. Lex enim est dictamen practicum de prosecutione Boni publici, sanctione à præmiis pœnisve munitum.

Denique observet Lector me non explicare causas obligationis Legum per respectum ad sanctionem hujusmodi (alium assignavi efficientem, alium finem longè majorem) sed tantum partem illam definitionis ejus quæ respicit necessitatem illam quæ singulos proximè attingit: unde actiones à Legibus imperatæ dicuntur necessariæ. Intelligi nequit necessitas absoluta, qualis est in motibus mechanicis, sed relativa & hypothetica, nempe respectu alicujus effectus, si illum velimus producere. In Lege autem universalissima, quam præcipuè spectamus, de prosecutione Boni Communissimi, seu Honoris Dei cum fœlicitate Hominum, manifestum est actionem imperatam non esse necessariam ad effectum aliquem superiorem majoremve, cum nullus ejusmodi sit aut esse possit. Manifestum est præterea quòd si prosecutio hæc dicatur esse necessaria ad productionem ipsius illius effectus, erit propositio identica, nullumque subdet ad agendum stimulum; itaque intelligenda est prosecutio seu productio illius effectus (quoad possumus)

esse

esse necessaria ad effectum minorem indè pendentem, scilicet ad procurandam per opem causarum omnium fœlicitatem nostram quam meritò supponimur expetere. Sic intellecta propositio maxime stimulat ad agendum. Interim tamen libentissime agnosco, quòd, postquam hujus obligationis existentia ex effectis, uti ostendimus, fuerit nota, multum ei accedit roboris, considerando causam efficientem à qua illam deduximus, Voluntatem nempe primæ Causæ. Inde enim certum est & intellectum Divinum sapientissimum has Leges earumque sanctionem probâsse, omnesque Naturæ Divinæ perfectiones essentiales in eundem effectum conspirare. Nunquam enim ulla esse potest dissensio inter voluntatem Dei cæteràsque ejus perfectiones. Quapropter eæ omnes hominem animabunt in majorum præmiorum spem, & certa dabunt præsagia majorum pœnarum, quibus sanctio harum Legum, & obsequii necessitas confirmetur.

Origo omnis tam Ignorantiæ circa Leges Naturæ, quàm incuriæ circa earum observationem hæc mihi esse videtur, quod plerique non satis expendant, aut quæ sint veræ partes suæ fœlicitatis & alienæ, quæque sit inter eas proportio, ut intelligant quæ plus quænam minus boni in se contineat; aut deinde non expendunt earundem veras Causas, & quæ causa plus, quæ minus contribuat ad hunc finem, seu effectum. Utroque nomine culpanda veniunt principia Hobbiana statum naturalem dirigentia, tum quia finem proponunt minus angustum, conservationem vitæ, ac membrorum, neglectis mentis perfectionibus, ac æternitatis spe: tum etiam quia Causarum Rationalium (Dei Hominumque) vim ad reprimendam omnium jurium invasionem nullius momenti esse contendit citra Civitatis constitutionem. Ego vero etsi libenter agnoscam, è societate Civili plurimum roboris eis accrescere, contendo tamen non opus esse, ut fœlicitatem quæramus alios præoccupando pàlam aut ex insidiis, seu ruendo in statum

belli, ſemoto per hypotheſin Regiminis ſtatu, ſed Dei hominumque naturam abundè ſatis cauſæ continere, cur potiùs velimus omnes benevolentiâ univerſali, omnique adeò virtute ad pacem, benevolentiam, & ad ſocietatem demum civilem & ſacram ſollicitare.

§. XXXVI. Expoſitâ jam quâ potui brevitate, ſummâ ſententiæ noſtræ de obligationis naturalis eſſentia, & origine, neceſſarium duxi ſcrupulos duos eximere qui melioris notæ mentes inquietare poſſint. (1) Quòd incertæ videntur vitiorum pœnæ, nec ſatis certò cognita virtutis præmia, ut indicia ſint ſufficientia obligationis naturalis, & voluntatis primæ cauſæ. (2) Quòd ex hac ſententia videri poſſit Commune bonum cujusque privatæ fœlicitati poſtponi & ſubordinari. Neutrum autem horum verè in noſtram ſententiam objici poſſe oſtendemus. Primum quod attinet quo ſuggeritur incertum eſſe pœnarum ac præmiorum nexum cum actibus publicè utilibus aut noxiis, hæc habemus quæ regerenda videntur. Incipiamus autem à pœnarum nexu cum nequitia, de quo plura dicemus, quia res eſt difficilior, & quæ mercedem ſpectant rectè factorum inde facilè poſſint æſtimari.

(1) Quanquam aliquod pœnarum genus, ultio ſcilicet humana, ab actibus aliquot flagitioſis ſeparari poſſe contingat, non tamen omnem prorſus pœnam ejuſmodi crimina effugiunt; adeoque nec deficit obligatio à conſideratione pœnæ certò ſecuturæ. Non poſſunt enim à ſcelere divelli gradus aliqui ægritudinis animi, è conflictu inter ſaniora rationis dictata, quæ officium ſuadent, & temerarios illos impetus qui in ſcelera homines rapiunt, enaſcentes: Accedunt etiam metus (qui præſentem afferunt dolorem) ultionis tam divinæ quàm humanæ, & propenſio ad eadem crimina, aut etiam deteriora; quæ quia mentis facultates lædit, mihi inter pœnas quoque enumeranda videtur: Ipſa etiam malitia & invidia qui omni juris alieni invaſioni intrinſeca eſt, animum omnem malevolum neceſſariò ac natu-

naturaliter angit; suique adeò veneni partem magnam scelestus ebibit.

(2) Pœnarum illarum quæ non certò, sed contingenter & probabiliter actus malos secuturæ sunt, consideratio & æstimatio necessariò cohæret cum prudente consideratione actuum, quos in aliorum noxam quispiam perpetraturus est, aut olim perpetraverit. Cùm autem mali contingenter eventuri expectatio ostensa sit superiùs præsentis alicujus certique mali valorem habere, sequitur malum illud (quod in quantum, Rectore saltem approbante, inferri possit, pœnæ rationem subit) argumentum esse à summo Rectore datum subditis suis, quo suadeat ne propter spem commodi ex alieno malo proventuri, se in periculum tantum conjiciant; adeoque certam habere obligandi vim apud omnes eos qui omnia suæ fœlicitati repugnantia cum ratione expendunt.

Consequentia hæc ex iis quæ paulo antè tradidimus de natura obligationis satis patet; illud nunc breviter ostendendum est, considerationem actuum humanorum aliis rationalibus noxiorum necessariò mentem hominis deducere in cogitationem ingentis periculi, à pœna quam gravissimæ monent causæ metuendam esse, etsi exinde quid eventurum sit, certò prædicere non possumus: id autem ex his quæ sequuntur luculenter patet.

Inprimis autem manifestum est actibus humanis noxiis, hoc ipso quòd tales sunt, vim inesse causæ meritoriæ, quæ rationales quoslibet, eos præcipuè qui quicquam inde mali patiuntur, impellere possit ad eos quoad poterunt pœnis coercendos, qui aliis innocentibus nocuerint. Vis hæc impulsiva non est vis commentitia & imaginaria sed prorsus realis, quemadmodum quilibet motus ab objectis sensus nostros feriens. Fatemur interim vim hanc per se solam non sufficere ad pœnas noxiis infligendas; sed ideo observandam illam esse duximus, quoniam necessarium est ut, qui secundùm rationem velint agere, suorum actuum

vires & effecta omnia expenderent; inter cætera autem præcipuè cogitare oportet, an illi alios rationales commovere possint, ut boni communis defendendi causâ ipsos punire velint nec ne. Inter causas socias & adjuvantes meriti vis numeratur; & cum viribus objectorum allicientium, occasionis, & auctoris rectè conjungitur; eaque de causa non est negligenda, quoniam hinc mens deducitur ad cõsiderandum actuum nostrorum vim cum plurimarum aliarum causarum viribus consociari posse, adeoque cum iis concurrere ad ingentia effecta quæ ab ipsis solitariè spectatis non essent expectanda. Atque hac de causa verissimum est illud quod modò posui paradoxum, nempe cum pendente cõsideratione actuum nostrorum necessariò cohærere considerationem pœnarum, quæ propter causarum extrinsecarum concursum non planè necessariò verùm contingenter tantùm, licet probabiliter sint futuræ. Certum interim est, quòd si à maleficiis abstineamus, perniciem in nostrum caput non accersemus: è contrà verò si eadem perpetrare velimus, certum est nos unam & quidem primam causam seu procatarcticam ponere, quæ facilè cum aliis concurrat ad exitium nobismet ipsis inferendum: Quàm probabile autem sit quòd aliæ etiam ad hunc effectū concurrent causæ, ex iis quæ sequuntur, colligamus. Sed nonnulla priùs de aliis actuum malorum effectis quæ ad pœnarum executionem certiorem faciendam conducunt, sunt adjicienda.

§. XXXVII. (2) Certum est omnem actum à malevolentia erga alios proficiscentem, naturâ suâ vergere ad plures in infinitum ejusmodi actus malevolos generandos, Communi fœlicitati adversantes, adeoque ipsius malevoli fœlicitatem (quæ à communi multis modis dependet) minuentes: Partim quia ad habitum pravosque mores viam munit; partim quia ipsi pæne necessarium facit, ut scelere scelus defendatur: quod dolo & tectè cœptum est, vi & aperto Marte consummandum venit; partim etiam quia exem-

exempli contagium alios atque alios latissimè corripit. Manifestum autem est, quòd quò magis vires suas spargat malevolentia, eò apertiùs omnia ruunt in statum belli, qui severis nimiùm abundat pœnis, & non minùs sceleris duci certam, quàm omnibus metuendam perniciem interminetur. Quanquam igitur inanis sit prorsus metus belli omnium in omnes undequaque justi, quippe quod nunquam existere potest, uti antea ostendimus; summa tamen cum ratione quilibet, extra societatem civilem suppositus, metuere potest, ne suo scelere bellum in se justum concitet, societatis plurium viribus ad sua conservanda, aut pœnas sumendas. Metuat etiam ne, si fortè plures in ipsius defensionem pertraxerit, belli injusti calamitatibus socios unà secum obruat. Immò si fortè, præter causæ suæ meritum, victor evaserit, metuat tamen ne prosperum illius scelus aliis animum accendat, ad illius jura pariter invadenda, ejusdem successus spe fretis. His equidem modis oriri posse bella luculentissimè scire licet, & ex humanæ naturæ contemplatione, & ex observatione eorum quæ geruntur inter populos confines. Patet etiam hæc bella non minùs singulorum conservationi inimica esse, quàm si è fictitio Hobbii jure omnium in omnia traxissent originem. Quapropter cùm ille contendat bellici sui status calamitates sufficientem, immò necessariam præbere causam, quæ homines ubique gentium impellat, ut sepositis quæ sumpserunt armis Imperio absoluto, Legibusque quibuslibet imperantium se subjiciant, ipse sibi repugnabit, si non è paritate rationis concedat prospectum belli non minùs periculosi, quod ex alieni Juris invasione, aut quovis scelere oriatur, sufficienter eosdem homines impellere posse ut ab injustè factis, seu Communi bono repugnantibus, abstineant, & omnia pacis officia erga se invicem ab initio colant, adeoque ne unquam bellum illud, quod somniat in omnes, aggrediantur. Ratio enim recta illud apertissimè dictat, eadem belli mala certò prævisa sufficere ad homines

determinandos ne in bellum ruant, quæ movere valent ut à bello cœpto desistant. Quòd si calamitosa hæc actuum injustorum effecta quæ in ipsum criminis reum recurrunt, crimini cohærere intelligantur virtute ordinis inter omnia constituti à prima Causa, summóque Rectore, pœnæ divinitùs constitutæ naturam sibi vendicabunt. Et propositio illa quæ rerum naturâ (adeoque naturæ Rectore) nos determinante fit, pronuncians actum illum non esse bonum seu eliciendum qui simul aliis nocet, & in nostrum caput malum accersit, Lex erit naturæ, his indiciis se satìs manifestans, quòd & pronunciet de actibus publicè noxiis aut utilibus (quæ propria est Legum materia) & pœnam habet à Rectore annexam, quæ sanctionis efficaciam superaddit.

Consentimus cum Hobbio prospectum malorum belli multum facere posse, ut homines pacis officia, virtutes omnigenas exercendo, erga se invicem præstent; sed prospicimus tantùm bellum hinc justum illinc injustum possibile, non jus damus omnibus re ipsâ belligerandi, ut omnia sibimet vendicent quod ille fecit, *de Civ. c. 1. §. 10.* Nostrum de alieno prius distinguimus è necessitate rerum ad fines necessarios: necessaria autem à natura rerum determinari immutabiliter agnoscimus; nec ea solùm quæ singulis sigillatim spectatis necessaria sunt, sed & ea quæ pluribus aut etiam omnibus conjunctim consideratis necessaria sunt, naturaliter sunt determinata; uti ostendimus propositiones insuper veras, *i. e.* determinationi naturæ congruas, quæ quales actus humani ad Commune hominum bonum necessarii sunt, quales eidem fini repugnent, indicant, Leges naturæ esse obiter definivimus: earum summam unâ propositione generali exhibuimus & ad pauca Capita reduximus, quæ speciatim ab iis præcipiantur priusquam de jure quicquam agendi, præsertim verò bellum gerendi, pronunciare ausi fuerimus, & in his quidem ab Hobbio satìs dissensimus. Nunc autem, cùm de Obligatione agitur,

quæ

quæ velut Effectus est Legum proprius, & se in sensus nostros ingerit per præmia ac pœnas Legum observationem, violationémque consequentes, & ideò aptum est earum indicium, licet id sumere quod ipse cum Ratione concessit, dummodo caveamus, ne errores quos admiscuit multos, simul imbibamus. Id autem satìs certè curavimus, tum propter ea quæ modò dixi, tum quia justum hoc bellum de quo nunc agimus, asserimus Effectum esse Legum Naturalium, naturæque rationalium earum notitiâ præditæ, quæ ut se suáque defendat, & invasores coerceat, ad arma procurret; quæ ideo justa sunt, quia necessaria hoc in casu media ad Commune bonum. Hobbius è contrà bellum ponit omni ex parte, tum invadentis, tum resistentis, justum, antequam Leges naturæ primæ justitiæ regulæ nascantur, easque contendit media proponere necessaria, quorum ope bellum hoc, quod simul undequaque justum esse docet & omnibus perniciosum, evitetur. *Lib. de Civ. cap. 1. §. 12. 13. 15.* & ad finem capitis tertii. Verùm de his alibi.

§. XXXVIII. Præsenti nostro instituto sufficit id quod vix quisquam est sobrius qui non concesserit; nempe juris alieni invasionem quamlibet ad contentiones movendas & bella concitanda suâ naturâ plurimùm facere, sanámque Rationem cuilibet hoc suadere, è mota hac Malorum omnium Camerina plus damni metuendum esse quàm quod lucelli ex injuria quærendi spe compensetur, in eo præsertim statu ubi nullum esse supponitur Regimen, quod iram & vindictam intra modum aliquem & finem coerceat; & ubi contentio una alias in infinitum generet; omnísque altercatio vitam in discrimen perducat. Certissimum enim esse reor, quòd in pugna inter duos ubi paria sunt omnia, ut alterutri æquè facilè mors aut vita obtingere possit, spem vitæ alterutrius statim postquam belli aleæ committitur, dimidio sui valoris esse diminutam. Quemadmodum si quis alterâ manu viginti solidos comprimat, alterâ nihil, & homini

mini ejus quod factum est, inscio optionem det, id quod alterutrâ, quam maluerit, manu clauditur sumendi, certum est tam hujus donum quàm illius spem antequam elegerit, valere decem solidos, hoc est, dimidium totius summæ quæ periculo exponitur, hoc velut æquilibrio vacillanti. Atque hanc ob causam pariter certum est, rationem res expendentem rectè non permittere, ut quisquam in tale discrimẽ vitam suam conjiciat (etiamsi vitæ nostræ non minùs quàm nunc pecuniæ essemus domini) nisi ob lucrum; cujus anceps spes tanti apud nos valet, quanti est semissis pretii vitæ nostræ, vel quod eodem recidit, ob lucrum cujus certa acquisitio certâ amissione vitæ nostræ redimenda esset. In compensationem autem hujus periculi, damnique tantò æstimandi nihil ferè certò acquirit rei alienæ invasor; evanescit enim in auras victi vita, victori prorsus inutilis; Bona autem quæ, quia ipsi reverâ fuerunt necessaria, sua dixerat, victori pariter necessaria non erant, nec ideo in hoc statu illi erunt propria. Meritò enim in statu Communitatis supponimus ac statuimus, & quantum necesse est singulis naturam liberaliter porrexisse, ubi non defecerit humana industria, & ea quæ uni reverâ fuerint necessaria, alteri non fuisse pariter necessaria. Posterius hoc priori probatur. Quæ autem non erant, nec ex morte victi jam sunt necessaria, eorum jam certa acquisitio non tanti est, ut certa vitæ jactura redimenda esset. Verùm post victoriam in statu Communitatis quam Hobbius supponit, manebunt adhuc omnium Communia, ut præter periculum vindictæ ab aliis sumendæ nihil victori accedat.

Securitas autem quam Hobbius in hoc statu quæri docuit alios vel palàm vel ex insidiis præoccupando, *de Civ. cap. 5. §. 1.* nullius est aut saltem non tanti pretii. Nam cùm jam deliberemus, an incipienda sit invasio, & an danda sit aliis belli causa nec ne, necessariò supponuntur innoxii, quique non, nisi ereptione necessariorum tentatâ cogantur, arma caperent, aut saltem nondum arma sumserint: ubi

ubi autem nulla metuendi adhuc ratio ponitur, securitas vitam in pericula conjiciendo non emeretur. Multò autem minus quisquam sanus securitatem sibi è bello in omnes speraret.

Diximus autē in hac disquisitione *de Obligatione Legum naturalium,* & de prospectu pœnarum ex earum violatione metuendarum in invasione juris alieni necessariò homines supponi innoxios; tum quia concedimus licere noxiis bona, vitamque ipsam pœnæ nomine eripere; tum quia vesanæ temeritatis est præsumere in hominibus qui nondum ulla dederunt signa animi in nos malevoli, inesse lædendi voluntatem; ideoque eos palàm aut ex insidiis adoriri ac trucidare, ut ab iis simus securi; quæ tamen summa est juris naturalis Hobbiani: (confer *cap.* 1. cum *cap.* 5. §. 1.) tum quia illud ex hypothesi Hobbiana colligi posse videtur, licèt huic sæpe contradicat. Supponit enim in statu suo naturali plures simul homines exortos & adultos *c.* 8. §. 1. Quæritur, an dictet eis ratio recta ut statim ac se invicem intuentur, pacis officia erga se invicem colant, *i.e.* an ut benevolos se, fideles, gratosque præstent, an potiùs ut in bellum omnium in omnes ruant? eorum status cùm nondum quicquam boni aut mali inter se mutuò fecerint aut decreverint facere, pax est an bellum? Pax est inquam ego, spectandique sunt omnes adhuc velut innocentes, dictatque ratio ut pacem hanc conservent fidem dando eamque inviolatam servando, gratos se, commodosq; præstando, idque actibus externis. Idque partim quia hi actus suâ naturâ suavissimi sunt, suamque secum mercedem quadantenus ferunt: contrarii actus ut odium ac invidiam necessariò indicant, ita à dolore affectibus illis essentialiter conjuncto, divelli nequeunt; quæ prima nostra fuit ratio: partim verò quia quisquis in alios malevolus est, eisque quæ secundùm rectam rationem postulant, denegat, in belli hujus periculum se conjicit, in quo gravissimas reor pœnas contineri, quæ secunda ratio est quam jam

tra-

tractamus. Præterea cùm agnoſcat Hobbius in ſtatu Naturæ legem Naturæ primam eſſe (Pacem eſſe quærendam) idemque inſuper doceat, *de Civ. c.* 14. §. 3. *Jus eſſe libertatem Naturalem à Legibus relictam.* Neceſſariò ſequitur homini in hoc ſtatu nullum jus competere faciendi contra leges Naturæ, ruendo in bellum, cùm nondum conſtet pacem haberi non poſſe; aut arrogando ſibi jus in omnia, cum Lex Naturæ vetet hominem illud retinere, etiamſi ſupponatur illud aliquando habuiſſe, quorum utrumque Hobbius docuit *de Civ. cap.* 2. §. 23. Evaſio Hobbii indè petita quòd Leges hæ nondum obligent ad actus externos propter defectum ſecuritatis, alibi à nobis examinata eſt; hîc illud tantum dico, eas nullam habere obligandi vim, adeoque nec quicquam participare de Legum Natura, niſi actus externos reſpiciant. Quoniam impoſſibile eſt pacem cum aliis quærere, aut decedere de jure ſuo, actu aliquo interno; hi enim actus naturâ ſuâ ſunt tranſeuntes ejuſmodi qui homines extra nos poſitos reſpiciunt. Quòd ſi reſpondeat eos impropriè dici Leges, uti innuit *de Civ. c.* 3. §. 33. hoc regero. Ea quæ nunc attulimus, quæque mox afferemus, propriam legum naturam in iis evincere. Interim vero, quod ad Hobbium attinet, hoc neceſſario ſequetur, ſi nullæ ſint Leges propriè dictæ in ſtatu naturæ, nulla ſunt ibi jura propriè dicta, hinc jus illius ad omnia, & ad bellum cum omnibus gerendum impropriè jura eſſe, & impropriè fundamenta Moralis ac Civilis diſciplinæ. Non enim magis propriè ſunt jura quàm ſunt conceſſa ſeu relicta nobis à Legibus propriè dictis: nec aliæ ſunt eo in ſtatu leges præter Naturales. Quare ſi leges Naturæ non ſint propriè leges, nec jura Naturæ ſunt propriè jura; & Hobbius dum hæc tradit pro principiis Moralis Philoſophiæ, ac Civilis Diſciplinæ erit impropriè Philoſophus, impropriè Politicus; & quæ hinc pendent omnia ac pro legitime demonſtratis ab Hobbio venditantur, ſunt impropriè demonſtrata.

§. XXXI

§. XXXIX. Verum tædet harum contradictionum. Transeamus itaque ad tertiam Rationem quæ pœnæ metum Legum Naturalium transgressoribus merito incutiat. Ea autem sumitur à Natura Rationali quæ Deo hominibusque communis est; quæque causa est proxima pœnas sumendi. De hac autem hæc habemus comperta, è quibus quid sit futurum uniuscujusque animus non potest non præsagire. Certum est rectam Rationem (adeoque etiam Divinam) dictare necessarium esse medium ad bonum Commune, ut decernantur pœnæ in actus humanos illi adversantes, quarum acerbitate & rationabili metu coerceantur malevoli. Unde patet licere per rectam Rationem de talibus pœnas sumere, eosq; adeo pœnæ obnoxios esse quandocunque alii eam sumere velint & possint. Certum est insuper omnes, quibus cordi est Commune bonum (in quo censu Deus est, omnesque boni) & omnes præterea, quorum interest ut alieni invasio ab aliis non fiat (quo nomine plerique omnes etiam mali comprehenduntur) re ipsâ velle pœnas iis infligere, quos compererint aut talia perpetrâsse, aut etiam voluntatem talia perpetrandi indicâsse. Quin etiam quamvis Voluntas Dei hominumque locum aliquem veniæ quandoque indulgendæ reliquerit, certum est tamen Rationem cum respectu ad bonum Commune eo usque ubique valere (quoniam omnium interest ut illud satis muniatur) ut nunquam tanta veniam sperandi causa detur, quin manifeste constet, satius esse non peccare, & veniâ non carere. Ratio enim omnium id immutabiliter postulat ut Communi omnium bono adversantia pœnis ad id tutandum sufficientibus oppugnentur, pœnasque nullas sufficere posse, si major relinquatur causa sperandi veniam, quàm metuendi vindictam. Hinc etiam necesse esse dictat Ratio ut omnis pœnas evadendi spes multum superetur, partim earum frequentiâ, partim acerbitate: Exigua enim differentia inter causas metus ac spei vix potest sentiri. Necesse est autem ut frequentiâ potius quam acerbitate pœnarum

quæ

quæ re ipsâ ſumuntur, impunitatis ſpes tollatur: Quoniam hâc ratione proportio inter crimina & pœnas meliùs obſervabitur, & querelæ illi locus non relinquitur, quâ objiciatur iniquè aliquorum pœnas majores fieri, ut alii pari in crimine evadant impuniti: denique quia nihil ab hominibus ultra mortem infligi poteſt. Mors autem etiamſi foret certa, mihi non videtur eorum flagitia ſatis punire qui pluribus aut publicè longè utilibus vitam eripuerunt, & horrendis inſuper cruciatibus illos torſerunt. Officium ſuum deſereret ratio communis, id eſt contra rationẽ faceret, hæc ſi negligeret; hominesque hæc niſi vindictâ perſequerentur, malevolos lucri ex impunita nequitia provenietis ſpe, ad injurias ſibimetipſis inferendas, velut dato pretio ſollicitarent. Quòd ſi dubitetur an non velint Rationales, ſed an poſſint illos qui in publica peccant commoda deprehendere & punire, illud ſtatim occurrit; Divinam ſcientiam & potentiam nihil prorſus effugere poſſe; nec dubitari poteſt, quin ad id faciendum propendeat Dei voluntas, quod ad ſummum finem neceſſarium eſſe recta, adeoque Divina ratio decreverit. De hominibus autem dum extra regimen civile in ſtatu æqualitatis juxta Hobbianam hypotheſin conſiderantur, facilè eſſet evincere, cùm neceſſaria tantùm quilibet ſua dicere poſſet, paucioribus locum eſſe criminibus, eaque facilius detegi poſſe, nec difficulter puniri; præſertim ſi plures inter ſe conſenſerint ad coercendum malevolum, cujus nequitia omnibus hoc in caſu pariter cogitetur periculoſa. Cùm itaque omnium interſit, ut qui commune bonum Legum Naturalium violatione oppugnant, puniantur; atque inſuper Natura hominibus ſingularem præ cæteris animalibus ſolertiam dederit, quâ poſſint latitantes flagitioſos deprehendere, & gloriæ calcaribus quæ à cæteris animalibus non ſentiuntur, ad communes hos hoſtes coercendos acriter omnes exſtimulet, graviſſimæ ſunt pœnas metuendi cauſæ, & exigua reſtat eas evadendi ſpes.

§. XL.

§. XL. Verùm tædet tam longæ tractationis de indiciis Obligationis à pœna, aut ejus periculo desumptæ: præsertim quoniam bona illa seu præmia quæ cum fœlicitatis communis studio conjunguntur (etsi illa à plerisque inter Legis characteres, & Obligationis indicia non numerentur) mihi tamen videntur clariora & priora Divinæ voluntatis indicia, quàm pœnæ oppositos huic studio actus certissimè consequentes; eaque nunc à nobis veniunt consideranda. Supponimus autem hîc, uti priùs, nexum omnem seu concatenationem inter antecedentia & consequentia in rerum natura à primæ causæ voluntate proficisci: eadē quippe ratio quæ res ipsas à prima causa factas esse probat, ordinem omnem seu nexum inter easdem naturalem ab eadē provenire demonstrat. Eapropter etiam ubi disquiritur, an prima Causa mundum dictatis practicis, seu Legibus Naturalibus regere voluerit nec ne, hîc tamen tanquam concessum sumi potest, Consequentia actuum humanorū tam bona quàm mala ex ejus voluntate eos sequi semper.

Duo autem hîc paucis expedienda sunt; (1) Ostendemus ex Naturæ ordine experientia noto, bona tales actus sequi, & quidem tanta, quanta ex oppositis vitiis cum ratione sperare non possumus. (2) Horum bonorum consecutionem indicium esse naturale sufficiens voluntatis divinæ tales actus imperantis. Nec opus erit multa hîc congerere, quia quæ dicenda forent ex iis quæ de pœnis diximus, velut ex oppositis parallelis facilè colliguntur. Inprimis autem in bonis his numeramus securitatem à malis in caput suum accersendis quę multoties improbos premere modò ostendimus; nec ea libet repetere. Hoc tantùm hîc visum adjicere fugam metumque mali eodem modo boni prosecutionem & acquisitionem exprimere quo duobus negativis affirmatio enunciatur. Malum enim bonorū quæ natura flagitat, carentiam dénotat, ejusque evitatio re ipsâ est boni prosecutio, quæ ideò tantùm per aversationem malorum exprimitur, quia plurimi licèt bona qui-

bus fruuntur non satis diligenter custodiant, eorum tamen absentiam cùm sentiunt, aut imminere metuunt, ad ea prosequenda aut defendenda fortiùs excitantur. Interim tamen licèt conceptus hujusmodi negativi ac verba eos referentia ab hominibus usurpantur, id in natura rerum quod eos ad agendum impellit est bonum illud positivum, cujus acquisitio, aut retentio ex amolitione causarum illi contrariarum speratur. Privationes & negationes Voluntatem humanam non movent: nec aliâ ratione fuga mali est illius objectum, quàm quatenus conservationem alicujus boni significat. Quicqid virium tribui solet pœnis, malisve naturalibus ad excitandos homines in eorum fugam, id totum resolvendum est in vim impulsivam, aut attractivam illorum bonorum, quibus, à pœnis aut malis, privarentur. Ea omnia quæ ob Mortis aut Egestatis metum fieri dicuntur, magis propriè & Philosophicè ex amore Vitæ, aut Opum fieri dicenda sunt. Nullus esset Morti locus nisi Vita præcessisset; nec posset illa metui nisi hæc priùs expeteretur. Par est ratio in omnibus malis, ideoque necessariò in omnibus actibus voluntariis amori, seu conatui versùs bonum prior est locus, quàm fugæ mali. Omnis sanè Motus promiscuè denominationem habet nunc à Termino à quo, nunc à Termino ad quem; sed speciem (uti vocant) seu perfectissimam naturæ suæ limitationem accipit à Termino ad quem. In Motibus autem Voluntariis peculiaris est ratio, cur à bono potiùs demonstrarentur, quoniam non illuc solùm tendunt, sed etiam ab ejus vi primum excitantur.

Visum est autem hoc annotare inprimis ut oppugnem ratam illam Epicuri sententiam summam voluptatem (quæ ipsi est summum bonum & finis) in amotione doloris collocantis; cui affinis videtur Hobbii sententia qui homines societatem quærere docuit ex metu mali; cum spem saltem boni indè orituri facile esset videre; nec majus ullum è rerum humanarum conditione haberi potest quàm quod

pro-

profert societas. Siquidem dominatio illa omnium in omnes unde bonum societate majus Hobbius hauriri posse autumat, manifestò est impossibilis: vide *lib. de Civ. c.* 1. §. 2. Deinde verò, & quidem præcipuè hæc monuimus, ut pateret, indicia obligationis, à bonis ac præmiis studium boni communis consequentibus desumpta, eandem prorsus vim habere cum iis quæ à pœnis sumi solent; licèt hæc vulgo, sed confusâ cognitione, magis agnoscantur. Immò verò pœnarum vim si quis distinctè velit cognoscere, sentio eam ad naturale fœlicitatis nostræ tuendæ augendæq; studium esse reducendam. Nam, quemadmodum Conclusiones Theoreticæ quæ demonstrationibus apagogicis, ad absurdum aut impossibile è positione contrarii deducentibus probantur, longè melius & magis naturaliter è definitionibus aut proprietatibus indè fluentibus deducantur: ita & practicæ Conclusiones quæ ad actus quosdam nos determinarent, quoniam mala ex oppositis actibus sequuntur, longè meliùs è bono præsertim maximo indè directè profluente probantur. Optimum certè compendium Ethicæ est veræ fœlicitatis unicuique possibilis, ejusque causarum omnium suo ordine dispositarum idæa. Hinc enim & vis & fructus actionum humanarum, nec non eorum locus opportunus statim conspicitur, ut planè nihil desit quod voluntatem dirigat & flectat. Quanquam autem Legum Civilium Latores hâc uti methodo non videantur, quoniam rara est præmiorum, crebra verò pœnarum in iis mentio; nihilominus tamen rem ipsam si intimius perscrutemur, videbimus ex respectu ad hunc finem, fœlicitatem scilicet quatenus societate Civili promoveri potest, omnes Leges Civitatum inveniri, suaderi, ac stabiliri, quandoque etiam mutari, aut relaxari, vel etiam abrogari.

Idque facile esset innumeris Exemplis è jure Civili, aut etiam nostro probare. Immò & ipsa æquitas ex qua Leges vel interpretationem accipiunt, vel etiam quandoque correctionem, ad utilitatem communem respicit. Unicam

tantùm citabo Legem, *Digest. l.* 1. *tit.* 3. *leg.* 25. *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem*, è Modestino. Innuitur autem tum leges, tum etiam æquitatem ad Hominum commoda cumprimis spectare, quo nomine omnia fœlicitatis auxilia, quæ legum ope obtineri possunt, comprehenduntur. Hæc autem sunt obedientiæ Legibus præstandæ præmia sanè amplissima. Quoniam autem protectio ab injuriis indeque nata securitas, reliquaque Civitatum bene constitutarum commoda communia sunt omnibus subditis, & ex obedientia omnibus simul legibus præstanda nascuntur, ideo opportunum non erat, magna hæc beneficia in una aliqua lege polliceri: sed singulæ leges, si ipsarum finis probè consideretur, suum secum præmium apportant. Obedientia autem iis omnibus præstita, aggregatum omnium commodorum, quæ in qualibet Civitate vi Regiminis obtinentur, & conservantur, habet pro præmio. Miseriæ evitabilis fuga, metusque, si quando è distincta cognitione procedat, possibilis fœlicitatis notitiâ posterior est, & indè derivatur. Quare vel hoc nomine longè præstantior est methodus antiquorum Philosophorum, qui virtutes earumque regulas, leges naturales, colendas esse docuerunt, ut media necessaria ad fœlicitatem, finem omnium perpetuum, quàm illa Hobbii, qui eas esse voluit tantùm conditiones pacis faciendæ, seu finiendi bellum quoddam omnium in omnes quod nemo sanus unquam susceperit; sed pacem servaret potiùs, utpote quam inter partes, aut media fœlicitatis tuendæ quærendæque semper numeraverit. Pax enim non necessariò bellum præivisse denotat, nec per ejus remotionem definienda est, uti eam definit Hobbius *de Civ.c.* 1. §. 12. ut Hypothesi suæ, quam postea stabilire voluit, inserviret: est enim status quo concordiæ, & officiorum mutuorum beneficiis rationales inter se perfruuntur; & bellum per sublationem

pacis

pacis definiendum est: planè uti sanitas definienda non est per absentiam morborum, sed morbus per naturam suam sanitati contrariam. Primum semper locum habet Natura, eique proximè cohærent tum causæ ejus conservantes, tum effecta ejus seu functiones prorsus illæsæ: tandem per comparationem cum his morborum, omniumque oppositorum cognitio distincta acquiritur. Sanitas non expetitur ut morborum dolores fugiamus, sed propter se: Sic pax ob sua commoda, non ut belli clades vitemus. Verùm de his non est hîc ulteriùs disquirendi locus; sufficit quòd inter bona virtutem consequentia, numeratur securitas tum à malis internis, turbulentis nempe affectibus, irrequietâ conscientiâ, *&c.* tum ab externis pœnis, quæ, in statu Hobbii naturali, bella dicuntur, quæ in suum caput à flagitiosis accersuntur. His sese malis non mulctant boni, etsi aliundè gravia quandoque patiantur, quæ aliis pariter imminent.

§. XLI. Transeamus nunc ad majora illa præmia, quæ Natura proponit, & certissimè persolvit iis qui bono Communi student; quippe quæ illi intimè & essentialiter conjunguntur. Illa autem sunt mentis perfectiones intrinsecæ, virtutes morales simul omnes, Religionis Naturalis fructus universi, vitæ æquabilitas, quâ sapiens secum perpetuò cōsistit, tranquillitas animi, & gaudium è suavissimo horum omnium sensu natum, quod & perpetuum est, &, quia à nobis ipsis oritur, intimiùs nos afficit, & explet. Compendio studēs hæc omnia velut in fasciculum collegi, in quibus ipsi etiam Ethnici, ac Philosophi, qui aliàs inter se pugnant acerrimè, consentiunt tamen delicias longè maximas degustari, & hæc cum fœlicitate humana intimè conjungi.

Facilè hîc esset mirum hactenus consensum ostendere inter Peripateticos, Academicos veteres & novos, ipsosq; etjam Epicureos, quanquam alii virtutem unicè bonam, alii tantùm è bonis præcipuum, alii eam ipsissimum esse finem contenderint, alii medium ad illum consequēdum maximè

idoneum & summè necessarium. Hoc enim ipse Epicurus frequenter inculcat, tam in dictis *de sapiente*, quàm in *ratis sententiis*. Quin etiam id ipsum suo exemplo comprobavit (saltem si qua fides ipsius dictis novissimis quæ mihi Hyperbolem sapere videntur. *Ait enim, se vesicæ, & exulcerati ventris tormentra tolerare, ulteriorem doloris accessionem non recipientia*; *esse nihilominus sibi illum diem beatum propter animi lætitiam è memoria Rationum, Inventorumque suorum natam*. Legantur, si libet, ejus verba apud Laertium in Epistola ad Idomenen. Certè etsi aliquid in his sit jactantiæ, illud saltem probant eum agnovisse aperte, animi lætitiam insignem è vera Naturæ cognitione, & è vita ex Rationis consilio transacta suboriri; quæ homini vehementissimis doloribus afflicto possit subvenire; & instar præmii ad virtutem animos hominum stimulare. Solam ille contendit virtutem à voluptate esse inseparabilem: voluptas autem apud ipsum est summæ Fœlicitatis nomen. Quòd si hæc in confesso sint apud Philosophum, qui omnium turpissime lapsus est in Naturæ investigatione (quippe nullum sapientiæ aut bonitatis & providentiæ divinæ vestigium in insigni adeò ordine & utilitate rerum omnium agnovit) quantò majores ii sentiunt delicias in virtute, ac boni cōmunis studio, qui è penitiore consideratione longissimæ & ordinatissimæ seriei causarū naturalium ad producēdos effectus pulcherrimos consummatissimósque conspirantium, demonstrare possunt facile, fieri non posse ut universum hoc è principiis Epicureis cōsurgere potuerit; sed necessariò requiri ut divina vis, & consilium rebus naturalibus, præsertim verò humanis, movendis, ac disponendis intersit? Hinc enim statim agnoscent Deum ipsum universi conservationem, quod bonum est commune, perpetuo moliri, & (uti ostendimus) id ipsum ut agant pro virili hominibus imperare; unde mox percipient suavissimum concentum inter suas actiones & Divinas: ex hac autem cum Deo consensione percepta necessario sequitur

jucun-

jucundissima animi lætitia & tranquillitas, veluti sub tutissimo illius præsidio; nec non ingens spes beatæ immortalitatis ab illius benignitate accipiendæ. Sola Epicuri secta è tot Philosophorum Scholis Deum bonum universi curare, adeoque Justitiæ (quæ idem agit) inter homines favere negavit. Cujus hæc mihi videtur ratio, quòd uti Cicero, cum Possidonio, in *Lib. de Nat. Deorum*, sæpe innuit, Naturam Divinam oratione quidem relinquere, sed re ipsâ tollere voluit: Ideoque quæ de Diis dixit invidiæ tantùm, & periculi devitandi causâ locutum fuisse. Inter multa autem quæ in nefandum hunc errorem eum perduxerint, hoc mihi videtur non minimum fuisse quòd Naturæ cognitio, quâ fretus providentiam Divinam ausus est rejicere, tenuis admodum illi erat, & minimè profunda. Quanquam enim non me lateat multa in ejus defensionem à Gassendo dici; iis tamen non obstantibus, perspicuum est ejus Physiologiam in principia quædam resolvi, quæ multa postulant non concedenda; & tamen quæ si forent concessa, non sufficerent ad constituendum hoc quod conspicimus pulcherrimum Systema. Scilicet omnia is fieri supponit ex atomis duplici Motu Naturali per inane volitantibus, altero perpendiculari, altero declinante, eásq; ab innata gravitate motum accipere. Ac sic gravitas quicquam esset distinctum à Motu, vel conatu deorsum, aut ejus causa non esset quærenda. Sed non immorabor his refutandis, quippe hæc recensuisse in sæculo cui nota sunt meliora, est abundè satis refutâsse. Leges Motûs is nequaquam intellexit, nec satis observavit insignem illum ordinem, concatenationem, & dependentiam, qui conspicitur inter innumeros illos complicatos motus, è quibus perpetuæ in hoc systemate generationumq; mutatiomnumque omnigenarum vices prodeunt; in his tamen, & in proportionibus figurarum, motuumque exinde ortis, tota fere consistit naturæ corporeæ pulchritudo; & in his investi-

gandis ſublimioris Phyſicæ, dicam an Matheſeos, vires inprimis occupantur (cõjuncta eſt enim ſublimiorum harum ſcientiarum cognitio) Confeſſum autem eſt, Epicuri tantã in Matheſi fuiſſe inſcitiam, ut figuram ſuperficiei terreſtris ſphæricam eſſe non agnoverit; ſed planam eſſe contenderit: quod è primis Geometriæ elementis facilè refutatur. Ecquis ab hoc homine quicquam ſani expectaverit, de totius mundi ſyſtemate, & de ordine pulcherrimo inter partes ejus motusque inſigniores, è quibus & primi motoris Exiſtentia, & ejusdem in iis regendis Providentia demonſtretur? Certè mihi ſummum in eo animi ſtuporem indicare videtur, quòd curioſam adeò plantarum omnium & animalium ſtructuram è cæco atomorum confluxu, absque ulla rationis opera exortam eſſe tradit. Citiùs crediderim urbes, in quibus ædificia ac templa niteant columnis, cæteroque apparatu, qui architecturæ Vitruvianæ ornamẽta omnia exhiberent, & ſuperarent, è confusâ lapidum concuſſione per diuturnum terræ motum conſtructum fore. Verùm ipſum ſe ſuperavit inſaniâ, cùm humanam mentem, ipſamque adeò rationem, ſapientiam, artesque ac ſcientias omnes, absque ope rationis, è fortuito earundem atomorum concurſu ortum habuiſſe tradidit: Hæc autem priùs credenda ſunt quàm ex illius Phyſiològia diſcere poſſis, Religionis & Juſtitiæ præcepta mentibus noſtris non ſuggeri à natura rerum Dei voluntate gubernata, & priusquam ſpes ampliſſimi propter obſervantiam eis præſtitam præmii, metusque vindictæ imminentis eorum violatoribus humanis animis excuti poterit.

Verùm mittamus Epicurum cum ſuo grege nuper licèt aucto: Eſt aliquid quod apertiſſimè in *ratis ſententiis* agnoſcit, Juſtum ex ſua virtute hanc conſequi fœlicitatis partem, quòd ſit maximè omnium ab animi perturbatione immunis ſeu tranquillus. Nec mirari licet eum non fateri Numinis rationem, ac perfectiones cæteras actionibus humanis intereſſe, qui eas in totius mundi conſtitutione ac

conservatione conspici posse denegârit. Eo autē ipso quòd necesse habuit hæc negare, ut homines ob suos actus nihil à Deo sperarent, aut metuerent, satis ostendit se etiam sensisse amplioris præmii Justitiæ tribuendæ spem, & vindictæ metum non minùs esse rationalem, quàm certum est mundum ratione divinâ constitui & disponi. Cumque hoc ab aliis luculenter sit probatum, nos rem nostram huc perduxisse contenti, id ulteriùs non persequemur: satis certè probatur ea propositio, Lex esse naturalis, quæ probatur pœnis præmiisque sanciri ab ea causa quæ ordinem inter antecedentia & consequentia omnia in mundi compage universa constituit.

§. XLII. Videbit interea prudens Lector, me virtutes omnes, eamque, quam secum ferunt, mentis perfectionem, inter consequentia fœlicia seu præmia naturalia benevolentiæ universalis numerare: Sunt autem, uti postea ostendemus, eo ferè modo dictaminis practici eam imperantis consequentia, quemadmodum peritia demonstrandi, construendique varios casus quibus generale aliquod problema Geometricum obnoxium est, è notitia Methodi generalis illud problema solvendi sequitur; in cujus tamen usu notum est requiri animum præsentem, qui ad ea omnia in quibus varii casus differunt, diligenter attendat; aliter enim facilis erit in errores lapsus. Interim tamen, quoniam singulæ virtutes sunt amoris hujus diffusissimi partes, variique modi eum exercendi, adeoque re ipsâ eæ simul omnes eum constituunt, seu cum eo (si cum Scholis loqui liceat) identificentur, virtutem sui præmii partem esse magnam agnoscimus, & plurimum illius fœlicitatis, quam quærimus, in ea contineri monemus. Hoc autem ita intelligo, quemadmodum dicimus, sanitatem magnam esse partem fœlicitatis quam quærunt animalia. Ille status est animi functionibus suis ritè peragendis idoneus; hic corporis parilis est conditio: uterque status placidum sui sensum animo imprimit, ideoque lenem quidem sed constantem

S 5 gene-

generat lætitiam ; etiam cum res aliæ minùs fœliciter succedunt. Non libet autem hac in materia distinguere inter sanitatem hanc animi & ejusdem sensum, seu fruitionem, quandoquidem Natura hæc adeò intimè conjunxit, ut liberi virtutum actus & earum perceptio seu conscientia divelli nequeant à se invicem: nec tamen litem illis movebo, qui virtutem malint dicere fœlicitatis formalis causam efficientem proximam, modò de re consentiant, eam & præsentem hominis statum parte fœlicitatis essentiali & nobili locupletare, & ad majorem illam postea acquirendam viam munire ac spes erigere. Nihil enim impedit quin eadem sit aggregati alicujus successivè existentis (tale enim est humana fœlicitas) pars, & tamen aliarum partium ejusdem aggregati quæ postmodum existent causa efficiens; scil. ut idem homo civitatis Romanæ pars sit, & pater filii de eadem civitate futuri.

Innumera quidem sunt apud Philosophos, è Stoa præsertim & Academia, quæ luculĕter simul & nervosè evincunt virtutes fœlicitatem secum necessariò apportare, utpote ipsi essentialiter conjunctas: quæ, quia Doctorum manibus quotidiè versantur, non existimavi esse transcribenda. Sufficiat quòd libentissimè agnoscam eas esse eximias partes fœlicitatis humanæ, adeò ut nec sine iis quispiam (aliis licèt bonis cumulatissimus, fœlix esse possit: nec eæ dum affluxerint, miser, quamvis calamitosus. Dignæ itaque sunt quæ propter intrinsecam sibi perfectionem appetantur, etiamsi nulla esset Naturæ Lex quæ illas imperaret: idque diligentiùs probarem nisi non modò concessum, sed & fusè probatum viderem à Torquato apud Cicer. 1. *de Fin.* dum ipsius Epicuri sententiam defendit. Nos autem ex his Philosophorum observatis probatis, aut concessis contendimus dari naturale indicium, quod à voluntate primæ causæ præmium talibus actionibus an-

annexum fuerit; adeoque quòd eadem causa voluerit homines, quos prævidere docuit præmia consecutura, ita agere ut præmonstratam fœlicitatem assequantur. In hujusmodi voluntatis indicio consistit legis promulgatio, & inde immediatè sequitur naturalis & moralis Obligatio. Atque hoc est ad quod videntur satis non respexisse etiam illi Philosophi, qui virtutem velut summam fœlicitatem sectandam proposuerunt. Videtur enim mihi multum ponderis accedere ad argumenta à suavissimis virtutum fructibus ducta, si illi considerentur velut præmia à voluntate primæ causæ virtuti adjuncta, eo consilio, ut hominibus indicaret velle se eos ea potiùs facere quæ naturalibus, & facilè provisis præmiis cohonestavit, quàm iis contraria quæ ex natura sua, in systemate rerum omnium ab eo constituto, sciuntur ad perniciem homines deducere. Impossibile enim est ullis signis naturalibus hominibus apertius & efficaciùs suadere, ut quicquam agant aut cum authoritate indicare hoc à Rectore imperari; quàm si perpetuis, & Naturalibus præmiis actus tales ab Authore Naturæ decorentur. Signa arbitraria, ut verba pronunciata, aut scripta, ad indicandas suas Leges nemo sanus in ordine Naturæ à Deo expectat; nec si darentur, posset eorum significatio tam certò intelligi, quàm cognoscitur vis præmii ad impellendas hominum mentes, ad ea facienda quæ conspiciunt eo honorari. E conjecturis enim, quibus utimur adhuc pueri, non prorsus demonstrativis colligimus, quid verbis, quibus homines inter se utuntur, singuli velint indicare: hæ tamen sufficiunt, ut plerumque intelligamus Civilium Legum sententiam. Præterea verò observavi plurimos ita esse animatos ut mentis suæ perfectionibus nuncium libenter remitterent, & contenti essent eâ fœlicitate carere, modò liceret cupiditatibus quibusdam indulgere; qui tamen, ubi sufficiente

te indicio constat voluntatem Dei legem præmiis pœnisque sanxisse quæ cupiditates illas coercet, & aliò eorum studium operamque avocat, eam reverentur & observant, & facilè conjiciunt majora bona aut mala ex actibus suis per interpositam voluntatem Dei sequi posse, quàm quæ distinctè prospici possint. Indicium enim etiam leviusculum, modò certum sit, voluntatis supremi rerum Domini, ingens apud omnes verè Rationales habet momentum; quoniam maxima quæque ab ejus favore & ira meritò expectentur. In hoc præmiorum genere continetur beata illa Immortalitas, quam bonorum mentes à corpore separatas manere dictat ratio Naturalis, quia percipit mentem aliam esse à corpore substantiam, utpote nobiliorum operationum causam, eandemque sentit constanti proposito munitam, perpetuam benevolentiam, omnesque adeò virtutes exercendi. Manifestum autem est illam substantiam beatâ fruituram esse immortalitate, quæ corporis morte propter naturæ suæ diversitatem non læditur; quæque adeò vitam agit suavissimâ pristinæ virtutis memoriâ satiatam, & ad omnes quas æternitas feret virtutem exercendi opportunitates paratam. Nam propter ea quæ proximè dicta sunt, quæque omnis testatur experientia, bonorum beatitudo à virtutis memoria, & exercitio nequit divelli. Verùm sufficit hoc breviter indicâsse, quod ab aliis latiùs pertractatum est.

§. XLIII. Tertio demum loco inter præmia naturaliter consequentia boni Communis studium, censenda veniunt omnigena societatum politicarum commoda: illæ enim omnes boni Communis curâ constituuntur primitùs, & postea conservantur. Habent sanè civitates peculiarem quendam ad suos Cives respectum; ita tamen ut imperantes cumprimis prospiciant, ne aliis extra suam civitatem degentibus noxam inferant, fidem violent, aut ullum gratitudinis, aut humanitatis officium denegent: In his enim capitibus præcipua pacis, bellique jura continentur; quæ me-

mediante imperantium operâ, à singulis Civibus bonis erga reliquos terræ populos observantur. Ex hoc autem principio deducendam esse Civitates omnes constituendi rationem alibi explicabo latiùs, si opus videatur. Interim ingentia esse societatum commoda, éasque constitui non posse aut conservari, nisi præcepta virtutum plerarumque in Legis Civilis partem, & authoritatem assumantur plurimis in locis concedit Hobbius; ut hîc plura adjicere non videatur necesse. Illud itaque solum annotare visum est, in hunc censum à me referri bona illa Societatis, quibus licèt aliquando nonnulli careant, adeòque contingentia sint dicenda, sunt tamen talia quæ cum aliqua probabilitate sperari possint. Habent enim bona contingentia hujusmodi valorem & æstimationem in hac quæstione nequaquam negligendam. Talia sunt rerum necessariarum copia, vitæ securitas, honores, divitiæ, liberorum fœlicior educatio, amplior eruditio *&c.* Hæc certè non omnibus, saltem non æqualiter contingunt è societatis beneficio. Existimo tamen omnes longè pluribus hujusmodi bonis exinde frui, quàm possint eis obvenire, si nullum inter homines vigeret boni publici studium, nullæque essent societates Civiles; sed omnes in ferino illo statu degerent, in quem Hobbius rectam singulorum Rationem omnes deducere contendit, antequam Civitates constituantur. Ideo autem necesse est ut contingentium hujusmodi bonorum valorem æstimemus in deliberationibus de iis quæ cum hominibus acturi sumus; quoniam omnia effecta quæ à liberis ejusmodi agentibus sperare possumus per actus nostros erga illos obtinere, ex natura sua subjiciuntur hujusmodi contingentia: adeò ut aut prorsus nihil boni ab illis obtineri posse sperandum est, quod perpetuæ repugnat experientiæ; aut aliquo pretio æstimandum est illud Civile bonum quod incertæ plenum est aleæ. Ego certè commoda (quæ dixi) è societate Civili immediate, sed è Legis Naturalis observatione, è studio boni Communis primùm orta, tanti æsti-

mo, ut ipſam vitæ jacturam (quam Leges Naturales aliquando facere jubent pro patria) iis abundè compenſari & ſuperari animitùs crediderim. Educatio enim liberalis, Eruditio, ſecuritas Civilis ſuaviſque hominum convictus, cæteráque quibus è mutuis auxiliis fruimur ornamenta, ea ſunt quæ vitam faciunt vitalem; ideoque poſtquam ea beneficio Civium bono publico inſervientium per aliquot annos accepimus, Cives ejuſmodi non iniquum poſtulant, ſi jubeant, ut vitam ab iis acceptam, & toties conſervatam iis reddamus, aut in illorum utilitatem impendamus. Immò debitores ſumus patriæ noſtræ, ſeu Concivibus noſtris, ſi ex illorum juſſu raró, & in extrema tantùm patriæ neceſſitate, illi rependamus, quod ipſa nobis tribuit indies, ac perpetuò. Pauci ſunt qui alios lædere voluerint propter obſervationem Præceptorum Legis Naturalis, ideoque ad earum ſanctionem præmia minora, aut majorum obſcura indicatio ſufficient: Verùm quia plures perſecutiones oppugnant ea quæ fidei, aut diſciplinæ Chriſtianæ peculiaria ſunt, ea propter ad Chriſtianos confirmandos opus erat ut Reſurrectio, & Gloria regni Cœleſtis revelaretur, ne aliis Chriſtiani eſſent miſeriores.

§. XLIV. Oſtenſo jam eorum quæ ſuſcepimus primo, bona nempe maxima actus humanos ad bonum publicum ſpectantes ſequi in eorum præmium; reſtat ut ſecundum expediamus, nempe Collationem horum bonorum ſeu præmiorum à Cauſæ primæ voluntate factam, ſufficiens dare naturale indicium, Deum velle ſeu mandare ut homines in actibus ſuis bonum publicum perpetuò proſequerentur. Quoniam autem hoc mihi videor ſatis oſtendiſſe, ubi de pœnis, & ubi de mentis fœlicitate cum virtute conjunctâ egi, hîc probationis hujus vim in Syllogiſmum unicum colligam. Rector, ſeu Cauſa prima Rationalis, cujus voluntate res ita diſponuntur, ut hominibus ſatis evidenter indicetur, Actus quoſdam illorum eſſe media neceſſaria ad finem ipſis neceſſarium, vult homines ad hos actus obligari,

ligati, vel hos actus imperat. Dei autem voluntate res ita disponuntur, ut indicetur sufficienter hominibus studium boni comunis medium esse hujusmodi ad finem ipsis plane necessarium, ipsorum nempe fœlicitatem in communi bono contentam, & exinde solùm cum ratione sperandam. Ergo voluit eos ad hoc studium, seu actus indè promanantes obligari: hoc est, imperat mandatque universalem benevolentiam Legum naturalium summam.

Major sumitur è Definitione obligationis quam antea investigavimus. Minor modò est probata. Ergo. Monendus autem est Lector, Fœlicitatem hîc spectari veram, integrâque, quæ mentis simul & corporis perfectiones, quæ obtineri possint, complectitur, & ad vitam, non præsentem modò sed & futuram (quatenus naturaliter innotescit) se extendit. Pariter autem actuum illorum nomine, qui hujus fœlicitatis media supponuntur esse, intelligimus præcipue ac primò seriem integram actionum per totum vitæ decursum eum in finem eliciendarum, quanquam etiam quilibet actus singularis, qui ad procurandam veram aliquam partem solidæ illius fœlicitatis necessarius est, hoc argumento evincitur ab Auctore Naturæ mandari. Necessarium autem est ad constantem, solidamque (qualem spectamus) singulorum fœlicitatem, ut singuli Rationales de constante aliquo tenore actionum eò facientium aliquid secum statuant. Causarum autem omnium à quarum concursu procurando illa pendet, talis est naturalis constitutio, ut Ratio hominum recta (id est, Naturis hominum conformis, quæque effectum expetitum à causis id re ipsâ producturis pollicetur) nihil aliud indicare possit quod à nobis factum eum ad finem producendum valiturum est, præter hoc unicum, nempe ut universali benevolentiâ Deum hominesque quoad possumus, nobis conciliemus. Vel, quod eodem recidit, Dei, hominumque Natura rectè expensa hoc indicat; Unumquemque bono communi constanter deserviendo suam fœlicitatem (quæ boni illius

pars

pars est) optimâ, quæ in ejus potestate est, ratione procurare posse: adeoque necesse est, ut hoc agat, si, quantum in se est, velit se fœlicem esse. In hoc omnes rectè judicantes de divina humanaque natura, in qua fœlicitatis singulorum causæ continentur, salvâ sui boni curâ, consentire possunt, & sufficientibus indiciis à natura rerum, ejusque adeò Authore datis, moventur, seu sollicitantur, ut actu consentiant, hanc propositionem esse perpetuò veram, perpetuamque actionum regulam sive legem. Scilicet etsi in rarioribus quibusdam casibus contingat, ut singulari alicui homini majores aliquæ commoditates ad tempus obtineri possint, quàm quæ cum Communi bono consistunt; quoniam tamen, spectato integro durationis nostræ decursu, amplior obtineatur beatitudo eas negligendo, quàm persequendo, earum fruitio inter partes fœlicitatis maximæ eidem possibilis non potest numerari. Sub hoc autem unico dictamine valdè generali, tota moralis, ac civilis & œconomica Philosophia, ac quicquid uspiam est veræ prudentiæ & virtutis continetur. Hâc ratione & illis, & nobismet-ipsis prospiciemus optimè; nec tamen ordinem quem in rerum natura reperimus, conturbabimus, ut omnia nobis subordinemus, quod secundo in loco objectum est.

§. XLV. Pergamus itaque ad solvendam eam Objectionem quâ suggeritur, nostrâ methodo investigandi obligationem Legum Naturalium effici, ut commune bonum, adeoque Dei honos, & omnium aliorum hominum fœlicitas privati cujusque fœlicitati postponatur, & ei inserviat, velut fini supremo. Absit autem ut ego tale quicquam docerem: immò verò id hìc stabilire conor, quod ejusmodi sententiam funditùs subvertit, quippe nemini jus ad vitam, aut necessaria ad vitam conservandam competere monui, nisi in quantum cujusq; vita boni Cōmunis aut pars est, aut causa, aut cum eo saltem consistit. Verùm distinctè ostendemus, quomodo hæc inter se cohæreant.

In-

Inprimis itaque observandum est quòd non eodem ordine investigetur à singulis hominibus obligatio Naturalis, quo in natura rerum ab ejus Auctore fundatur, & constituitur. Necesse enim habemus nos ordine primùm uti analytico, procedendo ab effectis quæ proximè nos afficiunt ad varias complicatasque admodum causas secundas; tandemque ad primam ascendimus. Illi tamen nequaquam sumus injurii, si tandem agnoscamus necessaria omnia quæ priùs observassemus effecta ab ejus voluntate originem traxisse, eiq; acceptam referamus omnem quam notaveramus in iis perfectionem. Sic in re nostra, inprimis Naturam nostram quadantenus agnoscimus, & necessaria quædā esse ad ejus fœlicitatem, nec non conatus quosdam planè Naturales versùs necessaria hujusmodi: actus porro nostros liberos quosdam observamus ex natura eorum, quibuscum versamur, velimus nolimus oppugnari, & quantum in ipsis est, coerceri videmus; alios verò actus nostros (qui nempe aliis sunt benefici) sentimus reciproco affectu libentissimè compensari: quin & nosmet-ipsos ita à Natura cōparatos reperimus, ut propendeamus absque deliberatione ad *Vim vi repellendam, & par pari referendum*; nec aliud suadet Ratio consultissima. Ex hujusmodi innumeris perpetuisque observationibus, aliisque qualia suggessimus nos antea, persuasum fit menti humanę benevolentiam aliorum erga alios, aliorum pariter omnium hominum ad præmia ac fœlicitatē viam munire; eòque magis, quò magis sit diffusa. Postquam autem hoc totum ab Auctore Naturæ valdè provido fieri considerat, dubitare nequit, quin is hoc ab hominibus spectari velit, uti reverà est, ut idoneum argumentum à Rectore datum, quo impellerentur ad Benevolentiam universalem exercendam: hoc est (uti ostendimus) ut indicium obligationis, & certissimus Legis character eam imperantis. Quanquam autem hoc ultimò inveniatur, hîc tamen primùm incipit obligatio Legum Naturalium, nempe

à cognita Voluntate Dei, quem ex operibus didiceramus Ens esse perfectissimum, omnium causam, cujusque à nutu omnium, nostraque adeò (de qua naturaliter soliciti sumus) fœlicitas tota pendet. Non aliter ab amore nostræ fœlicitatis oritur obligatio, quàm à fide sensuum testimoniis datâ oritur veritas propositionum de existentia rerum Naturalium & primæ earum Causæ, quæ exinde eruitur. Nemo tamen dixerit nos ideo sensus nostros toti mundo, ipsique Deo anteferre; quandoquidem ipsorum existentiam usumque omnem à Deo velut Causâ primâ, & à mundi systemate, velut Causis ipsi subordinatis, pendere libenter profitemur. Primum est in Natura, ad quod ultimò in ordine hoc retrogrado pervenitur. Quanquam igitur hic ordo cognitionis sit planè naturalis & usitatissimus, ac insuper affectus nostri variique appetitus ita exercentur prout bonorum malorumque cognitionem acquirimus; non tamen exinde pronunciare licet quid sit aut cognitu dignissimum, aut præ aliis rebus amandum. Verùm quemadmodum sensuum ope principia quædam valdè generalia à mentibus nostris addiscuntur, *v.g.* Arithmeticæ, & Geometriæ theoremata universalissima, quorum vi errores, quos plurimi à sensibus male intellectis haurire solent, fœliciter corriguntur; pari ratione è Naturali nostræ fœlicitatis amore prudenter gubernato perveniunt verè Rationales ad eam rerum naturalium, ipsiusque Dei cognitionem, ad eos affectus erga ipsius honorem, ac Communem omnium fœlicitatem, quibus omnis perversa φιλαυτία aut præcavetur, aut extirpatur. Limitati planè intra breves admodum fines & omnis culpæ expertes sunt primi Naturales, ac necessarii illi, quos in hominibus supponimus sese conservandi beandique appetitus, aut eorum saltem aliqui; uti errore carent simpliciora sensuum nostrorum indicia circa propria ipsorum objecta in circumstantiis requisitis. His enim negatis nulla vel Naturam sciendi, vel actiones nostras secundùm regulas Naturæ accommodandi spes esset reliqua,

sed

ſed fruſtranea perpetuò Scepſis in locum Scientiæ, & fortuita prorſus actionum determinatio in locum prudentiæ, certique regiminis affectuum neceſſariò ſuccederet; nihilque intereſſet inter ſapientem & ſtultiſſimum. Quoniam autem è notitia & amore effectorum, quæ nos proximè afficiunt, animus noſter naturaliter acquirit cognitionem, & amorem omnigenarum cauſarum à quibus pendemus, rationalium præſertim; utpote quæ non modò cauſualitatis ſuæ vi, ſed naturæ ſimilitudine in intellectum, & affectus noſtros ſeſe inſinuāt; patet primas illas noſtrum ipſorum notitias, & propēſiones erga noſtram fœlicitatem eſſe tantùm velut gradus ad ſublimiores notitias, & ad affectus diffuſos magis, magiſque intenſos, prout rationes bonitatis, perfectioniſque in objectis conſpicuæ poſtulaverint. Et certè notius eſt quàm ut probatione careat, amoris noſtri gradus, & menſuram non pendere ab ordine temporis, quo res cognoſcitur, aut amatur; ſed è judicio noſtro de menſura Naturalis bonitatis in perſonis & in rebus repertæ. Oſtendimus autem quidlibet bonum judicari non per relationem ad nosmet-ipſos tantùm, quod ſolum in ſtatu Naturali agnoſcit Hobbius; ſed propter vim quam habeat conſervandi, perficiendique quoslibet alios; præcipuè verò aggregatum ex omnibus in *Cap. de Bono*. Hæc autem bonitas ſeu perfectio facilè agnoſcetur major eſſe in toto genere humano, quàm in quovis ſingulari; in Deo autem longè maxima; proindéque ſummè erit amandus.

Summa itaque Rei huc redit; excitamur curâ fœlicitatis noſtræ (quam velut effectum poſſibile ſpectamus) ad conſiderandas Cauſas è quibus pendet; eas præſertim quæ & in efficiendo præcipuas habent partes, & ad eam augendam, aut minuendam actionibus noſtris impelluntur; quales quidem ſunt Deus, hominéſque quilibet. Harum autem cauſarum naturam dum diligentiùs introſpicimus, in iis obſervabimus perfectionem, bonitatémque, ſeu aptitudinem ad conſervandum, meliorandúmque Univerſi ſtatum, ſimi-

lem planè ei quæ nosmet nobis reddidit amabiles: in Deo autem infinitè majorem. Præterea verò singulas reperimus non minùs à ratione sua determinatas ad ea quærenda quæ suæ fœlicitati sunt congrua, quàm sumus nosmetipsi; ut nulla planè sit causa, cur omnes nobis potiùs quàm aliis, ac sibi deservire cupiamus, aut speremus.

§. XLVI. Unicus superest modus, quem suggerit Ratio è notitia summæ seu aggregati ex additione singulorum quæ rationalibus peculiaris est, quo omnes omnibus adeoque singulis (quantum universi ratio patitur) concilientur, nempe ut consentiant omnes in unum finem ab omnibus prosequendum, Commune bonum. Id autem singuli facilè possunt, quoniam natura cujusque Rationalis intellectu prædita est illud quadantenus capiente, & voluntate ad id prosequendum idoneâ. Hâc quippe ratione singulorum fœlicitati, quantum universi natura patitur, consuletur; singuli enim pars sunt communitatis: ea autem fœlicitas quam quispiam temerè optare possit quæ non consistit cum fœlicitate communitatis è rationalibus omnibus aggregatæ, reverà est impossibilis: utpote non consistens cum determinata vi causarum longè majorum, quam voluntas eam optantis; adeoque non potest cum Ratione optari.

Id autem hîc præcipuè observatum velim quòd quanquam nostræ fœlicitatis cura ad causarum rationalium naturam considerandam nos deduxerit; ipsis tamen omnibus intrinseca ratio, ac voluntas, naturaliter ad fœlicitatem sibi possibilem determinata, omnisque ea, quam agnovimus in ipsis, perfectio bonitasque ad statum universi relata efficit ut & possint communem hunc finem sibi proponere, & necessarium sit ut re ipsâ eum prosequi statuant, si quid cum recta Ratione de praxi sua statuere velint. Quippe unicus est finis in quo prosequendo omnes consentire possint; & certissimum est, nihil secundùm rectam Rationem statui posse, in quod omnes non possint consentire. Ideoque à

communi

communi rationali natura oritur necessitas ut quisque universalem exercendo benevolentiam, commune semper quærat bonum, suumque tantùm ut ejus partem, eique adeò subordinatum, quæ Legis Naturalis summa est.

Quoniam autem in hoc rationalium systemate unus est omnium Auctor, Conservator, & Dominus, cujus arbitrio quæ ad aliorum omnium fœlicitatem necessaria sunt disponuntur præcipuè; adeoque ab ejus voluntate ex iis quæ fecit notâ, necessitas hunc finem prosequendi & idoneas actiones (velut media eò facientia) exerendi proficiscitur; obligatio itaque ad tales actus ejus veluti imperantis voluntati soli meritò ascribitur. Quanquam natura aliorum omnium rationalium, inter quos suam quisque numeret, indicet nobis quid rebus ita constitutis factu sit necessarium, ut assequamur finem nostrâ fœlicitate majorem, qui tamen eam quatenus obtineri potest secum feret, ut eâ plenissimè potiamur.

In hac autem analysi quæstionis quam proponimus de modo acquirendi singularis cujuslibet hominis fœlicitatem in quibuslibet circumstantiis, id contingit, quod plerisque mirum fortasse videatur; quod tamen in analysi Geometrica sæpe solet accidere; nempe ut in disquisitionis fine inveniatur non id solum quod primò quærebatur, sed & alia ad rem pertinentia, de quibus qui quæstionem movet, nequaquam erat sollicitus. Invenitur enim primò responsio, seu solutio generalis, quæ non unici illius hominis circumstantiis accommodata est, sed cujuslibet alterius, utpote pariter à Deo hominibusque aliis pendentis; Immò integræ gentes eâdem viâ ad suam fœlicitatem diriguntur. Universalis scilicet hæc benevolentia, & ea omnia quæ in Communis boni cura cōtinentur præcepta, & singulos homines & integras nationes eandem ob causam obligant, propter quam singulari alicui sunt observanda, ut considerando patet. Secundò etiam ex eadem analysi ostenditur quomodo limitanda sit quæstio (quæ sine limitatione pro-

ponebatur) ut solutio ejus sit possibilis ac certa. Nempe requiritur ut proposita cujusvis animo fœlicitas, talis sit quæ consistat cum natura, ac determinationibus aliarum causarum rationalium, quarum vis est major, hoc est, ut consistat cum honore Dei, & bono hominum Communi, eisque inserviat. Aliam si quis expectet sibi fœlicitatem, hâc solutione monetur, votum suum spectandum esse velut problema impossibile adeoque prorsus rejiciendum. Abstineo ab exemplis hujusmodi solutionum Geometricis, quoniam ea Analytices peritis abundè sunt nota, aliis verò ingrata forent, ac à re nostra nimis aliena viderentur. Atque hæc sit prima pars responsionis nostræ ad propositam objectionem.

§. XLVII. Adjicimus autem secundò Finem Legislatoris, nec non illius qui legem Naturalem implet longè majorem esse & sublimiorem quàm est evitatio pœnæ, aut assecutio præmii quibus lex sancitur, & quæ unumquemque subditorum proximè tangit afficitque; quanquam his proximè indicetur obligatio subditi cujuslibet ad obsequium præstandum. Finis enim, *i.e.* effectum intentum directè ab utroque est Commune bonum, honos Rectoris, salúsque subditorum omnium. Hæc autem manifestò majora sunt quàm unius obedientis fœlicitas. Nemo autem verè legi obsequitur, nisi hunc finem animitùs cum Rectore respiciat. Si autem in hunc finem directè & constanter collimet, sinceritati obedientiæ nihil detrahitur, propterea quòd suæ fœlicitatis admonitu primò cœpit cognoscere Rectorem suum jussisse, sublimiorem finem spectare. Frustra sancirentur leges pœnis & præmiis, nisi utilis esse possit eorum consideratio, ad adducendos singulares subditos, quorum fœlicitatem augent minuúntve, ad sinceram integrámque obedientiam. Quippe sanctio istiusmodi legi eo fine adjicitur, ut ea subditos perducat ad majorem finem prosequendum quàm est sua cujusque beatitudo. Cum itaque Ethicæ Scriptores, de Beatitudine cujusque formali, tanquam

quam fine illius ultimo loquuntur, libenter eos interpretor quòd sit præcipuus finis inter eos qui agentē ipsum solum spectant; & non dubito quin unusquisque bonus finem habeat, *i.e.* effectum intendat majorem, scilicet Dei honorem, aliorumque hominum statum fœliciorem. E nostra enim aliorumque rationalium fœlicitate (quam pro data occasione molimur) unum finem summum seu effectum optimum cōflari concipio. Non enim nunc quæritur quodnam è diversis bonis possibilibus sit majus, ac majore ideo studio quærendum (ut sæpe fit inter antiquos Philosophos) sed supposito quòd fœlicitas humana, è multorum quæ diversi sunt generis bonorū confluxu coalescat, & successivè per totum durationis homini naturalis decursum fruenda sit, dum continuam ejusmodi bonorum, aut etiam majorum, quærimus successionem, id nunc disceptatur, an causarum rationalium natura, à quibus pendet hujusmodi fœlicitatis spes, postulet, ut eas nobis conciliemus cōmune omnium bonum privatæ meæ fœlicitati anteferendo, eámque considerando tantùm ut partem communis fœlicitatis, quæ nisi salvo toto conservari non potest? an verò causarū rationalium natura potiùs moneat, ut securitatem mihi quæram præoccupando alios palàm, aut ex insidiis, utpote qui naturaliter sibi solùm consulant, mihique adeò sint hostes? quod satis apertè docet Hobb. *de Civ. c.* 5. §. 1. Ego verò in agentibus Rationalibus eam agnosco Naturæ bonitatem quæ propendeat ad alios universaliter juvandos, si modò illi in Commune bonum consentient. Hæc autem inde oritur quòd omnes quò majore polleant ratione, eò magis proni sint in hunc finem, ut omnium maximum, cōsentire, ac judicare suam fœlicitatem hâc unicâ methodo perfectissimam fore: Inde verò sequitur eorum quemlibet pronum esse aliis hunc finem dictis aut factis proponere, & suadere, quamprimùm datur congrediendi opportunitas, nec quenquam posse recta cum ratione consensum suum denegare; adeò ut de nemine præsumere licet eum

in hunc finem nolle consentire, nisi sufficiens sit causa credendi eundem rectam rationem exuisse; alios autem omnes ac si nobiscum expresse consensissent tractandos esse. Hoc autem ipso quòd quispiam secum statuat Commune bonum præ aliis singulorum commodis prosequi, ex sua & aliorum fœlicitate conflatum finem sibi proponit, ejusque partem aliquam assequitur, quotiescunque aut aliis, aut sibi vel tantillum prodest cæteris illæsis. In hanc rem plurimi refert observare finem esse non id solum quo quispiam fruitur, qualis est propria cujusque fœlicitas, sed & effectum omnem quem agens rationalis sciens, volens, & ex intentione producit, aut conatur producere. Atque hinc ea quæ consultò facimus ut aliis prosimus, aut placeamus, non minùs rectè fines nostri habentur, quàm intrinseca illa cuique fœlicitas quâ formaliter beamur. Ipsa interna cujusvis beatitudo nō aliâ ratione mihi finis cujusq; videtur dici, quàm quatenus ejus partes omnes sunt effectus quidam ad quos, velut præstitutos motuum terminos, actiones & affectus nostri à ratione diriguntur. Nec ulla prorsus est causa quo minùs ejusmodi actus & affectus qui ad alios effectus veluti terminos quosdam extra nos positos ab eadem ratione diriguntur, eadem de causa Fines dicantur. Porro inter fines hujusmodi is merito præcipuus dicitur, cujus consideratione libenter, è necessario rationis veræ præscripto, limitamus operationes nostras circa alios fines quoscunque, etiam illos qui ad nostram fœlicitatem spectant. A consideratione autem Communis boni velut integri & adæquati finis, nostræque fœlicitatis velut exiguæ ejusdem partis, determinamus omnes operationes quæ nosmet-ipsos spectant. Ergo Commune Bonum præcipuum finem facimus in methodo quam actionibus humanis hîc præscribimus.

Minoris probatio manifesta est in iis quæ capite primo docuimus, ubi mensuram bonorū unicuique propriam non aliter determinandam esse ostendimus quam per proportionem, quàm quisque nostrûm habet, ad systema omnium rationa-

rationalium, seu ad totum Civitatem Dei naturalem. Prorsus utì nutrimentum idoneum ad conservationem & incrementum singulorum membrorum in animali sano determinatur per rationem quam illud habet ad totius corporis statum optimum.

§.XLVIII. Ad hanc autem limitationem nostræ felicitatis (quam speramus) faciendam, necessariò nos deducunt principia quæ nos posuimus exhibentia Deum, aliosq; homines & illius causas voluntarias, adeò velut nobis necesse sit (earum naturâ id postulante) voluntatem Dei hominúmque nobis conciliare, concedendo ea omnia quæ ipsis, ut totius communitatis naturalis partibus longè maximis, & præcipuis satisfaciant, priusquam cum ratione sperare possumus eos nobis commodaturos esse operam suam rebus nostris planè necessariam. In operando enim propter finem, rationi prorsus repugnat effectum aliud sperare, aut intendere, quàm quod ex natura causarum omnium, præsertim principalium, eò cócurrentium determinetur. Adeoque cùm causæ principales nostræ fœlicitatis sunt alia, præter nosmet, agentia rationalia, ea tantùm ejus mensura erit speranda quam hujusmodi causarum naturaliter necessariarum voluntas & ratio permiserit. Scilicet quanquam in investigatione causarum (utì in resolutione problematum) procedimus ab effectis, quæ confusè plerumque animo concipimus, aut tantùm optamus (qualequiddam est fœlicitas sua cujusque possibilis generali notione animo comprehensa;) in operando tamen (analysi jam peractâ, causisque cum effectis suis proximis distinctè jam repertis, & in mente ordinatis) progredimur syntheticè ab expensis primò curatisque (quæ natura sunt priores) causis singulis (Deo scilicet & hominum aggregato) ad bona illa effecta circa publicam fœlicitatem, quæ ex illarum viribus determinationibusq; cum nostris conatibus concurrentibus obtineri possunt. Prorsus uti in constructione problematum Geometricorum synthesi utimur ordinatâ (quam analysis inve-

invenerat) quæ à punctorum positione, aut à simplicissimarum linearum ductu inprimis cautissimè peracto, aut supposito, notisq; proprietatibus, ex ipsarũ veluti causarum naturâ fluentibus, effecti quæsiti naturam penitus determinat. Facili (si placet) rem εἰκασίᾳ adumbremus Geometricâ: Observat quispiam ad usus suos necessariam esse Mediam proportionalem inter duas lineas datas reperire; mox analyticè inquirens causas quibus ea determinari potest, comperit peripheriâ circuli cujus diameter sit datarum linearum summa, rem commodissimè expediri posse; vide Euclid. *6. prop.* 13. En aliud jam opus, & quidem majus quàm ductio unius rectæ, Mediæ nempe proportionalis quâ caruit, Geometræ nostri cogitationibus proponitur. Connectendæ sunt inter se duæ datæ, & inveniendum est punctum medium in linea ex utrisque constitutâ. Hoc centro, & intervallo à termino alterutro lineæ modò constitutæ desumpto scribendus est circulus, à cujus peripheria perpendicularis demissa in punctum connexionis rem expediet. Perspicuum est in constructione hac, methodo locum esse syntheticæ; & Geometræ nostri operationes non dirigi solùm per respectum ad rectæ illius quam desiderat longitudinem, sed & per considerationem naturæ centri, diametri, circuli, & perpendicularis in punctum datum demittendæ: ex harum enim naturis seu definitionibus ac relationibus mutuis praxeos vis ad obtinendum finem requisitum demonstratur; immò insuper ex his probatur, eandem constructionẽ non ad unius hujusce lineæ tantùm determinationem sufficere, sed & ad innumeras ejusmodi alias aliorum fortè usibus accommodandas. Quoniam ea diameter dividi potest in quovis sui puncto in duas alias lineas rectas, idemque circulus mediam proportionalem inter illas exhibet, alteri fortè, aut ipsi, aliâ occasione utilem futuram. Parili sanè modo singuli homines, dum suæ fœlicitati naturaliter prospiciunt, comperiunt quærendam esse mensuram quandam bonorum, necessitatibus suis proportio-

portionatam, quæ distinctior paulò est ideâ fœlicitatis quæsitæ. Posteà verò diligentiùs causas investigantes, à quibus speranda sunt hujusmodi bona, & à causis aliquot proximis ad eas quæ in rerum systemate à nobis remotissimæ analysin instituentes, naturæ ductu intelligunt, circumfusos undique rationales omnes, tanquam causas à quibus aliquantisper pendemus, respiciendos esse, & generali benevolentiâ concil andos. Quapropter analysis hæc majorem post hæc finem pro quendum esse docet, quàm qui primitus ob oculos nostros versabatur, utpote cui ex natura universi (cujus pars sumus) nostra fœlicitas, quantacunque possibil s est, necessariò implicatur; ideoque vel ea simul cum nobiliori fine, bono nempe publico, honore Dei, humaniqúe generis fœlic tate quærenda erit, vel omnis ejus spes, in rerum natura fundata, erit abjicienda. His ex analysi, seu causarum natura perspectis ad illius nobilioris finis prosecutionem (in quo fœlicitas nostra plenissimè continetur) mens se accing t, causarumque omnium ordinem, ac dignitatem æstimat, juxta mensuras virium, ac determinationum hunc finem spectantium, quas in iis reperit. Hinc cùm Deum & homines ad hunc finem plurimùm posse ac velle percipiat, eorum vires causas esse, seu media maximè idonea agnoscit, uti & illorum Commune bonum est finis: ideoque se iis adjungit, iisque modo eorum naturæ rationali ac dignitati congruo utitur, nempe vel iis proponendo quædam agenda quæ in hunc finem conducant, vel consentiendo cũ in iis actionibus quas illi nobis suadent velut necessarias, aut saltem salvo hoc fine, permissas esse indicant. Hæc autem omnia cùm fiant unicè propter nobilissimum hunc finem, sequitur nos per totam operationum nostrarum seriem, adeoque per totam vitam secundùm hanc rationem institutæ decursum, nosmet iis adjuncturos esse causis; quas scimus ad illius prosecutionem plus posse ac velle, *i.e.* Deo cumprimis ac hominibus præstantissimis: & majores partes hujus finis prælaturos esse partibus ejus minori-

minoribus; *v.g.* publica commoda privatis,&c. Scilicet (ut propositæ modò similitudinis ductum sequamur) cùm ad operationem manus admovemus, inprimis curabimus ut centrum ac principium primum nobilissimi, quod quærimus, effecti inveniamus, justamque ab eo distantiam observemus, id est, Deum spectamus & voluntatis illius indicia quæ in ejus effectis sunt conspicua; deindè verò percurrentes animo singulos, qui nos undiquaque cingunt, homines, velut infinita peripheriæ puncta, omnium ordinem, ac positionem à prima causa determinatam inviolatam servantes, ope motûs cujusdam reciproci, seu beneficiorum permutatis vicibus præstitorum, innoxiam tandem observamus opportunitatem, veluti punctum in datarum linearũ commissura, in qua nobis quantum sufficit concedatur sine noxa aliis illata, atque adeò à circumfusis aliis omnibus determinatur quantum nostræ cõditioni proportionatum sit, ut toti systemati inserviamus, uti à peripheria longitudo mediæ proportionalis quæsitæ. Interim tamen è nobilissimo hoc reciprocæ Beneficentiæ motu fit, ut alii similia, & sæpe quidem, prout occasio tulerit, majora sibi decerpant beneficia, quàm ea fuerint quæ nobis quæsivimus; quemadmodum ex ejusdem circuli ductu non solùm media proportionalis inter duas nobis datas lineas inveniatur, sed & similes inter infinitas alias in quas eadem Diameter dividi potest; eæque mediæ sæpissimè majores sint quàm quæ nobis fuerint necessariæ, quæ quidem aliorum usibus sint idoneæ. Denique non ex Unico quovis Effecto, quod præstare potest circuli descriptio, ejus vis, perfectio ac ordo dignitatis inter figuras à Geometriæ perito æstimatur, sed è conjunctis omnibus effectis, seu ex omnium problematum constructione quæ quovis modo inde pendeat. Pari planè ratione quivis Rationalis perfectionem, ac vim intrinsecam causæ primæ, totiusque generis humani non æstimabit, è sola quam in iis comperit efficacia circa suam tantùm fœlicitatem, sed è stupenda illa effectorum varietate,

&c ma-

& magnitudine, quæ ex his causis jam provenerunt, aut posthæc possint provenire; præcipuè verò è Bono Universi, seu Communi omnium Rationalium quod horum viribus indies conservatur, aut etiam promovetur. Vis enim quævis ex omnium effectorum indè profluentium aggregato unicè mensurari potest, adeoq; vis beneficiendi è summa omnium beneficiorum inde emanantium æstimanda est. Et naturalis ordo dignitatis inter causas beneficas is est quem indicat mensura hujusmodi Beneficentiæ, ut minùs benefici effusiùs beneficis inferiores, seu subordinati respectu hujus attributi dicantur, ut in serie crescente seu ascendente minores numeri dicuntur inferiores.

§. XLIX. Ex his autem manifestum est, quòd rerum naturæ, & intrinsecæ vires animas nostris satis offerunt, unde eorum judicia, seu æstimationes de rerũ bonitate, ordine, ac dignitate dirigantur; idque non è respectu ad nosmet pusillos homunciones, sed ad totum aggregatum entium rationalium, seu integram civitatem cujus caput est Deus; quanquam suæ fortassis fœlicitatis cura ad diligentiorem in rerum omnium naturas disquisitionem quempiam primò deduxerit. Patet etiam quòd si finis, quem diximus, nobilissimi partes inter se libeat comparare, atque ordinem inter ipsas contemplari, superior erit finis pars quæ perfectioni convenit intrinsecæ majori: ut summa sit Dei gloria, deinde sequatur hominum plurium meliorumque fœlicitas, & hâc sit inferior cujuslibet unius beatitudo. Inter media autem, seu causas hujus finis aut effecti unaquæque majorem æstimationis, amoris, curæque (si desideretur) partem vendicabit, quæ ad finem illum plùs poterit: unde summus hîc Deo dabitur locus, proximus plurimorum hominum ac optimorum auxiliis, singularis autem quilibet (adeoque is qui secum de suis rebus deliberat) inferiore adhuc loco contentus erit, si rerum Naturæ auscultabitur. Atque hæc sanè mihi videntur abundè sufficere ad amoliendam omnem suspicionem, ne è methodo

thodo nostra quicquā deducatur, quo singularis cujusque fœlicitas honori Divino, aut publico bono præferatur. Ne tamen cuiquam offendiculo sit quòd ipsa causa prima, totumque aggregatum hominum considerentur velut medium ad finem illud nobilissimum, cujus pars exigua est singularis cujusvis beatitudo; visum est hîc id apertè enunciare quòd sæpiùs innui, nempe vocabula hæc *finis* & *medii* esse tantùm denominationes extrinsecùs effectis causisque attributas in quantum ab agentium rationalium consilio & intentione proveniunt: quodvis effectum ab his destinatum *finis*, & quævis causa cujus vis huc quicquam confert, *medium* appellatur. Denominationes autem hujusmodi in se non cōtinent idoneas mensuras perfectionis rebus intrinsecæ, aut existimationis quam apud alios obtinent. Notissimum enim est, quòd nec Deus, nec homines simul omnes quicquā de sua dignitate aut honore amittant, quoniā sponte aliquid contribuant ad inferioris cujuslibet fœlicitatem. Effectus aliquis particularis ipsius causâ longè potest esse inferior, talisque solet reputari, ideoque & finis particularis ad quem agens rationalis actionis suæ vim dirigat ipso agente minùs sit nobilis; sufficit si finis illius totus seu adæquatus ejus dignitati congruat. Interim tamen causarum superiorū honori satis cautum est, etiam cùm ad effecta minima se demittunt, tum quia sub cōsilio ac sponte id faciunt, tum quia non alius datur modus, quo quispiam certò sibi comparet harum auxilia, quàm consentiendo quòd libenter iis deserviemus, charissima quæque nobis denegando, si quando Communis boni ratio id postulaverit.

Immo præterea maxima illa lætitia, in qua singularis cujusque hominis fœlicitatis pars magna consistit, in illo animi nostri sensu fundatur, quo percipimus, nos in vita anteacta id egisse ut Deo hominibusque placeremus, paratosque esse perpetuò idem agere; ac in sincera voluntate alios omnes beandi, atque in eorum illis beatitudinem congratulando. Adeo ut fieri non potest, ut qui hujusmodi fœlicitatem

licitatem sibi quærit, perversæ alicujus φιλαυτίας reus peragatur. Hac enim ratione fœlicitatem ab aliis acceptam in eosdem impendit, sicut rivulus undas ab oceano missas in eundem refundit.

§. L. Sublatis tandem (uti spero) his difficultatibus quæ partem aliquam methodi nostræ Leges Naturales earumq; obligationem investigandi, videbantur obtenebrare, progrediamur tandem ad examinationem principiorum Hobbianorum quibus omnem omnino Legum Naturæ obligationem ad actus externos conatur tollere; adeoq; Nomen tantùm Legum, & quidem impropriè dictarum eis relinquit; & jus concedit singulis eas pro libitu violandi in statu Naturæ, i. e. quoties cunque Civilis imperii auctoritas aut silet, aut eludi potest, uti videre licet, *de Civ. c.* 3. § 33. 27. *c.* 5. *§*. 1, 2, 3. Unica autem est ratio propter quam obligationem earum eo in statu ad externos actus prorsus denegat in locis citatis, nempe quoniam *Securi esse non possumus quòd alii eas observabunt, in iis quæ ad nostram spectant conservationem*; hinc infert, *unicuique spem omnem securitatis suæ in eo esse sitam, ut viribus artibusq; propriis proximum suum vel palàm, vel ex insidiis præoccupet.* Scilicet hoc est Achilleum illud argumentum quod illi satis validum videtur ad omnē Legum Naturalium vim extra statum Civilem prorsus frangendam. Quanquam enim videri vult aliquam illis vim relinquere, quâ in foro interno obligent ad studium pacis, manifestum est illud ab eo dici tantùm ut incautorum oculis tenebras offundat; quippe cùm pleræque omnes Leges naturæ de actibus externis tantùm loquantur, idque solùm jubeant, ut in illis nemo sibi omnia arroget sed ut abstineat à nocendo innocentibus, pacta servet, beneficiis bona retribuat *&c.* cæcus est qui non videt harum Legum vim penitùs tolli, ubi in actibus externis iis contraria jure perpetrari posse contenditur, uti in locis antea citatis & *Cap.* 14. *§.* 9. *Lib. de Civ.* & alibi.

Respondemus itaque primò non opus esse securitate (eâ præsertim

præsertim quæ ab omni metûs causâ libera sit) de aliorum hominum observantia, legibus naturalibus pariter præstandâ, ut obligemur ad actus externos iis conformes. Voluntas enim cognita Primæ causæ quâ Leges has de actibus externis præcipientes sancit, sufficiens est & adæquata ratio obligationis ad ejusmodi actus; eâque manente obligatio non potest tolli. Cognoscatur autem hæc Dei Voluntas iis, quos explicavi, modis; etiamsi adeò pravi sint multorum hominum mores, ut sæpe justè facientibus iniqua rependant. Luculentius hoc fiet ex comparatione cum obligatione Legum Civilium quâ ad externam obedientiam Cives omnes teneri Hobbius non diffitebitur. Homines autem omnes, etiamsi sub eodem imperio humano non sint, sunt tamen in amplissima Civitate Dei. Notissimum interim est, quòd, qui eidem imperio humano subjiciuntur, perfectè securi esse non possunt, aut quòd Concives sui Leges Civiles observabunt, abstinendo à rebellione & ab omni invasione alieni, aut quòd summus eorum Imperator & poterit Legum suarum transgressores punire (præsertim ubi Factiones sunt potentes) & voluerit bono publico, quantum potest, invigilare. Cautissimis eorum qui religionis omnis vincula exuerunt satis esse videtur securitatis ad obligationem Legum Civilium, si probabilius sit Magistratum Legum suarū authoritati & posse, & velle prospicere, obedientes tutando, & puniendo transgressores. At viris pietatem in Deum exercentibus (qui Cives sunt longè optimi) satis firma videtur Legum Civilium obligatio, etiamsi & vacillet potentia Imperantis, & in multis ab officio suo deficiat ejus voluntas, dummodo ex obedientia sua suis mentibus tranquillitas accedat, & Divini favoris spes ratione fulta; vel (ut verbo dicam) quamdiu naturalia indicia obligationis ad studium boni Communis manent immota. Ex hac itaque comparatione patet, quod si Hobbiana ratiocinatio esset valida, omnis simul Legum Civilium obligatio collaberetur; nec aliter fieri potest

quin

quin earum vis labefactetur ab omnibus principiis quæ Legum Naturalium vim tollunt, aut minuunt, quoniam in his fundatur & regiminis Civilis auctoritas, ac securitas, & Legum à Civitatibus latarum vigor. Addo etiam impossibile quiddam postulari, si postuletur absoluta seu perfecta securitas de futuris actibus humanis, sive in statu Naturæ, sive sub regimine Civili. Ex Natura enim sua homines agunt contingenter.

§. LI. (2) Si Securitatis nomine appellare placeat statum à metu seu periculo infœlicitatis liberiorem, asserimus Deum hoc omnibus manifestum fecisse (per ea quæ circa obligationis indicia ostensa sunt) quòd etiam extra regimen Civile à malis omnigenis simul consideratis tutior erit qui actibus externis Leges Naturæ constantissime observabit, quàm qui, juxta doctrinam Hobbianam, vi, aut insidiis alios omnes conando præoccupare, securitatem sibi quæsiverit; ideoque securitas hæc comparativè dicta, à Deo datur omnibus etiam in statu Naturæ consideratis. Necesse est autem ut cùm pericula, aut securitatem justorum (tales verò sunt soli qui Leges Naturæ etiam actibus externis observant) ac injustorum inter se comparatis, ad investigandum utri horum plus datur securitatis, in rationes veniant non ea solùm mala, quæ ab hominibus aliis utrisque imminent, sed & ea quæ injusti in se ipsos accersunt, per inconstantem, ac sibi contradictorium vivendi modum, per affectus inordinatos, Invidiam, Iracundiam, Intemperantiam, *&c.* atque ea insuper quæ à Deo cum ratione metuuntur. Præterea etiam conferenda sunt hæc non in uno aliquo casu, aut in paucis circumstantiis, sed in omnibus quæ per totum durationis nostræ decursum obvenire possunt; aliter enim impossibile est ut verè pronunciemus quis vitæ status, nempe uniformis justitia, an multiformis iniquitas sit magis secura. Ostensum autem est à me antea, longè fœliciorem esse eorum conditionem qui perpetuo actionum omnium tenore, legem Naturæ sequuntur, quæ nolo repetere.

Hîc tantùm placet adjicere, ipsum Hobbium, quanquam ubi agit de securitate requisitâ ad observantiam Legibus Naturæ præstandam, totus insistat in securitatem ab invasione aliorum hominum, & contendat quia ea non datur, ideo neminem teneri ad actiones externas Justitiæ, sed habere jus ad omnia, & jus belli in omnes *Cap. 5. §. 1.* alibi tamen velut sui oblitum nonnulla agnoscere, licèt parcè admodum, quæ indicant eum videre obligationem dari sufficientem ad externam etiam conformitatem cum Lege Naturæ, ne in alia incidamus mala præter ea quæ ab invasione hominum metuantur; Exempli gratiâ, cùm probare conatur fidem servandam esse cum omnibus *de Cive Cap. 3. §. 2. 3.* indè rationem petit, quòd *qui pactum violat, incidit in contradictionem*; quam agnoscit esse absurditatem in humana conversatione. Cùm itaque in hoc casu admittat satius esse pactum non violare quàm violare, ne incidamus in contradictionem, quid in causa est, quò minùs inferamus universaliter de omni Lege Naturali, ejúsque obligatione etiam ad actus externos; satius esse eam non violare actu externo in statu Naturæ, quàm violare, quia violatio ejusdem contradictionem, & absurditatem in conversatione secum trahit necessariò? Quisquis enim entium omnium, præsertim rationalium, naturam diligenter considerat, agnoscet suam fœlicitatem possibilem à Communi naturaliter pendere, velut à Causa adæquata; ideoque utramque conjunctim vult quærere: quandocunque autem ullam Naturæ Legem violat, sua commoda à publicis vult divellere, quæ duo contradictoria sunt & intestinum in hominis animo bellum movent, ejúsque tranquillitatem miserè perturbant. Ea miseria pœnæ, ob peccatum naturaliter inflictæ, pars est non contemnenda, ejúsque securitatem tollit.

Simile est quod in *Cap. 31. Leviath.* §. *penultimâ* agnoscit, dari pœnas naturales, quibus ex ordine Naturæ puniuntur Legum Naturalium transgressiones, eásque in

Anglicana editione expresse agnoscit à Deo provenire. Sic vim inferentes punit vis aliena, intemperantiam morbi, &c. In Latina editione mutilantur hæc aliquantulum; agnoscuntur tamen pœnæ Naturales. Quòd si pœnæ hæ Legum Naturalium violationes in actibus externis ex insolubili rerum concatenatione divinitùs constituta sequantur, procul dubio Leges illæ ad externos actus iis conformes homines obligabunt. Non enim potest pœna infligi ob actum ad quem quispiam non obligetur; ac securitas vi præoccupando alios frustrà quæritur, si pœnam huic invasioni opposuit Deus.

Denique etsi è sola consideratione periculorum quæ ab aliis hominibus cuivis impendent æstimanda esset justorum securitas (quod tamen falsissimum est) manifestum esse reor plus esse securitatis justis omnibus per omnes vitæ eorum partes consideratis, quàm omnibus injustis qui ex Hobbii consilio securitatem quærerent vi alios aut dolo præoccupando, si eorum omnes pariter circumstantiæ expendantur. Nec quicquam in contrarium facit quòd exempla aliquot in quibus contrarium quiddam acciderit, afferri possunt. Quemadmodum certum est 35. esse casus contra unum quòd quis duabus tesseris duos primo jactu non jaciet Senarios; etsi hoc etiam sæpe fieri manifestum sit.

§. LII. Quoniam autem multa jam antè diximus quibus hoc probetur; hîc duo tantùm addam argumenta quæ Hobbium magis quàm alios premunt. Primum autem suggerit præsumtio Legum Civilium in nostro, aliisque plerumque regnis: quæ ostendit quid judicent Reges de humana Natura. Nempe; Quilibet præsumitur esse bonus donec contrarium probetur ex actu aliquo, sufficiente testimonio cognito. Quoniam autem Hobbius rationem Civitatis, seu Rectoris, unicè rectam, verámque esse ubique docet; necesse est ut agnoscat alios homines non debere existimari tam insigniter flagitiosos, ut occidere illos etsi adhuc innocentes oporteat ad nostram securitatem.

Cogitandi sunt potiùs tam boni, ut tutò cum illis fidem & pacem colamus; tutiùs certè quàm ruendo in bellum contra omnes. Ideo autem validior est contra Hobbium hæc præsumptio, quoniam securitatem illam, quam in Civitatibus agnoscit sufficientem dari, resolvit in pœnas quibus Magistratus omnes coercent juris alieni invasores. At certissimum est nullas in Civitatibus infligi pœnas nisi secundùm sententias Judicum, qui secundùm hanc præsumptionem semper pronunciant. Aut ergo vera est hæc præsumptio, adeoque idonea quæ dirigat actiones in statu Naturæ, aut ne in Civitatibus quidem datur sufficiens securitas per pœnas juxta hanc tantùm inflictas; adeoque ne Civiles quidem Leges obligant ad actus externos; atque ita omnis Civitas dissolveretur. Quoniam autem experimur judicia publica, secundùm hanc præsumptionem pronunciantia, vitam humanam ut plurimùm tutam facere; longè certè tutiorem quàm si omnes, qui coram tribunali sistuntur, præsumerent esse publicos hostes, &, per Hobbianam præoccupationem, morti omnes addicerent; sequitur & privata singulorum judicia de aliis secundùm hanc præsumptionem facta, ad omnium securitatem plus conducere, quàm præceps illa de universali pravitate hominum præsumptio Hobbiana, quæ alios quoslibet dolo, aut vi præoccupandos esse suadet.

§. LIII. Secundum autem argumentum quod evincit violationem Legum Naturalium, in actibus externis ad alios præoccupandos, minus securitatis efficere quàm justa eorum observatio, indè petitur quòd, Hobbio fatente, hinc necessariò sequetur bellum omnium in omnes; & verissima est consequentia, si omnes ejus consilium sequerentur, bellum ejusmodi evitari non posse, licèt nusquam esset justum. Posito autem hoc bello, omnes statim miserrimos, & mox perituros esse rectissimè agnoscit; unde infero frustra hâc viâ securitatem quæri, nullámque esse ejus spem, quod tamen Hobbius docuit *Civ. c. 5. §. 1.* & *Leviathanis cap. 13.*

In mutuo hominum metu, securitatis viam meliorem habet nemo Anticipatione, nempe ut unusquisque vi & dolo cæteros omnes tam diu subjicere conetur, quam diu alios esse à quibus sibi cavendum esse viderit. Id autem erit donec unus solus supersit, totáque terra commune fiat aliorum omnium sepulchrum. Auxilia sibi comparare in hoc statu nemo poterit; quia pacta mutuæ fidei, quibus solis alios sibi quisquam in societatem adjungere potest, ad actus externos neminem in hoc statu obligabunt *Civ.cap.2.§.11.* Nulla itaque est per anticipationem hanc securitas: Adeoque si vel tantillum sit securitatis in natura, ratione, aut conscientia hominum, si vel minimum propendeant eorum saltem pauci in prosecutionem Communis Boni, quo sua ipsorum fœlicitas continetur, homini parcent innocenti, & benevolo, qui actibus externis eos omnes demereri satagit: ejúsque adeò securitas erit major quàm ex Anticipatione sperari possit; quia illa prorsus nulla est.

Quin etiam ipse Hobbius in statu suo naturali aliquem saltem esse posse agnovit qui secundùm æqualitatem naturalem permittet cæteris eadem omnia quæ sibi *cap.1.§.4.* & si vel pauci hujusmodi homines inter se socientur pactis quæ illi agnoscent in Commune Bonum, cui student, esse valida, pauci illi à cæteris omnibus, mutuis odiis & bellis inter se flagrantibus, sese facilè tuebuntur.

Mirum interim est quòd Hobbius non viderit mala illa innumera statûs belli in omnes sufficere ad deterrendos omnes in statu Naturæ à vesana libidine alios omnes præoccupandi; quoniam nihil aliud posuit præter mala hujusmodi belli, quibus homines in statu Civili jam positi deterrerentur à crimine læsæ Majestatis, & à seditionibus, quibus Civitas dissolvitur; & Legum Civilium obligatio omnis tollitur. *De Cive c. 14. §.21.22.* Contendit enim Peccatum illud quod per Legem naturalem est crimen læsæ Majestatis *legis Naturalis transgressionem esse, non Civilis*; ideoque rebelles, ac proditores puniri non ut malos

 Cives,

Cives,sed ut Civitatis hostes; nec jure Imperii,sed jure belli. Obiter dicam, crudè nimis & temerè inter se opponi illas duas Leges, Civilem & Naturalem. Immò periculosum est, & ad seditionem facit, affirmare crimen læsæ Majestatis non esse transgressionem legis Civilis, & rebelles non puniri ut malos Cives, jure imperii; verùm huic rei non hîc insistam. Quæro autem ab Hobbio, an pœna hæc jure belli infligenda, mors scilicet ejusve periculum, sufficiens sit indicium quòd lex illa Naturalis de fide servanda, adeoque de abstinendo à crimine læsæ Majestatis obliget, etiam quoad actus externos? Si negat, jus dat committendi crimen læsæ Majestatis; nullúmque relinquit naturale indicium quo sciri potest illa lex obligare Cives ad abstinendum à rebellione. Si affirmet hanc pœnam sufficienter indicare obligationem Civium ad præstandam actibus externis fidem; dicat mihi cur non eadem pœna pari jure belli infligenda in statu Naturæ, non satìs indicet parem obligationem ad præstandam actibus externis fidem aliis omnibus extra Civitatem? Et par est ratio de cæteris legibus Naturæ. Hobbius hac in re perplexè loquitur, nam in *Leviathane Cap. 28.* in ultima consequentia è definitione sua Pœnæ deducta, hæc habet; *Malum inflictum hosti manifesto nomine Pœna non comprehenditur, quia hostes Cives non sunt: Quanquam autem Cives antè fuerint, si se hostes tamen postea declaraverint, non ut Cives, sed ut hostes patiuntur, Sequitur hinc si Civis facto, aut verbo sciens, & deliberato Personæ Civitatis Authoritatem negaverit (quacunque Pœna crimini læsæ Majestatis Lege præscripta fuerit) puniri tamen, cùm se jam hostem Civitatis esse declaraverit, pœna arbitrariâ jure potest tanquam hostis.* Multa sunt in his verbis culpanda, quæ tamen omnia sequuntur ex iis quæ antea docuerit in Libro *de Cive* loco citato: pauca tantùm annotabo. (1) Contradicit sibi cùm in eorum initio malum hosti inflictum Pœnæ nomine non comprehendit, & contrà in fine dicit rebellem qui se jam hostem declaraverit,

Pœnâ arbitrariâ puniri ut hostem: nam pœna arbitraria sub pœnæ nomine comprehenditur. (2) Culpandum est illud, quòd malum hosti manifestò inflictum pœnam dici nollet. Sequitur enim malum rebelli inflictum ob crimen læsæ Majestatis, quia is jam hostem se Civitatis declarat, non esse pœnam. Certè Pœna nihil aliud est quàm malum ob transgressionem legis inflictum: & qui negat malum inflictum esse pœnam, negat illud infligi propter crimen, seu legis transgressionem; & insinuat hostem, adeoque etiam rebellem, qui jam hostis est, propter crimen non pati, seu Legem aut non violâsse, aut eâ violatione pœnam non meruisse. Et sanè cùm hostes omnes sint in statu naturæ Hobbiano, suis principiis consentaneè loquitur, si dicat nullius criminis conscios illos esse; quia jus habent quidlibet agendi: Rebelles autem ex ejus doctrina sunt hostes, ideoque nullum illis crimen imputandum est. Possunt tamen arbitrariè occidi, non autem pœnâ aliquâ coerceri, nisi velis cum Hobbio priùs dictis contradicere. Usque adeò necessariò rebelles à pœna & reatu flagitiorum suorum absolvit Hobbius, qui hostibus omnigenis jus dat ad omnia, negátque leges naturæ (quarum transgressio una est crimen læsæ Majestatis) ad actus externos obligare. Nullámque relinquit pœnam propriè dictam perduellionis, qui mala belli in quod, violando Leges naturæ, quispiam se conjecerit, pœnas esse negaverit; & Anticipationem hostilem per vim & dolum, quæ initium dat hujusmodi bello optimam ad securitatem viam esse contenderit. Nos interim nobis probâsse videmur innocentiam, fidem, gratitudinem actibus externis conspicuas, & auxilia quæ hinc comparari possint majorem extra statum Civilem securitatem cuivis præstare: ideoque etiam in statu Naturæ omnibus satiùs esse cohibere manus ab invasione aliorum, quàm conari alios præoccupare.

Addo etiam, ipsum Hobbium agnoscere securitatem hujusmodi comparativè dictam sufficere ut obligemur ad

actus externos obedientiæ Legibus, non modò naturalibus, ſed etiam omnibus inſuper Civilibus præſtandæ; quippe ubi hanc ſecuritatem de induſtria deſcribit *Lib. de Cive cap.* 5. §. 3. hæc habet verba; *Ad hanc rem (ſecuritatem ſcilicet idoneam) excogitari aliud non poteſt, quàm ut unuſquisque auxilia idonea ſibi comparet, quibus invaſio alterius in alterum adeò periculoſa reddatur, ut ſatius ſibi uterque putet manus cohibere, quàm conſerere.* Manifeſtum eſt ſecuritatem hanc non eſſe omnibus numeris abſolutam, ſed totam ejus vim in hoc conſiſtere, quòd ſi bene comparentur inter ſe pericula utrinque imminentia, minùs periculoſum ſit manus cohibere, quàm conſerere. Quanquam autem non illibenter concesſerim ex auxiliis in Civili ſocietate acquirendis propter fidem quam plerique ſubditi Magiſtratibus præſtare ſolent, concivis invaſionem plerumque reddi periculoſiorem; contendo tamen quòd ſepoſitâ hâc Civilium auxiliorum ope, ſufficiens datur ratio, cur unuſquisque putet ſatius ſibi fore ab invaſione abſtinere, quàm in bellum, ídque contra omnes, ſe conjicere propter ea quæ re ipsâ non ſunt neceſſaria. Neceſſe eſt autem ut Hobbius periculum ex hujuſmodi bello ſecuturum omnibus periculis majus eſſe fateatur, adeoque ſufficiens ad quemvis in ſtatu naturæ deterrendum ab invaſione aliorum; quoniam ex ejus principiis, proſpectus malorum ex hujusmodi bello in ſingulos irruentium única eſt cauſa quæ deterreat omnes poſtquam cives facti fuerint, ne Leges Civiles, ſimul & Naturales contemnent, ac ne, per rebellionem Civitates diſſolvendo, in ſtatum Naturæ relabantur.

§. LIV. Nihil video quod his regerere poſſit Hobbius niſi confugere velit ad principium illud ipſi peculiare, quod antea refutavimus. Nempe in hoc ſtatu *unuſquisque eſt judex de ſuis actionibus, jure fiant an injuriâ.* Pronunciabit autem de violationibus Legum Naturæ, eas ad ſui conſervationem, & animo pacem quærendi fieri. Ergo jure fiunt. *Cap.* 1. §. 10. in *Annot.* Indè derivatur hoc quod addit in

Anno-

Annotatione ad *Cap. 3. §. 27. Justum & injustum in statu naturæ non ex actionibus, sed è consilio & conscientia agentium æstimandum esse. Quod necessariò, quod studio pacis, quod sui conservandi causâ fit, rectè fit.*

1. Illi si sententiæ vellet adhærere, respondeo. Non opus fuisse hâc distinctione de obligatione tantùm ad actus internos, animúmque observandi Legem Naturæ, ubi actu externo illum observare non placet, si tutum esset hoc refugium: quia cùm ipse judex sit, non minùs tutò concedere póssit Legem obligare ad externos actus; & tamen de facto suo pronunciare, vel se illud non fecisse, vel factum illud Naturæ legem non violâsse. Quippe conspicuum est sententiam judicis de facto non minùs valere, quàm ea quæ de jure, seu lege fuerit probata. Scilicet eâdem vi judicis sententia facere potest ut iniquè factum æquum sit, aut ne factum quidem; quâ eam efficere docet ut jus cuiquam competat quidlibet in quoslibet faciendi, ea tantùm de causa quoniam ipse judex cùm sit, de suo jure, déque rerum usu ad sui conservationem necessario, ita pronunciat. Frustráque planè est legum naturalium cauta investigatio, dùm è statu naturæ non tránsit homo Hobbianus. Quælibet enim ejus sententia de necessariis ad vitæ suæ tutelam Lex est, & jus ipsi dat quidlibet faciendi, etsi ea mille aliis sententiis ab ipso prolatis contradicat.

2. Secundò itaque supponimus, quod etiam in hac deliberatione supponit Hobbius, hominem nondum pro arbitrio, & temerè statuisse, sed jam dubitare, & cautiùs dispicere velle, an satius sit manus cohibere an conserere? id est, supposito aliorum jure pari, aut non multùm differente, an ad suam fœlicitatem, civitate nondum constitutâ, probabiliùs conducet, pacem cum aliis colere permittendo iis ut paribus secum fruantur commodis è terra enatis, operam etiam suam iis accommodando, ubi citra molestiam fieri potest; summatim, agendo juxta leges naturæ? an potiùs alios indifferenter aggredi, aut in bello jam cœpto persistere,

ut omnia in suum vendicet dominium, aliorum pari aut proportionato jure insuper habito? Profectò si quid ego judico, non admodum ardua est quæstio, sed facilè mediocris ingenii homo percipiet nullam esse salutem in bello tam iniquo, quo unus in omnes militat; aliquam autem licèt ancipitem esse spem fundatam in dictaminibus rationis omnes docentis ad communem, adeoque singulorum propriam fœlicitatem facere, ut omnes Commune Bonum in finem sibi proponant. Idem insuper probat experientia. Exemplum habemus in Civitatibus universis inter se finitimis inter quas pax esse potest, & omnium interest ut sit, aliquando diuturna, licèt alium non habent omnibus superiorem præter Deum. Hobbius necesse habet negare Leges Naturæ, etiam illam de fide mutua servanda obligare reges diversorum populorum ad actus externos illos conformes. Verba ejus sunt aperta *Cap. 13. §. 7. Status Civitatum inter se naturalis, id est, hostilis est. Neque si pugnare cessent, idcirco Pax dicenda est, sed respiratio: in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat.* Eodèm respiciunt illa quæ scripsit *Cap. 10. §. 17. Quid autem aliud sunt plures Respublicæ quam totidem castra, præsidiis & armis contra se invicem munita; quorum status (quia nullâ communi potentiâ coercentur, utcunque incerta Pax, velut breves induciæ, intercedat) pro statu naturali, hoc est pro statu belli habendus est.* Idem etiam apertissimè docuit *Cap. 2. §. 11. Pacta mutua fidei in statu naturæ frustrà esse & invalida; Nempe cùm utrinque aliquid ex contractu præstandum est, si alteruter metuat ne alter non sit præstiturus quod pollicitus est, non tenetur præstare quod ipse prius facere pacto suscepisset.* An autem justè metuit, ne alter non sit præstiturus, ipse metuens est judex. Unde suo more conclusum vult eum justè metuere quandocunque metuit. Hæc autem ratio adeò generalis est ut si quid habeat in se solidi, concluderet pacta non modò in quibus nihil ab alterutra

parte

patte præstitum est, esse invalida, sed & ea in quibus quicquam, quod ullius sit momenti, maneat adhuc utrinque præstandum. Potest enim qui nollet ulteriùs fidem suam servare metuere, ne alter fidem suam fallat, & quidem justè, se judice; ideoque ratio illius quæ semper est recta, non præcipiet ut pactum suum præstet, sed erit illud planè invalidum. Quod de nova causa metûs requirit in Annotatione additâ pacta esse invalida, non prohibet si valeat ratio in sectione 11. allata, quippe metus de alterius fide oritur vel è memoria pravi ingenii hominum, quod ante pactum metuens non satìs consideraflet; vel quemlibet actum licèt innocentissimum alterius sumit pro sufficiente signo voluntatis non præstandæ. Nec quicquam saltem in statu naturæ hominem meticulosum de aliorum fide prorsus securum facere potest ut ad præstationem pacti; quæ externa est actio, obligaretur, ipso Hobbio id docente *Cap.5.§.1.*& 2. & *Cap.7.§.27.securitatis*, inquit, *omnis spes est ut possit alios palàm sive insidiis praoccupare.* Nempe hoc est egregium illud inventum quo magistrum suum Epicurum excellit Hobbius. Enimvero ille justitiam satìs à se convulsam censuit cùm asseruit in *Ratis sententiis*, eam nullam esse inter eas nationes quæ non potuêre aut noluêre inter se invicem pacisci quòd nec læderent, nec læderentur. Pactorum autem vim inconcussam reliquit, etiamsi nullus esset qui utrasque nationes coerceret Rector. Hobbius autem dilectissimo suo affectui, *Metui*, etiam hoc tribuit, ut in statu naturali (qualis est Civitatum diversarum) pacta mutuæ fidei violare jure possit.

§. LV. Facile cuivis hinc deducere licet gravissima toti humano generi incommoda. Perit enim statim Legatorum incolumitas, quantumvis innocentium. Tollitur omnis fœderum inter principes, & civitates diversas vis; ea frustra sunt & invalida, Hobbio apertè pronunciante. Omnis denique Mercatorum securitas, adeoque omne commercium, & hospitii jura peregrinantibus necessaria, prorsus ever-

evertuntur; nulláque restat civitatibus minoribus à potentiorum vi securitas, quibus experientia quotidiana contradicit. Quippe fœdera indies iniri videmus, quorum præstatio futuro tandem tempore ab utraque parte expectanda est, atque adeò sunt pacta quæ ille dixit mutuæ fidei. Quin etiam Legati, Mercatores, aliíque peregrinantes in regna extera, satìs sunt tuti, etsi ex hac sententia sunt hostes, & qui in potestatem exterorum jam devenerint; Hobbiana enim ratio docuit exteros utpote *fortiores, hos infirmiores ad præstandam cautionem futuræ obedientiæ, (ni velint potius mori) jure cogere posse, & nihil absurdius cogitari posse, quàm ut quem debilem in potestate tenes, eum amittendo, fortem simul & hostem facias. Cap. 1. §. 14.* Verba autem illa cautionem futuræ obedientiæ satìs innuunt, id quod postea pluribus exprimit. Nullam cautionem illi videri sufficientem præter unionem quâ in eandem concedant homines civitatem, eidémque imperio per omnia subjiciantur: quod quàm malè cum Legatorum, & commercii jure congruat, nemo non videt. Verùm si & jure possint & velint legati, alíique peregrè agentes, se se aliis per omnia subjicere, nulla Lex naturæ exteros (ex Hobbii sententia) obligaret ad ullos benevolentiæ actus externos, sed liberum illis esset eligere, an velint significare ullo indicio, quod actum externum postulat, se hanc deditionem acceptare, an innocentum sanguine oculos suos pascere mallent. Non movebunt hæc opinor Hobbium, aut ejus discipulos qui reconditioribus ejusdem disciplinæ mysteriis penitiùs fuerint imbuti. Perspecta enim ipsis & exoptata sunt hæc & hujusmodi alia innumera consectaria: Visum est tamen ea obiter attingere, & simul ob oculos ponere, ut experiantur ingenia eò usque nondum depravata, an ipsorum ratio, totáque iis insita humanitas ab hujusmodi dogmatum monstris non abhorreant. Hujus autem loci scopus is tantùm est, ut ab actibus hominum, velut ab effectibus observatione & perpetuâ experientiâ notis evincam tam hominibus singulis (se-

(sepoſito ſocietatis Civilis influxu) quàm civitatibus diverſis majora ut plurimùm accreſcere commoda ex innocentia, gratitudine, fide, & humanitate, cæteríſque virtutibus lege naturali præſcriptis, quàm à violentia, ingratitudine, perfidia, vitiíſque cæteris, ibidem vetitis, ut hoc velut naturali præmio, ac contrariis malis, velut pœnis ex ipſa hominum natura talibus actibus annexis & accedentibus intrinſecæ fœlicitati quæ in virtute continetur, clariùs innoteſcat obligatio naturalis ad externam his legibus obſervantiam præſtandam. Conſpicimus innumeros, quorum nihil planè, intereſt, ad commune incendium reſtinguendum ſponte ſuâ, absque ulla legum Civilium vi, concurrere. Conſpicimus indies mendacia, fraudes, vim tenuioribus illatam etiamſi in foro Civili nequaquam detegantur, nedum puniantur, adeò exoſos, ſæpe etiam contemptos miſeróſque homines reddere, ut ipſa ignominia, quæque indè ſequuntur anguſtiæ, amicorum inopia in pœnis meritò cenſentur. Non rarò etiam contingit, ut illi quorum flagitia eos exoſos meritiſſimè fecerunt, mori prætulerint, quàm infames vivere; aliíque (animo ſatìs ſcelerati) infamiæ vitandæ causâ ſe à multis flagitiis contineant: Pari etiam ratione obſervare licet obſervantiam Legibus naturalibus præſtitam ab honore, quem plerique nullo legum Civilium juſſu bonis deferre ſolent, Honeſtatis nomen apud Ethnicos adhuc Romanos obtinuiſſe. Innumeráq; ſunt commoda quæ absque authoritate legum, ſolo privatorum arbitrio, quotidie tribuuntur innocentibus, gratis, fidis, benevolíſque potiùs quàm improbis (qualia ſunt contractus mandati, oppignorationis mutuò dati, ſocietatíſque, executio teſtamentorum, & ſucceſſio in bona defuncti) eáque ſatìs oſtendunt pronos eſſe homines ad probitatem remunerandam. De Civitatibus autem diverſis, quæ perfectiſſimè ſunt in ſtatu Naturæ, manifeſtum eſt; (1) Quanquam aliquando inter eas bella contingant, ea tamen non ideo eſſe utrinque juſta (vide Grot. *de Jure belli Lib.2. cap.1.*) ídque utraque

pars

pars bella gerentium fatetur, quanquam unà tantùm justè bellum suscipere potest: & (2) quod hîc maximè spectatur, factum præterea neminem unquam vidisse, vel antiquissimis monumentis legisse, omnes Civitates in omnes bella gessisse, quod tamen Hobbius se demonstrâsse jactitat *Cap.1.§.12.* (3) Immò videmus multas Civitates cum aliis fœdera mutuæ fidei per multos annos summâ religione servâsse: & hinc utrique utilissima in pace commercia extitisse, auxiliáque mutua pro re nata in bello misisse, etsi periculum ipsis exinde impendebat. Hoc autem adeò manifestum est ut frustra sit ex historiis exempla afferre; cùm vix ullum uspiam bellum quod magni esset momenti gestum sit, quin vel utrinque, vel ab altera saltem parte socii ex aliis Civitatibus aliquam periculi partem subiêre.

§. LVI. Hîc autem si quis regerendum censeat id fieri, ut Civitatum diversarum vires in æquilibrio quodam serventur atque ob metum aliarum, ne crescente unius potentiâ, ipsæ tandem absorbeantur. Respondeo; Nos hoc in loco de facto tantùm quærere, an soliti fuerint homines in statu Naturæ alii aliis subvenire, pactáque mutuæ fide præstare etiam quæ periculum habeant conjunctum; atque ex hoc dato deducere velle paria in paribus casibus ab hominibus probabili ratione expectanda esse; adeoque nec frustra esse etiam illo in statu Naturæ fidei pacta, nec sine ratione eum facere qui prior præstat id quod se facturum susceperit, ut ostendamus esse causam, cur quispiam (etiamsi non sit ejusdem cum alio civitatis) incipiat illi benefacere, nec necesse habeat homini ejusmodi velut feræ dente minanti vim inferre. Enimvero Hobbius hominem homini lupum esse (nisi sub eodem sint imperio Civili) strictiore sensu, quàm qui adagio locum facit, esse contendit, ut illic etiam nobis necesse sit ad ferinam rapacitatem recurrere. Videantur ejus verba in Epistola Dedicatoria *Lib. de Cive* præmissa; Immo illa molliùs & pro Genio Epistolico civiliter dicta sunt, Postea in *lib. de Homine Cap.10.§.3.* ubi severiùs philo-

philosophatur, homines docuit *lupos, ursos, serpentes (qui ultra famem rapaces non sunt, nec nisi lacessiti) rapacitate & sævitiâ superare.* Hæc ego in humani generis contumeliam prorsus indignam dicta existimo (rectè an secùs judicent lectores humani) eadémque experientiæ perpetuæ repugnare. In his tamen fundamenta suæ Politiæ jecit Hobbius, quæ quidem si vera essent, impossibile planè esset tam rapacia animalia congenerum sanguinem semper sitientia, in Societatem reducere.

Hobbiana enim methodus hoc faciendi, nempe per pacta, quibus singuli jus suum resistendi in personam Civilem transferre dicuntur, nihil efficiet. Talia enim animalia pactorum seu promissorum conscientiâ non contineri possunt in officio, quin potestatem Principi datam statim sibimet reposcant & resumant.

At si maxima pars Civium pacta, quibus principem fecerunt, irrita facere voluerit, evanescit omnis illa vis pœnis coercendi datæ fidei violationem; propter quam solam contendit Hobbius pacta in statu Civili esse valida, quæ in statu Naturæ ad actus externos non obligârunt. Homines si tam malæ essent fidei, quàm ab illo dicuntur esse, nihil virium principi quem eligerunt contribuere possunt, quibus aut rebelles in seipsum, aut injurios subditis suis puniret; ideoque propter defectum securitatis dissolveretur, secundùm illius principia, Civitas, statim postquam constitueretur, & omnes in statum belli, quem finxit naturalem esse, reciderent. Necesse est ut pacta obligent ad actus externos illos per quos datur principi vis puniendi Legum suarum violatores, & per quos eadem illi vis conservatur. Non possunt autem pacta hæc hanc obligandi vim recipere à principe jam constituto, & conservato. Causæ enim vires priores sunt viribus effecti ab illa constituti; ideoque necesse est ut vis pactorum quibus civitas constituitur, resolvatur in aliquid quod naturâ prius est, & antiquius viribus puniendi, quas habet civitas postquam constituitur.

Nec

Nec quicquam idoneum reperiri poteſt præter naturam hominum,& voluntatem,ac naturam primæ cauſæ indè aliquatenus cognitam. Hæc ſi non ſufficiant ad legum naturalium notitiam, ac reverentiam hominis cujusvis menti ingenerandam, & ad mores etiam illius externos ad innocentiam, fidem, gratitudinémque conformandos; fruſtra eſt ſperare hominem malum, futurum eſſe civem bonum. Nam ſuffoſſis fundamentis corruit ædificium quantâcunque elegantiâ iis ſuperſtructum, & chylus depravatus in ſanguinem ſalubrem nunquam tranſit. Verùm ſufficiant hæc de definitione & obligatione Legum Naturalium generaliter dicta.

§. LVII. Horum quæ diximus ſummam in hac propoſitione accipiat lector; quam ad imitationem Datorum Euclidis (quæ praxi commodiſſimè adaptantur) efformavimus. Datis à rerum natura à voluntate primæ cauſæ determinatâ manifeſtis indiciis, quòd Bonum Commune rationalium omnium, bonorum omnium in hominum poteſtate ſitorum maximum ſit, & quòd ejus proſecutio diligentiſſima, ſummâ, quam ſinguli aſſequi poſſunt, fœlicitate naturaliter remunerabitur, ejus autem neglectus parili miſeriâ mulctabitur, datur ſcire cauſam Primam voluiſſe homines ad illius proſecutionem diligentiſſimam obligare, vel, quod eodèm recidit, datur promulgatio primæ, & generaliſſimæ Legis Naturalis. Vel ſic breviter; Datâ notitiâ neceſſariæ dependentiæ fœlicitatis ſingulorum à proſecutione Boni Communis,datur ſcire ſingulos teneri illud proſequi. Probatur hæc propoſitio evidentiſſimè, è ſolis definitionibus legis naturæ, & obligationis, quas antea dedimus. Dari autem illa omnia quæ in ſubjecto hujus propoſitionis ſupponuntur,latiſſimè è phænomenis naturæ rerum omnium, hominum verò præſertim, evicimus. Eorum autem ſumma in hoc Lemmate fundamentali continetur. Qui quantùm in ipſo eſt,optimè conſulit toti rationalium aggregato, optimè pariter conſulit partibus eidem toti

intrin-

intrinsecis, & ab ejus influxu omnia accipientibus; sibique adeò speciatim: quia, ut plurimùm, in potestate uniuscujusque est plus ad suæ mentis & corporis statum optimum conferre, aliis prorsus illæsis, quàm alterius cujuscunque; atque hoc idem totius aggregati perfectionem adauget. Notissimum autem est singulorum hominum fœlicitatem, præsertim externam, ab auxilio, aut saltem à permissu aliorum pæne omnium rationalium, saltem remotè & aliqua ex parte, pendere. Ita scilicet experimur voluntate primæ Causæ omnes Systematis mundi partes, & vires inter se mutuò implicari, ut nihil sit quod non alteri cuivis corpori, aut momentum afferre possit, aut impedimentum, si non nunc saltem posthæc. Hoc idem in humanis potentiis magìs est conspicuum, quia (propter accedentes motibus nostris corporeis mentis vires) facultates eorum latiùs se diffundunt. Rem meliùs explicare nequeo quàm per comparationem cum libra. Manifestum enim est particulas minimas ponderis in altera lance positi aliquid facere ad retinendum pondus quantumcunque æquale in opposita lance suspensum in æquilibrio; suæ nempe parti momentum addit, & oppositæ impedimentum. Similiter in rerum natura, si Peripateticorum sumatur hypothesis, quævis Terræ particula ad totius Terræ Librationem supra suum Centrum nonnihil confert. Aut si magìs arrideat hypothesis Cartesiana, unaquæque hujus, quo volvimur, vorticis pars propter omnium conatum ad recedendum à centro est veluti in Libra reversa, & pro ratione suæ soliditatis, ac motûs aliquid contribuit ad æquilibrium illud inter totius systematis partes simul consideratas quo totum systema conservatur. Haud dissimili ratione considerare solent rerum Civilium periti diversarum Civitatum potentias, velut inter se libratas: unde fit, ut altera alteram absorbere non possit. Et pari planè modo si singuli homines considerentur sine Communi, cui subjicerentur, rectore (utì nullum habent

X diver-

Nec quicquam idoneum reperiri poteſt præter naturam hominum,& voluntatem,ac naturam primæ cauſæ indè aliquatenus cognitam. Hæc ſi non ſufficiant ad legum naturalium notitiam, ac reverentiam hominis cujusvis menti ingenerandam, & ad mores etiam illius externos ad innocentiam, fidem, gratitudinémque conformandos; fruſtra eſt ſperare hominem malum, futurum eſſe civem bonum. Nam ſuffoſſis fundamentis corruit ædificium quantâcunque elegantiâ iis ſuperſtructum, & chylus depravatus in ſanguinem ſalubrem nunquam tranſit. Verùm ſufficiant hæc de definitione & obligatione Legum Naturalium generaliter dicta.

§. LVII. Horum quæ diximus ſummam in hac propoſitione accipiat lector; quam ad imitationem Datorum Euclidis (quæ praxi commodiſſimè adaptantur) efformavimus. Datis à rerum natura à voluntate primæ cauſæ determinatâ manifeſtis indiciis, quòd Bonum Commune rationalium omnium, bonorum omnium in hominum poteſtate ſitorum maximum ſit, & quòd ejus proſecutio diligentiſſima, ſummâ, quam ſinguli aſſequi poſſunt, fœlicitate naturaliter remunerabitur, ejus autem neglectus parili miſeriâ mulctabitur, datur ſcire cauſam Primam voluiſſe homines ad illius proſecutionem diligentiſſimam obligare, vel, quod eodèm recidit, datur promulgatio primæ, & generaliſſimæ Legis Naturalis. Vel ſic breviter; Datâ notitiâ neceſſariæ dependentiæ fœlicitatis ſingulorum à proſecutione Boni Communis,datur ſcire ſingulos teneri illud proſequi. Probatur hæc propoſitio evidentiſſimè, è ſolis definitionibus legis naturæ, & obligationis, quas antea dedimus. Dari autem illa omnia quæ in ſubjecto hujus propoſitionis ſupponuntur,latiſſimè è phænomenis naturæ rerum omnium, hominum verò præſertim, evicimus. Eorum autem ſumma in hoc Lemmate fundamentali continetur. Qui quantùm in ipſo eſt,optimè conſulit toti rationalium aggregato, optimè pariter conſulit partibus eidem toti intrin-

intrinsecis, & ab ejus influxu omnia accipientibus; sibique adeò speciatim: quia, ut plurimùm, in potestate uniuscujusque est plus ad suæ mentis & corporis statum optimum conferre, aliis prorsus illæsis, quàm alterius cujuscunque; atque hoc idem totius aggregati perfectionem adauget. Notissimum autem est singulorum hominum fœlicitatem, præsertim externam, ab auxilio, aut saltem à permissu aliorum pæne omnium rationalium, saltem remotè & aliqua ex parte, pendere. Ita scilicet experimur voluntate primæ Causæ omnes Systematis mundi partes, & vires inter se mutuò implicari, ut nihil sit quod non alteri cuivis corpori, aut momentum afferre possit, aut impedimentum, si non nunc saltem posthæc. Hoc idem in humanis potentiis magìs est conspicuum, quia (propter accedentes motibus nostris corporeis mentis vires) facultates eorum latiùs se diffundunt. Rem meliùs explicare nequeo quàm per comparationem cum libra. Manifestum enim est particulas minimas ponderis in altera lance positi aliquid facere ad retinendum pondus quantumcunque æquale in opposita lance suspensum in æquilibrio; suæ nempe parti momentum addit, & oppositæ impedimentum. Similiter in rerum natura, si Peripateticorum sumatur hypothesis, quævis Terræ particula ad totius Terræ Librationem supra suum Centrum nonnihil confert. Aut si magìs arrideat hypothesis Cartesiana, unaquæque hujus, quo volvimur, vorticis pars propter omnium conatum ad recedendum à centro est veluti in Libra reversa, & pro ratione suæ soliditatis, ac motûs aliquid contribuit ad æquilibrium illud inter totius systematis partes simul consideratas quo totum systema conservatur. Haud dissimili ratione considerare solent rerum Civilium periti diversarum Civitatum potentias, velut inter se libratas: unde fit, ut altera alteram absorbere non possit. Et pari planè modo si singuli homines considerentur sine Communi, cui subjicerentur, rectore (uti nullum habent

X diver-

diversæ Civitates) restat tamen illis proportio quædam inter vires naturales quibus se tueantur, & inter necessitates quibus omnes urgentur: Eadémque Argumenta quæ efficiunt, ut Civitates diversæ exerceant inter se commercia, & contra hostes Communes consocientur, curéntque ne una alias absorbeat, valerent pariter apud singulos ut pacta inter se inirent quibus mutua ipsorum commoda muniri possint, & indies augeri. Similitudo inter casus, seu conditiones omnium hominum planè naturalis est; & naturalis pariter est illis necessitas ratiocinandi à periculis, nec non à bonis, quæ similibus conspiciunt obvenire, ad paria quæ ipsis etiam contingere possint. Hinc omnes spe, vel metu moventur propter ea quæ aliis similibus fiunt, & sibi mox illum mala minitari necessariò censent quem vident innocentem invadere; suæque securitatis judicant fundamenta convelli ab illo qui pacta violat, aut gratitudinis dirumpit vincula. Moveri argumento à similitudine casuum ducto non minùs est homini naturale, quàm naturale est corporibus impetu & pondere impelli: quippe ratio ipsis est pariter naturalis. Nec difficile est ostendere rationem totam quæ futura respicit (quâ solâ reguntur actus humani propter finem eliciti) à similitudine tali inter causas & effectus præteritos & futuros deduci. Naturæ itaque suæ conditione impellentur singuli ad innocentiam tuendam, fidem servandam & gratitudinem exercendam. Hinc autem necessariò librantur aliorum potentiæ ab aliis; & constituentur aliquæ amicitiæ, in quibus societatum jaciantur fundamenta. Quanquam autem hæc aliquando à quibusdam exuantur ad tempus, & in quibusdam casibus, certum tamen est id non sæpiùs ab ipsis fieri quàm exuitur ipsa ratio, seu naturæ hominis pars potissima. Eadémque principia ipsis redeunt, non minùs certò quàm redit repulsa natura (nempe ratio ad tempus excæcata) seu quàm ipsi ad se redeant. Ratio itaque Naturalis, naturali hominum similitudine ducta, homines plerum-

plerumque (plerumque enim generalia rationis principia apud ipsos valent) impellit in mutua auxilia , præsertim verò ut vices rependant iis qui ipsis benefecerint, pro virili universis.

§. LXIII. Hæc autem diximus, ut causam ostenderemus cur consideremus homines universos velut totum quoddam cujus partes notâ naturæ & necessitatum similitudine quodammodo connectuntur, & spem esse probabilem amicitiæ inter eos conciliandæ, præcipuè postquam quis ipsos benevolentiâ demereri cœperit. Lemmatis autem illius veritas, cujus mentionem paulò antea fecimus, quanquam quoad externa fœlicitatis humanæ adjumenta ex his aliisque antea dictis declaretur, luculentiùs tamen patet in iis fœlicitatis nostræ partibus, quæ in propria cujusque potestate præcipuè sunt positæ; id est in tranquillitate animi secum per omnia consentientis, in regimine affectuum, & læto rectè factorum sensu, seu gaudio quòd ad finem maximum per media maximè idonea pro virili contenderit; & in rationalibus divini favoris præsagiis. Cætera nempe bona quæ benefaciendo assequi non possumus velut οὐκ ἐφ' ἡμῖν, ex ipsis Lemmatis verbis excluduntur, adeoque ejus veritatem incertam facere nequeunt, licèt ipsa sint incerta. Non enim expectandum est ut quæ hominibus sunt impossibilia actuum humanorum, ad bonum commune aliquid conferentium, præmia sint naturalia: Abundè sufficit ad probandum quòd prima naturæ causa ad boni publici prosecutionem nos obligare vellet, quòd ea quæ jam diximus præmia certa fecerit; atque insuper majorem dederit certitudinem quòd hâc ratione hominum benevolentiam, ac auxilium conciliabimus, quàm quòd vi, & dolo omnes aggrediendo securitatem nobis acquiremus. Effecta hæc actuum aliorum hominum naturaliter sunt contingentia, ideoque ratio humana suo officio fungitur, si dirigat ad eam partem sumendam, quæ contingit ut plurimùm. Lucri enim ut plurimum contin-

 gentis

gentis certus quidam est valor (uti patet non modò in lusibus aleæ, cæterísque illi similibus, verùm etiam in agricultura, & mercatura, iísque ferè omnibus in quibus humana occupatur industria) atque hoc est præmium naturale prudentioris electionis. Quanquam itaque aliquando contingere possit, ut qui Hobbianis artibus, vi nempe, & dolo, securitatem sibi quæsiverit, damna quædam evadat quæ prudentia potiùs expectaret illum obruitura esse, aut etiam aliqua sibi acquirat commoda, quæ prudentiùs agenti desint, hæc tamen non probant eorum ratiocinationes rectiores fuisse, nec naturam hæc præmia ejusmodi actibus ut plurimùm conjunxisse. Quemadmodum contingere potest ut, qui susceperit duabus aleis duos primâ vice conjicere senarios, vincat eum qui æquâ sorte contenderit illud id non effecturum, nihilominus demonstrabile est à natura, seu figura cubica aleæ dari 35. casus in quibus id non eveniet, contra unum in quo id contingat; atque adeò tantò pluris valere hujus quàm illius expectationem: atque hanc inter expectationum valores differentiam meritò æstimari posse velut lucrum seu præmium naturale prudentioris electionis. Similitérque de damno, ac pœna imprudentis electionis pronunciandum est. At si exemplum è Physiologia desumptum magìs allubescat, (quanquam illic ad calculi ἀκρίβειαν res perduci nondum possit) hoc statim occurrit. Ventriculus ac intestina alimentum concoquendo, hepar bilem separando, cor systole & diastole suâ fungendo, directè quidem totius corporis valetudini inserviunt, simul etiam suam sanitatem quantum in ipsis est, optimè tuentur: contingat tamen aliarum partium defectu aut morbo, ut hæ, sine suo vitio, debito alimento defraudentur. At quoniam id certiùs eveniet si ipsæ toti corpori desint', hoc ipso quòd ut plurimùm contingat ipsas per suarum functionum ministerium diutiùs conservari, reportant aliquid quod præmii naturalis imaginem gerat, adeoque rei nostræ illustrandæ inserviat. Quoniam autem Lemmatis hujus verif-

veriſſimi cognitio, uti aliarum omnium veritatum de effectis cauſisque naturalibus notitia, menti humanæ imprimitur à rerum natura à voluntate Cauſæ Primæ ad id determinatâ, manifeſtum eſt cauſam primam efficere ut illud verum eſſe cognoſcamus. Præterea autem, cùm aſſenſus huic Lemmati datus naturaliter ſuadeat, & impellat ut publico bono ſtudeamus, non minùs verè dicitur Cauſam primam hoc idem hoc modo ſuadere. Nullum enim eſt periculum ne cauſam primam ullius mali auctorem faciamus, dum effecta tantùm naturalia ac neceſſaria illi velut cauſæ tribuimus. Mala enim omnia moralia fiunt per interventionem humanæ ignorantiæ, inadvertentiæ, temeritatis ex aliquo libertatis noſtræ abuſu. Suadet itaque prima cauſa eadem illa quæ ſuadet rectæ, id eſt, veræ rationis judicium de neceſſariis ad finem hunc ſummum per media maximè idonea obtinendum. Atqui ſuadet per argumenta à maximis præmiis, pœniſque, quas ipſe omnibus major ſapientiâ, bonitate & potentiâ, actionibus noſtris, ſuiſque monitis annexuit, ejus monitum *Lex* eſt; & hoc ipſo nomine quòd ſic nobis quicquam ſuadeat, eſt *Legislator*. Quod *factu optimum* judicârat Senatus Romanus, etiamſi propter defectum in numero eorum qui conveniſſent, aut in loco, aut tempore, aut propter interceſſionem Tribuni, in legem ratam non tranſiret, Auctoritatis tamen nomen ſibi vendicavit, ut indicat Dio Caſſius *Lib. 55.* multò verò magis auctoritate munitum cenſebitur, quicquid ad Bonum commune factu optimum eſſe ſine ullo defectu cauſa prima indicavit, & præmiis pœniſque (mediante licèt cauſarum ſecundarum naturâ ab ipſo determinatâ) ſanxit. Ejus enim voluntas, ſemper hoc ipſo quòd eſt prima, cauſa ſuprema eſt, ſapientiſſima, optima potentiſſimâque, aliæ enim nihil habere poſſunt quod ab ipſo non acceperint: & propter infinitam ſuam perfectionem Voluntas ejus ab Intellectûs ſui dictatis diſſentire non poteſt.

His tandem peractis facile est ostendere, quomodo Leges Naturales sic definitæ vim habeant imperandi, vetandi, permittendi, &c. nec difficile est definitionem nostram cum illis quæ apud probatissimos Authores reperiuntur, per commodam ambiguorum verborum, quibus usi sunt, interpretationem conciliandi. Verùm hæc Lectorum curæ relinquere visum est.

CAPUT VI.

De iis quæ in Lege Naturæ *generali continentur.*

§. I. STabilito in præcedentibus universali præcepto de prosecutione Boni Communis, necessarium videtur in iis quæ sequuntur, explicare; (1) Quænam illa sint quæ intra ambitum Boni Communis complectimur? (2) Quænam actiones ullatenus pertinent ad ejus prosecutionem, atque adeò hâc lege quadantenus dirigantur?

De priore hæc tantùm breviter hîc dicenda veniunt, & iis quæ in capite *de Bono* diximus adjicienda. Quoniam Systematis illius, cujus bonum hîc præcipuè spectamus, partes sunt Deus & homines, sequitur ea omnia huc pertinere, quæ in Dei honore seu gloria, & hominum fœlicitate integra continentur, aut quæcunque eorum mentes & corpora perficiunt. Præterea quoniam aggregatum hominum omnium (ut alia pleraque è multis conflata) commodissimè resolvitur primò in partes majusculas, mox illæ in minores, atque hæ tandem in minimas; scilicet, primò in gentes seu nationes varias, deinde in familias, & ultimò in homines sigillatim spectatos; pari ratione quæ hominibus bona sunt, ea gentibus integris aut etiam pluribus aut universis prosunt; qualia sunt ea de quibus præcipit Moralis Philosophia & Jus Gentium (quæ duo inter se admodum sunt

affi-

affinia;) alia sunt uni Civitati, seu hominibus sub uno regimine Civili commoda, de quibus leges eorum Civiles præcipiunt; alia unicæ familiæ utilitates spectant, de quibus œconomicæ agunt regulæ: Denique alia sunt unico cuivis homini propria commoda, de quibus præcipiunt tum Logica, & Diætetica, tum disciplinæ omnes prædictæ; quatenus Ethica limitat actiones singulorum ad propria commoda spectantes, per respectum ad Bonum omnium rationalium; Dei scilicet honorem, aliorúmque omnium hominum jura: Politiæ autem Leges quemque limitant per respectum ad Civitatis salutem; Oeconomica per familiæ curam. Una autem generalis Naturæ Lex simul prospicit & toti rationalium systemati, & partibus ejus juxta rationem quam illæ habent ad totum.

§. II. Multorum sanè errorum occasionem dedisse videtur, quòd aliqui crediderint, Ethicam hominem velut solitarium instituere, sine respectu ad alios; cùm tamen Justitia universalis, quæ omnium virtutum Moralium est summa, sit *ἀλλότριον ἀγαθὸν*, totáque fere ad alios referatur. Immò si res penitiùs introspiciatur, patet veram Ethicam homines instituere ad societatem longè amplissimam cum Deo, hominibúsque universis ineundam, & conservandam. Abstrahunt sanè multa ejus præcepta à consideratione tam societatis Civilis, quàm sacræ, *i. e.* ad neutram harum limitantur; sed tamen ad eas omnes pertingunt, iisque omnibus summam virtutem & decus impertiunt. Notandum enim est minores omnes societates, earúmque potestates, & actiones limitari è respectu ad Bonum societatis majoris ac sublimioris. Sic Civitates nihil præcipere tenentur contra Jus Gentium. Leges intelligo illas Naturales quibus diriguntur omnium Civitatum, & singulorum hominum actiones erga universos, è quacunque fuerint Civitate; aut (si nondum velut in Civitatis formam redacti spectentur) quales sunt quæ præcipiunt de Innocentia erga innocuos, & fide ac gratitudine: Pari

 ratio-

ratione, nec ad familiæ, nedum ad unius hominis commoda acquirenda, violandæ sunt Leges Civiles, quibus Civitatis salus continetur.

§. III. Motus animi hæc ritè curantis est prorsus Analyticus, à magis compositis ad simpliciora procedens; ut prior & potior sit totius ratio, partim deinde succedat cura: nihil interim partibus decedit ex hac methodo, sed è totius Fœlicitate illæ omnes suam sibi decerpunt proportionatam fœlicitatem. Totum enim nihil aliud est quàm partes conjunctim, & in suo ordine, mutuâque ad invicem relatione consideratæ: adeoque totius Bonum nihil est aliud quàm Bonum per omnes partes secundùm naturalem earum ad se invicem relationem, diffusum. Ideoque cùm requiritur ut totius prior ratio habeatur, nihil aliud requiritur quàm ut inprimis curetur ne violentur fides, gratitudo, cæteráque auxilii mutui vincula; quibus omnes inter se conjunguntur, omniúmque ordo ad alios constituitur, & conservatur. His enim velut vasis sanguiferis & Nervis per totum corpus dispersis humani generis partes velut unius corporis membra uniuntur inter se & officia mutua sibi præstant; sive fuerint ejusdem Civitatis, sive non. Per hæc enim vincula fit ut sæpenumero aliorum consiliis & prudentiâ sapiamus, aliorum virtutibus meliores evadamus, aliorúmque viribus invalescamus, ad ea quæ nobis usui sunt acquirenda, & conservanda; aliorum denique divitiis ditescamus: Quoniam autem notum est perfectiones illas animi, quæ virtutum intellectualium, & moralium nominibus innotescunt, nec non corporis vires, ac divitias ea esse bona quorum copiâ singulorum Fœlicitas rectè æstimari solet; sequitur hæc omnia cùm per pactorum fidem, gratitudinem, humanitatem, &c. in commune conferentur, esse Bona communia, Fœlicitatem communem constituentia. Is fateor communis Fœlicitatis cumulum auget qui vel uni prodest, aliis omnibus illæsis; at hoc consultò fieri non potest sine cura, ne aliorum jura violentur; nec hoc curabitur sine benevolentia

erga

erga omnes diffusa, quæ Jura Dei, & Gentium aliarum, patriæ & familiæ nostræ spectat; in quibus omnibus latissimum Bonum pluribus Commune continetur; ideoque hoc necesse est curari, si vel uni prodesse velimus sine culpa; ejúsque cura in omnium Legum (non modò naturalium, sed & positivarum quæ promulgantur, sive sacræ fuerint sive civiles) considerationem & observantiam nos deducet. Certissimum enim est omnes leges bonas, immò & omnia sapientia parentum monita, ac Philosophorum consilia, eundem finem ultimum respicere; adeoque prout magìs vel minùs necessaria fuerint ad hunc finem, ac magìs vel minùs manifesta è rerum naturis, eatenus ad Legum Naturalium vim accedere, aut ab ea recedere.

§. IV. Denique si quis id culpet quòd aggregatum omnium rationalium habere in se diversas Nationes, Civitates, & Familias jam jam distinctas supponam, & earum genesin è Chao confuso non explicem. Respondeo (1) Confusum adeò statum humani generis non esse necessariò supponendum ad explicandam civitatum & familiarum genesin; immò, solâ ratione judice, probabilius esse humanum genus, omnésque adeò civitates, ac familias ex unius viri cum fœmina conjugio prodiisse, omnémque adeò authoritatem à paterna naturalissima ortum sumpsisse. 2°. autem etiamsi omnes homines nullâ inter se cognatione teneri supponerentur, methodum tamen nostram ad Civitatum, & minorum civitatum genesin explicandam sufficere; quoniam naturaliter manifestum est necessarium, primúmque medium ad Bonum commune hoc esse, ut eorum aggregatum (si ad constitutionem unius civitatis non consentirent omnes quod videmus nunc non existere) in diversa corpora politica divideretur uni Deo subordinata; atque hæc in minores societates, ac familias distribueretur; ut ita singulis tandem bona quædam propria fierent in commune ab illis conferenda, juxta præcepta posthac tradenda: prorsus uti si statum materiæ, motûsque particularium è quibus

fiat animal, consideremus in ovo nondum incubato, manifestum est ad earum omnium communem perfectionem facere hoc tantùm, ut cumprimis illæ in distinctas animalis partes formarentur, quibus singulis sua tribuerentur munia ad communem sanitatem inservientia. Sed ut Medici supponunt animalium partes formatas, ita *Philosophi Morales* societates constitutas. Nihilominus illa quæ diximus de Origine dominii in rem necessarias, sepositâ cognitione eorum quæ in Historia sacra traduntur, pariter explicant Originem dominiorum in Personas, Paterni & Civilis in familias & Civitates, adeoque fundamenta (quæ ratio sola assequi possent) jurium in omni societate necessariorum.

§. V. Ad 2am quæstionem sic universaliter respondemus. Omnes actiones humanas quatenus ratione, consilio, aut habitu in hominem introducto ordinari possunt ut media ad Bonum commune, intelligimus ad illius prosecutionem conducere. Súntque vel actus eliciti intellectûs, aut voluntatis & affectuum, vel actus imperati, id est, voluntariè determinati corporis.

Inprimis itaque in Lege Naturali (quæ prosecutionem Boni communis pro virili nostra imperat) præcipitur ut vires exeramus naturales intellectûs, seu ingenii nostri circa res omnes, & personas quæ huc à nobis ullatenus dirigi possint, ut Habitum illum acquiramus animi qui præ cæteris huc facit, & *Prudentia* dicitur. Illius autem fundamentum ponitur in vera Naturæ quidem universæ, præsertim verò rationalis, scientia: præcipuæ autem ejus partes sunt finium præcipuorum, (quorum maximus est is quem quærimus) & mediorum illuc facientium cognitio practica. Tota enim consistit in assensu practicis dictaminibus dato; His autem utrisque acquirendis inserviunt operationes animi; (1) *Inventio*, quæ è præsentium observatione, & ex opportuna recordatione præteritorum consistit: & (2) *Judicium* tam noeticum, quàm dianoeticum in ratiocinatione, &

& methodica veritatum dispositione consistens: Unde colligere licet naturam veræ Logicæ usum nobis commendare; atque etiam intelligamus quo sensu imperentur naturaliter illi actus, habitusque qui dicuntur in Inventione *sagacitas*, *εὐβουλία*, *Cautio*, *ἀγχίνοια*, *δεινότης*.

In Judicio *σύνεσις*, *γνώμη* &c. si artificialibus nitatur argumentis, dicitur; at si Judicium idoneo nitatur testimonio, *Fides* appellatur. Hæc omnia in quantum in singulorum Potestate sunt, ac necessaria ad summum finem, illâ lege præcipiuntur.

§. VI. Effecta autem Prudentiæ immediata, generalissima, nobisque intrinseca sunt (1) *Animi Constantia*, quâ dictaminibus ejus, utpote quæ sunt immutabilis veritatis, & omnibus circumstantiis sunt accommoda, sine ulla fluctuatione adhæremus. Est enim quædam judicii practici de fine & mediis optimis, ac voluntatis illud sequentis immutabilitas, quæ immediatè procedit è percepta immutabili veritate propositionum practicarum, in quibus de fine & mediis necessariis pronunciatur: Prudentia ita se habet ad inconstantiam, uti Scientia ad assensum contradictoriis simul propositionibus datum. Constantia autem in prosecutione maximi hujus finis, dum pericula imminent, & difficultates obstant, est *Fortitudo*; eadem permanens dum mala patimur, dicitur *Patientia*.

2. *Moderatio* est effectum Prudentiæ affectus & conatus intra eum modum (seu mensuram) continentis qui finis bonitati, & mediorum necessitati ac utilitati maximè convenit. At quia Prudentia animum semper dirigit ad finem optimum integrum, seu secundùm omnes ejus partes quærendum, & ad usum omnium mediorum necessariorum, eapropter vera Moderatio ab *Integritate* divelli non potest, nec à *Diligentia* seu *industria*. Supponimus autem in data descriptione Moderationis, notum esse & concessum affectus intensissimos, ac conatus vehementissimos hominum circa summum finem, mediáque ad illum summè necessaria

ex

ex lege Naturæ generalissima imperari: Hoc autem dato,& inventâ proportione inter quemvis alium finem ac summum, utì & inter usum ac necessitatem aliorum quorumlibet mediorum, parilis proportio inter affectus & conatus his in casibus debitos poterit reperiri.

§. VII. Ab hac autem Moderatione quam cum summa vehementia circa finem & media optima conciliavimus, nihil (ut opinor) distat *Mediocritas* illa, quam velut virtutis omnigenæ formam deprædicant Peripatetici, si benignâ interpretatione explicetur. Fatemur interim moderationem in actibus voluntatis ac affectuum præcipuè conspici; quoniam tamen investigatio ac determinatio mensuræ, ac proportionis, quæ illi est intrinseca, est peculiaris quædam vis intellectûs; atque insuper quoniam modus quidam figendus est inquisitionibus intellectûs, ne dubitatio & cautio in perpetuam abeat scepsin, ac ne diligens causas inquirendi studium facessat in ineptam curiositatem, visum est hîc moderationem imperatam esse ostendere, indéque ad actus voluntatis eâdem lege mandatos transire: Illi autem omnes generalissimo nomine *Benevolentiæ* amplissimæ quidem & efficacissimæ comprehendi possunt. Hæc enim se se exerit in omnigenis affectibus, & conatibus quibus quæ Deo, hominibúsque grata sunt, procurentur, aut horum alterutri ingrata summoveantur. Quoniam autem ejusdem est Benevolentiæ curare,ne quid fiat Bono Communi oppositum, & id ipsum, si quo casu admissum fuerit, corrigere ac emendare, hinc generalis hujusce virtutis pars quædam intrinseca est *Æquitas* illa quæ voluntatem denotat per prudentiæ regulas præparatam ad ea corrigenda, quæ Lege forsan, aut Judicio civili secùs fuerint determinata quàm Boni Communis ratio in datis Circumstantiis postularet. Fit enim haud rarò ut per verborum generalitatem, aut aliquam humanæ mentis in ipsis Legislatoribus & Judicibus imbecillitatem, omnes qui evenire possint casus providere nequeuntem, ab hoc scopo in quem since-

ſincerè collimaverint, Rectores aberrent. Poſtulat autem Boni communis amor ut ipſi (poſtquam caſûs præſentis circumſtantias pleniùs expenderint, quàm ab ipſis fieri poſſit cùm è longinquo proſpiceretur) illa emendent, è perfectiore notitia rerum coràm poſitarum, quæ minùs fœliciter conſtituta fuerint de rebus iiſdem eminùs & imperfectiùs proſpectis.

E Lege hac naturali omnem ſuam authoritatem derivat Sententia ex æquo & bono pronunciata, adeoque hîc verus eſt æquitatis fons: nec importuna eſt ejus mentio hoc in loco; quanquam fatemur uſum ejus valdè conſpicuum in corrigendis legibus civilibus non adeò diſtinctè hîc explicari poſſe, ubi Legum Civilium conſtitutio ſeu generatio nondum fuerit explicata. Nihilominus quoniam alios ea habet uſus, nempe in caſibus in quibus ſilent Leges Civiles, & in legibus civilibus ferendis quæ æquæ ſunt *facienda*, ea hoc in loco non erat ſilentio prætereunda.

§. VIII. Summa eorum quæ hactenus dicta ſunt, huc redit, quòd prudens erga rationales univerſos Benevolentia generaliſſimam Naturæ legem implet. Hæc affectibus, nec non conatibus omnigenis finem proponet optimum, modúmque eis eum præſcribet qui optimi finis aſſecutioni maximè inſervit, qui, hoc nomine, eorum modus eſt naturaliter optimus. Non enim opus eſt (ut ſentire videntur multi) ut variorum affectuum regimini diverſas virtutes aſſignemus, quandoquidem eadem cura finem quemlibet aſſequendi efficiet ut quæ illi favent *amemus*, eáque abſentia *cupiamus*, ac *ſperemus* ſi probabiliter futura videantur, & iis præſentibus *lætemur*: ac pari ratione faciet ut quæ illi ſunt adverſa *odio* habeamus, eáque dum abſunt *fugiamus*, ac *metuamus*, iis præſentibus *dolore* afficiamur. Ideoque ſi finis quem quærimus is ſit quem Lex Naturæ imperat, & ſi illius acquirendi ſtudium eidem Legi ſit conforme, omnium affectuum motus (utpote qui hinc ex humanæ Natu-

Naturæ conditione pendent) illi ſtudio naturaliter erunt proportionati, niſi contingat intellectum in diſcernendis eorum objectis ſeu cauſis particularibus excæcari; quod tamen propter debitum quem ſupponimus finis amorem, unuſquisque quantum in ipſo eſt, præcavebit. Eadem hæc univerſalis Benevolentia, quatenus motus omnes voluntarios Bono communi oppoſitos in nobis coercet, corrigitque, eos præſertim quibus privata noſtra commoda publicis præponamus, *Innocentiam* in ſe complectitur, nec non *Lenitatem*, *Reſipiſcentiam*, *Reſtitutionem*, & *ſui Abnegationem*: quatenus conſtans, efficax & apertum benefaciendi propoſitum continet, efficiet ut benignè de aliis ſentiamus, quod *Candoris* eſt; & bona aliis promittamus, & præſtemus, quod *Fidei* munus eſt. Eadem verò, quoniam Boni communis notas cauſas majorem in modum diliget, *ſummè gratos* homines efficiet. Eſt enim *Gratitudo* nihil aliud quàm eximia Benevolentia erga pridem benevolos; nec ea ſanè quemquam obligat niſi ubi collatum eſt nobis beneficium ſine injuria aliis illata; & ad vices rependendas quoad poſſumus ſtimulat, ſed absque publicæ utilitatis detrimento. Denique idem Amor univerſalis etſi omnibus ſyſtematis Rationalium partibus grata facere ſtudet, eos tamen præ cæteris reſpiciet qui vel toti Communitati magis prodeſſe poſſunt & volunt (quales ſunt Deus, & qui ab ipſo rebus Civilibus aut ſacris præponuntur) vel quibus per naturæ noſtræ conditionem & ſtatum majorem in modum quisque prodeſſe poteſt; ut poteſt quisque *ſibi, ſuæque familiæ*, poſteris & conſanguineis in pluribus inſervire. In his autem paucis primæ ſpeciales Naturæ Leges, ac virtutum omnium & ſocietatum (Sacræ nempe, Civilis & Oeconomicæ) fundamenta continentur; atque inſuper oſtenſum eſt, quomodo idem affectus erga Bonum Commune ad omnia hæc munia ſufficit naturaliter, quia naturaliter oppoſitis ſibi motibus repugnat, & cauſas partesque ſui affectûs juvat. Unde liquet eandem legem quæ hunc affectum imperat, imperare ſimul

ſimul ut ei oppoſiti motus pro virili coerceantur, atque ut cauſæ cum eo conſpirantes juventur, nec non ut objecti illius proprii partes omnes, præſertim verò eæ quas dixi, reſpiciatur.

§. IX. Denique, hîc ſuggerere viſum eſt diſtinctionem inter actus neceſſarios, & indifferentes ortum ſumere è relatione quam illi habent naturaliter ad effectum, ſeu finem, in univerſali hac lege propoſitum. Illi ſcilicet ſine quibus fieri nequit ut dictum finem promoveamus, neceſſarii ſunt. Illi verò quibus dantur alii æquipollentes, ſeu pariter efficaces in ordine ad hunc finem, indifferentes erunt: utpote de quibus Lex Naturalis non determinat an hoc vel illo modo facere oporteat, ſed ſollicita tantùm eſt ut aliquo ſaltem modo tantundem Bono communi conferamus. In his autem locus eſt ampliſſimæ *libertati*; atque etiam legibus poſitivis ejusmodi libertatem intra fines anguſtiores limitantibus. Ego apud me hanc diſtinctionem inter actus neceſſarios & indifferentes illuſtrare ſoleo per comparationem eorum cum praxibus ad conſtructionem problematum Geometricorum inſervientibus. Earum enim nonnullæ adeò ſunt neceſſariæ, ut ſine illis problema conſtrui non poteſt: in plurimis autem quæſtionibus multi ſe offerunt modi Problema datum conſtruendi ſine ullo in Geometriam peccato, ut liberum ſit Geometræ nunc hâc mox aliâ uti conſtructione, ita tamen ut in omni quem ſumere poteſt praxeos modo, certis quibusdam regulis ita determinetur ut in fine ad eandem prorſus quæſtionis ſolutionem perveniat. Prorſus uti liberum eſt Terrâ hominibus jam repletâ in cœlibatu, aut conjugio vitam tranſigere, in utroque tamen ſtatu legibus quibusdam obſtringimur, ne quid contra commune Bonum committamus; ſed ei pariter utrobique ſtudeamus.

§. X. Interim tamen non æſtimavi neceſſarium eſſe ut hæc omnia in Legum Naturalium formam reducerem, & ſub ea coram oculis exponerem. Lectori ea ſingula quæ

in

in lege generalissima contineri ostenderim. Suo quisque Marte exhibere potest legem de acquirenda & exercenda (perpetuò in ordine ad prosecutionem boni publici) prudentia, constantia, moderatione, benevolentia, &c. si modò recordetur earum formam è phænomenis naturæ manifestam hanc esse, vel huic similem. Voluit prima naturæ rerum causa notum omnibus facere necesse esse ad communem fœlicitatem, & ad privatam singulorum ex illius prosecutione unicè sperandam, singulos commune Bonum cum Prudentia, Constantia, &c. prosequi: vel datâ Lege de prosecutione Boni Communis pro virili nostra, datur Lex imperans Prudentiam, Constantiam, Fidem, &c. Nec dispar est ratio legum quæ jubent fidem dare & servare, ac gratitudinem exercere; hæc enim in actibus erga omnes prorsus rationales pariter locum habent. Alii verò multi sunt actus humani qui licèt totius communitatis Rationalium bono inserviant, certis tamen illius partibus immediatè & peculiari modo appropriantur: ideoque Proprietatis ac Dominii (paulò laxiore sensu verborum quàm qui apud JCtos civiles in usu est) origo quærenda est.

CAPUT VII.

De Origine Dominii & Virtutum Moralium.

§. I. QUemadmodum Animalis Oeconomia verè quidem, sed non satis plenè explicatur dicendo; Totam corporis fabricam à perenni sanguinis motu in se se refluo sustineri; ita etiam Societas omnium rationalium vere quidem dicta est conservari reciprocis officiis in publica commoda collatis; at non satis plenè explicabitur, donec ostensum fuerit quales tandem actus præcipuis ejus partibus in hunc finem necessariò tribuendi sint, & propriis earum usibus destinandi; uti ad pleniorem Naturæ Animalium explicationem requiritur ut ostendatur qualis proportio sanguinis per cerebrum & superiores corporis partes circulan-

culanda est, qualis etiam per inferiores ut hepar & hypochondria,& quâ ratione succus nutritius aliis saltem nobilioribus corporis partibus distribuatur.

Notandum est autem quòd vasa quæ spiritus & nutrimentum uni parti deferunt,non privato tantùm illius commodo,sed etiam publicæ totius valetudini eâdem operâ inserviunt,quandoquidem omnis pars corporis toti aliquatenus est utilis : pariter planè se res habet in iis quæ singulis hujusce societatis partibus propria usquam fiunt; ea scilicet non desinunt toti commodissimè deservire.

§. II. Videtur origo juris in res & personas (quod Proprietatis, & Dominii nominibus liceat indigitare) ex iis quæ antea diximus hâc ratione deduci posse. Quoniam ostensum est in communi fœlicitate & Dei honorem summum,& humanarum mentium,corporumque perfectiones contineri; atque insuper è natura rerum notum est ad hos fines necessariò requiri, & multas actiones hominum,& multos rerum usus, quæ eodem tempore aliis usibus inservire nequeunt; sequitur necesse esse ut homines qui Bonum Cōmune prosequi obligantur,obligentur etiam consentire ut rerum usus ac personarum operæ quatenus singulis necessariæ sunt,ut bono publico inserviant,ipsis ita concedantur, ut, manente prædictâ necessitate,ab iis auferri licitè non possint; hoc est, ut illa ipsis, ad illa saltem tempora,fiant propria,adeoque *sua* eatenus dicantur. Quoniam autem hujusmodi tempora, & casus singulis continuâ serie succedunt, perpetua quædam proprietas seu jus ad usum rerum,& opem personarum necessariarum sequetur, usquequò natura vitam largitur. Quin etiam si eadem res (ut fundi aut arbores) in finem prædictum sufficient per varios dies aut annos, eadem ratio quæ jus ad eas dedit primo die,parile jus conferet die sequente, & porro quidem si cætera maneant paria. Et hujusmodi quidem gradibus deducit homines ratio ad consensum de constituendis Dominiis plenis in res; tandemque etiam in personas seu per-

 sonarum

sonarum operas ad communem fœlicitatem necessarias. Obligatio enim ad prosecutionem finis (quam antea evicimus) introducit obligationem ad medium unicè necessarium, nempe consensum singulorum ad aliquam divisionem rerum & operarum humanarum; quoniam impossibile est ut eadem res, ejusdémve hominis opera innumerorum hominum pugnantibus voluntatibus obsequatur. Res enim quibus utimur, & membra hominum quibus opera illorum externa in aliorum auxilium peraguntur sunt corpora, atque adeò ad unum locum quovis tempore limitata, eorúmque adeò motus quibus cuivis inservire possunt ad unũ quovis tempore terminum dirigitur; indéque fit quòd idem victus & vestitus necessarius qui unius vitam conservat, non possit eodem tempore idem prorsus alteri præstare, licèt remotè quidem, seu mediante illius operâ multis utile esse possit. Manifestum est itaque rerum Naturam indicare necesse esse ad singulorum fœlicitatem, vitam, ac valetudinem à quibus alia omnia pendent commoda, ut limitentur, saltem ad tempus, rerum usus singulis, exclusis aliis. Manifestum inde est porrò idem ad communem omnium fœlicitatem pariter necessarium esse: quia Totum à partibus simul sumptis non distinguitur. Denique manifestum est ob paritatem rationis in omnibus, quæ succedunt, temporibus limitationem hanc ad tempus factam necessariò continuandam esse ad eundem finem, vel in iisdem rebus vel in aliis quæ tantundem præstare possint. In continuata autem hac limitatione rerum ac operarum humanarum ad singulorum vitam ac valetudinem integrámque fœlicitatem necessariarum tota essentia, vis & virtus proprietatis & dominii continetur: quanquam adjuncta quædam illi è legibus civilibus addi possint. Natura itaque manifestò docet dominium in res & personas ad commune omnium bonum necessariò constituendum esse (si supponatur in primo momento non constitutum;) aut potiùs velut jam constitutum à prima causâ accipiendum esse & conservandum.

§. III. Re-

§. III. Reducuntur hæc in legis naturalis formam hoc modo.

Rerum à prima causâ factarum natura apertè indicat illam voluisse omnes actiones voluntarias Rationalium, quæ necessariæ sunt ad conservandam constituendámque singulis proprietatem in aliquibus rebus aut personis, necessarias prorsus esse ad debitam prosecutionem Boni communis; adeoque Rationales omnes eâdem Lege iisdémq; præmiis ac pœnis obligari ad dominii cujusdam constitutionem aut agnitionem & conservationem, quâ obligantur ad prosecutionem boni publici quantum in ipsis est. Vel sic breviter; Data Lege de procuranda communi omnium fœlicitate, datur Lex naturalis de constituendis aut conservandis juribus singulorum propriis, in iis quæ ad singulorum fœlicitatem sunt manifestò necessaria, tam in personis eorúmque actibus ad auxilium mutuum requisitis, quàm in rebus aliis.

In hac autem Lege duæ hæ partes continentur: (1.) Deo dentur quæ sua: (2.) Hominibus pariter quæ sua: Utrumque fieri necesse est ut salvus Deo suus sit Honos, & ut salva sint hominibus ea bona quibus ipsi se conservent ac perficiant, aliisque omnibus usui esse possint; quorum utrumque in fine proposito, Communi nempe Bono, continetur. Visum autem est uti indefinitis illis verbis, *proprietatis vel dominii cujusdam*, quoniam libenter fateor Naturam non semper indicare necessariam esse ejusmodi proprietatem quæ cum plena rerum divisione conjungitur; sufficit ad essentiam veræ proprietatis aut dominii ut quispiam jus habeat Lege munitum ad tenenda aut disponenda certa quædam commoda in re, verbi gratiâ, in fundo indiviso, quo cum aliis cõmuniter utimur, fruimúrque, & à quo aliis non licet nos excludere. Si quis verbum hoc, *proprietas* scilicet aut *dominium*, minùs rectè hoc in casu poni contenderit, nolo cùm eo de vocabulo litigare, de re totus sum sollicitus. Grotius *de Iur. Belli lib. 2. cap. 2. sect. 2.* agnoscit usum ejusmodi juris universalis esse vice proprietatis. Nec

potui commodius verbum reperire quo significarem Boni communis prosecutionem postulare ut aliquid ita singulis suum fiat, ut aliis non liceret id illis negare aut eripere; atque ut hoc modo ostenderem non esse licitum illud bellum Hobbianum quod è ficto illius jure omnium in omnes necessariò oriretur. Manifestum est in Civitatibus optimè constitutis multa à multis indivisim possideri, eorumque alios jus habere ad majorem totius proventus partem quàm alii, eoque pacatè frui; nec dubium est quin (remotâ animi abstractione) potestate Civili idem contingere possit. Tale jus ad usum & dispositionem rerum, atque ad auxilia quædam hominum quod à nemine tolli potest, salvâ reverentiâ Legis Naturalis, Deique eam sancientis, *proprietatis* aut *dominii cujusdam* nomine appellamus.

§. IV. His ita explicatis visum est adjicere Legem, quam modò posui, Naturalem eam ipsam esse quâ Justitia universalis imperatur. Nihil enim aliud præcipit præterquam quòd in Justitiæ definitione Justinianeâ commodè explicatâ continetur, quæ sic habet; *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Nos autem omnes actiones voluntarias imperari diximus eâdem lege quæ prudentiam summam, adeoque constantiam ac moderationem nec non benevolentiam, &c. imperat: ideoque satis curavimus ut voluntas in his occupata constans sit & perpetua. Quod autem ille *cuique tribuis* dicit, id nos contendimus ad omnes Rationales ipsumque adeò Deum spectare. Hinc res alias divinas, alias humanas, quasdam sacras, quasdam profanas esse debere dicimus. Denique ita intelligimus jus tribui, ut quicquid cuique proprium aut à Deo, aut ab hominibus antehac factum fuerit agnoscatur, illis conservetur inviolatum; atque insuper ut res quæ nondum in singulorum proprietatem cesserint, eo modo inter omnes distribui consentiamus, qui maximè conducat ad pacem inter omnes & communem fœlicitatem conservandam & stabiliendam. Non incommodè verba ita explicentur;

tur; & certè ejusdem est virtutis, & animi res operasque humanas ad commune bonum partiri, & partitas in eundem finem conservare, divisionem facere, & factæ consentire. Quapropter eadem generalis Naturæ Lex utrumvis horum actuum imperat, eum scilicet quem datus rerum status postulaverit in ordine ad finem quem inprimis respici jubet. Quin etiam addere licet eandem Legem satis apertè homines dirigere ad agendam pœnitentiam, atque ad reparationem damni faciendam quoad possumus, si quid contra eam admissum fuerit. In Legibus enim naturæ non spectantur verborum apices ut fit plerumque in positivis, sed effectus experiti Prosecutio efficacissima: Nempe Bonum Commune optimè obtinetur per Justitiam nusquam aberrantem, proximè autem per resipiscentiam & restitutionem si quid secus factum fuerit, quod per humani generis imbecillitatem sæpe contingit.

§. V. Amplissimus hîc sese offert locus disquirendi (1) de Jure Dei in Res & Personas, & de modo quo illud ipsi competere homines ediscunt: (2) de Dominio hominum, seu de iis quæ nostra sunt aut jure communi omnium, aut nostro singulari: de quibus utraque agit Decalogi tabula; & latè Grotius *de Iure Belli lib. 2. cap. 2.* & sequentibus multis. Verùm prius omitto ne in controversias incidam Theologicas; & secundum, ne in immensum crescat quod scripturus sum volumen. Visum est tamen hîc illud monere, Generalem hanc legem differentiam quandam figere inter Res & Personas quæ Deo consecrantur, & eas quæ communibus hominum usibus permittuntur. Efficit enim hæc distributio Dominiorum, ut præter universale illud dominium in omnia quod Deo competit, quod consistit cum subordinata hominum proprietate in res easdem, sint præterea quædam Deo peculiaria, tum inter Personas, ut Reges & Sacerdotes, tum inter res, tempora, & loca, ut quæ illi consecrantur. Atque insuper ex hoc fonte derivari omnes leges bonas quæ homines limitant aut

dirigunt in rebus Deo dicandis, quales sunt quibus immunitates quædam illis conceduntur, aut è contra quibus modus quidam præscribitur rebus quæ in *Mortuam* (ut loquũtur JCti) *manum* devenire possunt: Ego hæc obiter tantùm indicâsse contentus sum, quoniam præcipuus in quem collimo scopus is est, ut ostendatur Jus omne quod à nobis acquiritur esse aut in nosmet-ipsos, quod *libertas* dicitur, aut in res per occupationem aut per divisionem, aut in personas à nobis diversas ex generatione, consensu, aut delicto nobis concessum esse à voluntate Primæ Causæ sancientis primariam illam Legem de prosecutione Boni Communis. Hinc enim evincitur per inductionem; Omne jus hominum à Lege deduci, & eâdem Lege singulorũ jura ita limitari, ut nemini jus sit publica commoda violandi, aut alteri cuivis qui communitatem non læsit eripiendi vitam & quæ illi necessaria sunt ut communi bono deservire possit.

§. VI. Quanquam autem hæc (postulante Legum propriè dictarum naturâ) creaturarum rationalium conditioni adaptavimus, curavimus tamen ut omnia ita traderentur ut omnia Deo tribui possint, quemadmodum analogicè illi attribuitur Legum naturalium observatio, dum Justus, Liberalis, Misericors ab omnibus agnoscitur. Nemo certè sanæ mentis cogitare potest Primam causam legibus ullis subjici, si leges sumantur pro dictaminibus practicis (seu actionum regulis) à superioris voluntate pœnâ præmióve sancitis; adeoque nec cogitare potest dominium ejus in creaturas in lege sic intellectâ fundari aut regulari. E contrà autem nemo potest honorificè de Deo sentire qui non agnoscat ipsius sapientiam optimum illi finem proponere, suum nempe honorem & aliorum rationalium fœlicitatem, per usum intellectûs & voluntatis ipsis naturalis; eandemq; postulare ut necessaria saltem singulis ita concedantur ut ea violare non liceat, velut medium ad hunc finẽ necessarium. Hoc autem est jura singulorum distincta seu dominium præscribere & constituere. Nec minùs intrinsecè includitur

tur

tur in perfectione naturæ Divinæ voluntas in prosecutionem summi hujus boni per idonea media, Prudentiæ infinitæ consentiens; in hoc autem consensu summa includitur Benevolentia. Quoniam autem necessarium est ad summum Dei honorem, atque ad totius systematis rerum conservationem perfectionemque, ut Deus omnia regat & disponat juxta intellectus sui consilium, Sapientia ipsius non potest non hoc ipsi dictare: nec cogitari potest in illo voluntas ab hoc dictamine suæ sapientiæ dissentiens. Manifestum est porro dictamen intellectus divini de fine, & mediis illuc ducentibus esse instar legis naturalis, & necessitatem persistendi in voluntatis suæ perfectione, seu consensu cum intellectu sapientissimo, omnem legis sanctionem per pœnas & præmia in effectu longè superare. Hinc omnes ejus actus dictaminibus sui intellectus de prosecutione finis optimi, Communis Boni, erunt conformes; adeoque eâdem ratio justæ dicentur quâ dictamina illa legum vim habere agnoscuntur. Eodemque modo potestas disponendi, prout ipsi videbitur, de rebus omnibus, quatenus consistit cum hoc fine & mediis necessariis, dicetur jus Dei, seu dominiũ in res & personas, ex intrinsecis (ut ostendimus) ipsius perfectionibus (quatenus legis naturalis vim omnẽ includunt) ab æterno profluens. Ego certè nihil invenire possum quod impediat quò minùs hoc dictamen intellectus Divini, *Necesse est ad Bonum Commune ut plenissima & suprema omnes creaturas gubernandi potestas à Deo assumatur ipsiq; reservetur*, plenam vim habeat Legis, solidumque adeò sit dominii divini fundamentum, nisi fortè alicui id obstare videatur quòd illud à superiore nullo præscribatur & sanciatur. Verùm ad essentialem Legis vim sufficit quòd à supremo perfectissimoq; dictetur, vereq; pronunciet de optimo fine mediisq; ad eum necessariis, etsi à superiore (quod hoc in casu est impossibile) non proveniat. Extrinseca commendatio dictaminis hujus ab alio Auctore non potest esse necessaria, ubi intrinseca ejus perfectio (materia nempe

nobilissima, & forma quæ est luculenta veritas) est absoluta ab omni imperfectione, & ubi ipse dictaminis Auctor aliis omnibus qui existere possunt infinitè perfectior est. Nec eget illud dictamen sanctione per pœnas aliunde infligendas, quæ propter intrinsecam voluntatis Divinæ propensionem ad Bonum hoc maximum violari ab ipso non potest. Quippe si supponatur voluntas divina ab optimo fine, mediisque ad illud necessariis recessisse, simul supponitur excidisse infinitâ suâ perfectione (perfectior enim esset si non recessisset;) id est, supponitur exuisse Deitatem quod involvit contradictionem. Eodem igitur modo dictamina Divini intellectus sanciuntur in Leges apud ipsum valituras, per immutabilitatem suarum perfectionum, quo dicere solemus juramentum Dei ratum fieri cùm jurat per ipsum seu vitam suam, id est, perfectiones suas immutabiles æternumque duraturas. Interim verò reservatio hæc summi in omnia dominii quam Deo attribuimus ab omni injuriæ suspicione hoc nomine libera est, quoniam nulla cogitari potest Lex antiquior quæ hoc facto violetur, nullaq; afferri potest ratio competitionis ex parte creaturarum, quæ adhuc tantùm ut possibiles spectandæ sunt, quarum futuritio, jusq; omne futurum ad qualecunque dominium, tota pendet à divinæ voluntatis benignitate. Præterea verò finis ille in ordine ad quem necesse esse diximus ut Deus hoc sibi dominium assumeret, scilicet Bonum Commune, tam plenè respicit creaturarum fœlicitatem ut nemo (nisi sua intervenerit culpa) lædi possit per hoc illúdve ullum medium ad ejus prosecutionem necessarium. Denique hæc resolutio Divini juris in dictamen hujusmodi Divini intellectus cæteràsque perfectiones voluntatis illius proprias ideo videtur admittenda, quoniam nulla unquam creatura ex opinione suæ Sapientiæ, Bonitatisve, nedum Potentiæ, arrogare sibi posset ex hoc exemplo jus dominii in alias creaturas. Contrà autem Hobbiana resolutio Dominii divini in potentiam ejus irresistibilem, adeò apertè homines ducit ad

quæ-

quærendum in alios quoslibet dominium per vim aut dolum, per fas aut nefas, ut mihi dubium non sit illud ab eo fictum fuisse Deoque attributum in eum tantùm finem, ut juri suo omnium in omnia patrocinaretur.

Addi tamen potest quòd Lex Naturæ strictè dicta quæ mentibus humanis insidet, & quæ propter voluntatem Dei quem, modò jamjam explicato, Rectorem agnoscimus, homines obligat ad deferendum ipsi honorem & cultum, meritò dicatur ei jus dominii tribuere, quatenus nos obligat ad hoc in eo agnoscendum, & ad idem ipsi ultro deferendum. Manifestum enim est quòd si nos nobismet ipsis finē hunc nobilissimum, uti par est, proponamus, non possumus illud prudentiùs prosequi quàm Deo imperandi gloriam tribuēdo, nobisque reservando obsequii tantùm laudem; atque adeò jus ad res & personas, ipsi subordinatum, & Bono Communi. Notum enim est jus hujusmodi subordinatum ad usum rerum multarum, & auxiliorum humanorum, ad hominum vitas viresque sustinendas esse planè necessarium, adeoque ad cultum & honorem omnem quem illi Deo in hac vita præstare possint; Deo interim immortali his rebus minimè carente, adeoque eas non deposcente præterquam ad alendos liberaliùs quosdam homines qui peculiari præ cæteris ratione ipsi in terris inserviunt ipsiusq; personam gerunt, quales sunt Magistratus Civiles, & rerum sacrarum Ministri.

§. VII. Solebam ipse quidem, cum aliis plurimis, antequam dominii jurisque omnis originem universaliter & distinctè considerâssem, dominiū Dei in creationem velut integram ejus originem resolvere: cogitabam enim per se notum esse quemlibet suarum virium, quæ à cujusq; essentia parùm distinguuntur, esse dominum, ideoque etiam effectum illius esse à cujus viribus totam suam essentiam acciperet, ut fit in creatione, quâ tota rei substantia è nihilo producitur. Verùm quoniam dominium omne jus quoddam est, omne autem jus est Potestas à lege aliqua, saltem

analogicè dictâ, concessa seu permissa, ideo Lex dominium concedens seu permittens primò agnoscenda est. At Lex nulla est prior lege naturali, seu dictamine Sapientiæ Divinæ de fine optimo ac mediis ad illum conducentibus, quod Legi Naturæ perfectè consonum est, quod analogicè Lex dicatur divinarum actionum; ideoque in hanc tandem concessi sententiam, dominium Dei esse jus vel potestatem ei à sua Sapientia, & Bonitate, velut à lege, datum ad regimen eorum omnium quæ ab ipso unquam creata fuerint aut creabuntur. Scilicet in Sapientia Divina necessariò continetur dictamen de prosequendo optimo fine & de mediis necessariis, & in Bonitate, seu in perfectione voluntatis Divinæ pari necessitate includitur consensus libentissimus de illius prosecutione: atque hæc non incommodâ analogiâ respondent ratificationi Legis hujusce æternæ è qua dominii divini origo petatur. Nec poterit quisquam meritò conqueri dominium Dei intra nimis angustos limites hâc explicatione coerceri, quâ hoc unum dicitur, illius nullam partem consistere in potestate quicquam faciendi contra finem optimum, Commune Bonum, id est ipsius honorem, & cæterorum rationalium fœlicitatē eam quam & rerum ab ipso conditarum natura patitur, & ad quam quærendam facultates illis ab ipso datæ adaptantur. Manifestum enim est Sapientiam & Potentiam infinitam res omnes hominesque modis infinitè diversis disponere posse ac potuisse, ita ut in singulis hisce modis Commune totius systematis Bonum pariter procurari potuisset: pariterque manifestum est, Libertatem perfectam non consistere in potestate meliùs aut pejùs faciendi, sed in potestate optimè pariter faciendi, sive his, sive aliis uberiùs Deus benefaciat & largiatur quæ sua sunt, respectu semper habito ad finem optimum. Cavendum est tamen, ne existimemus nihil cum hoc fine consistere quod intellectus noster non capit quo modo illi inserviat: scimus enim animi nostri imbecillitatem ad tanti finis comprehensionem non sufficere, nec assequi

ſequi poſſe infinitam mediorum varietatem, quæ ad illius procurationem à Deo adaptari poſſint, multáque poſthæc addiſcemus his de rebus quæ adhuc nos latent. *Sic ſcilicet* notum eſt nobis generaliter omnes animalis partes ad ipſius utilitatem inſervire, quanquam multarum partium, ut Lienis, Cerebri, *&c.* uſum minutim & per omnia nondum intelligamus. Interim quoniam perfectio tam intellectus divini quàm voluntatis ejus judicium comprobantis ipſi Deo eſt intrinſeca, manifeſtum eſt ejus dominium hoc modo explicatum, non aliunde acceptum intelligi, nec minùs æternum eſſe quàm ſunt illæ perfectiones, è quibus à nobis diſcitur & demonſtratur, potiùs quàm propriè derivatur. Verùm ita omnino intelligenda eſt quæſtio de Origine Dominii Divini, nam cauſam propriè dictam juris æterni nemo ſanus quæſiverit.

Ignoſcat autem Lector huic digreſſioni quam non ſine cauſa fecimus, quoniam viſum eſt fere neceſſarium aliquid ſuggerere unde conſtet Deo competere jus Leges hominibus ferendi quas hoc in opere inveſtigamus, quódque ſanius eſſet quàm quæ propoſuit Hobbius, ubi potentiam Dei irreſiſtibilem contendit illi (& ſimiliter cuivis alteri) jus dare quidlibet agendi, ſine omni reſpectu ad Commune Bonum. Nos è contrario, quoniam in perfectione Naturæ Divinæ, quatenus rationalis eſt, neceſſariò includi oſtendimus curam ſummi illius finis per media naturaliter ſufficientia ac neceſſaria, fontem indicavimus è quo demonſtrari poteſt Juſtitiam univerſalem, omnémque adeò virtutem Moralem quæ in Rectore requiritur, in Deo præ cæteris refulgere, eâdem planè methodo quâ homines ad eas excolendas obligari in ſequentibus oſtendemus; Illud enim eſt quod hoc in tractatu explicare ſuſcepimus, ideoque controverſiis quæ de Jure Dei moveri poſſunt, ſtatuimus non immorari.

§. VIII. Reſumamus itaque conſiderationem Legis illius, quam paulò antè invenimus, quâ præcipitur ut ſingulis neceſſaria

cessaria saltem concedantur, & muniantur ab omni violatione: hoc est, ut ea ipsis saltem ad tempus quo necessaria sunt fiant propria, unde & Sua jura dicuntur. Oportuit autem eam generalibus ejusmodi quibus usi sumus verbis proponere, ut eadem regula obligare possit & dirigere homines tam in statu qui divisionem rerum, & officiorum mutuorum per consensum factam supponatur antecedere, quàm in statu qui ejusmodi divisionē sequeretur. In primo statu obligat illa ad limitatam tantùm occupationem, usumque rerum & auxiliorum humanorum, qualis scilicet cum aliorum commodis consistere possit: talis cogitari potest casus protoplastarum, si nihil de viri in fœminam potestate iis divinitùs revelatum supponatur: Atque in hoc statu multa cōtigisse supponantur, quæ manifestum omnibus facerent è re omnium futurum esse ut consentirent ad divisionem faciendam rerum & operarum mutuarum, qualia sint contentiones multorum ubi minùs manifestum esset quid cuique necessarium esset, atque aliquorum ignavia, communes agros colere negligentium, & his similia. In hujusmodi casibus leges de fine & de mediis necessariis applicatæ datis circumstantiis obligarent ad divisionem pleniorem dominiorum faciendam, eædemque illos & cæteros postea natos homines obligarent ad hanc divisionem summo fini commodè inservientem conservandam. Hāc ratione sua gradatim jura constituentur singulis hominibus, familiis, oppidis, populisque, eaque non solùm in res sed etiam in operas personarum; unde nascentur commercii & amicitiæ jura, nec non jura regiminis in familiis, & civitatibus, idque in rebus tam Sacris quam Civilibus.

§. IX. De facienda autem divisione non dicemus multa, quoniam eam jam factam omnes invenimus, atque ita quidem factam ut satis manifestum sit eam ad finem summum sufficere, tum ad honorem Deo deferendum, tum etiam ad homines universos beandos, nisi ipsi sibi desint. Paucis itaque tantùm dicam quòd sicubi divisio ulteriùs factu sit

necessaria,

necessaria, & oriatur dissensio inter eos quorum necessitas postulat ut ea fieret, manifestum est ad communem eorum fœlicitatem magis conducere, ut ea committeretur cujusvis prudentis arbitrio cujus non interest uni parti potiùs quàm alteri favere, quàm bellicis viribus, fraudibusve experiri, quid eveniet. Probabilius enim est quòd cujusvis ratio eum modum præscribet qui cum noti finis, Communis nempe Boni, assecutione convenit, quàm quòd à cæco belli impetu alteruter in eum scopum incideret in quem neuter collimat. Supponimus enim cum Hobbio in ejusmodi bello utrumque suam solùm salutem è victoria quærere. Quòd si casus aliquis contingat in quo dissentientes de nullo inter tot homines arbitro inter se convenire possint, dictabit ratio sorti potiùs quàm bello divisionem, aut totius rei dominium, si dividi non possit, tradendam esse; Quoniam in bello utraque pars perire potest, adeoque fine sperato excidere, quod contingere nequit si sorti res committatur: Quod obiter monendum censui, ut causam videremus cur acquiescendum sit in modis quibusdam res & officia distribuendi, qui sortis naturam magis quàm rationalis electionis sapiunt, quales sunt, præter sortitionem, primogenitura, & prior occupatio.

Verùm eadem ratio & Lex naturæ quæ, ad promovendam communem fœlicitatem, jubet divisa in res & personas dominia constituere, jubet etiam evidentiùs ea (postquam jam constituta sunt, & experientiâ comprobata ad hunc finem sufficere) inviolata servare. Manifestum autem est eam divisionem dominiorum quam reperimus à majoribus factam, & consensu, aut permissu omnium Gentium, Civitatumque stabilitam suffecisse ad singulorum, qui nunc sunt, procreationem, & conservationem, & ad assecutionem tantæ fœlicitatis quantam videmus humanum genus nunc possidere: atque insuper, ejus virtute ea dari inter homines commercia, easque mutui auxilii opportunitates

nitates è quibus ad majores fœlicitatis gradus tam in hac vita quàm in futura, omnes possint assurgere. Manifestum præterea est fœlicitatem hanc quâ ex hac divisione fruimur, & quam exinde cum summa ratione expectamus, majorem esse quàm prudens quispiam sperare possit se assecuturum esse violando, & evertendo omnia divina humanaque jura quæ nunc stabilita reperimus, & conando introducere novam dominiorum omnium divisionem, quæ cujusvis judicio aut affectibus magis arrideret. Notissimum enim est hoc opus esse majus quàm ut possit intelligi à quovis homine, aut hominum cœtu, atque etiam facile est providere tam diversas fore tot hominum hac de re sententias, ut bellis & miseriis omnia statim complerentur. Quapropter injustum est (quia huic legi cum bono publico conjunctissimæ adversatur) innovandi studium, in rebus ad dominium pertinentibus. Ideoq; non tantùm cum Grotio exosculor illud ὅπερ ἐδέξατό τις σχῆμα τῆς πόλεως, τοῦτο δίκαιον συνδιασώζειν: verùm etiam quod ille de unica cujusvis civitate pronunciavit, ampliandum censeo ad amplissimam omnium Rationalium Societatem (quam Civitatem Dei dixerim) & non limitandum esse tantùm ad Politiæ formam in qua divisio præcipuorum officiorum continetur, sed extendendum ad omnium omnino rerum divisionem: atque in hac latitudine asserendum censeo, justum esse ut antiqua divisio dominiorum in Res & Personas, tam intra populos diversos, quam in singulis Civitatibus inviolata conservetur. Illam enim & experientia comprobavit ad finem optimum idoneam esse, & nullæ cogitari possunt leges Naturales quæ, salvo hôc fine, divisionem ejusmodi antiquitùs fieri prohiberent; eáque ideo nemini esse potuit injuria. Sed eadem ratio quæ pridem homines obligavit ad divisionem introducendam, propter necessarium verè judicantium consensum, obligabit eorum successores ad eandem comprobandam & stabiliendam. Fatemur equidem varias vitæ actionúmque humanarum vicissitudines neces-

sariò

satiò efficere, ut multiplices contingant jurium antiquitùs stabilitorum translationes, multáque etiam de novo circa illa constituantur; verum quoniam omnes jurium translationes, novæque constitutiones fiunt per eorum voluntatem quibus jura hæc saltem mediatè olim fuerint concessa, antiqua jurium divisio conservatur, hoc ipso, quòd observatur eorum voluntas. Nam primæ divisionis auctores intelliguntur voluisse conferre potestatem ea jura transferendi, multáque de novo constituendi, tum ipsis primis possessoribus, tum etiam eorum successoribus. Nam in dominio continetur Potestas de re aut opera nostra disponendi; Pactum autem consistit in consensu duorum de tali aliqua dispositione, ideoque Pactum eâdem lege validum fit quâ rata fit cuique Potestas de re aut operâ suâ disponendi. Quoniam autem hæc potestas seu ipsum dominium cuique datum, est tantùm in ordine ad Bonum Commune, sequitur nec Pactum ullum (cujus vis tota inde fluit) quemquam obligare posse ad ea, quæ manifestò huic fini repugnant, seu quæ lege naturali sunt illicita; ideoque ex eodem fonte & vis, & limites pactorum derivantur.

§. X. Stabilito tandem in Res & Personas dominio, è generali admodum Lege Naturali, datur jam singulis unde possint de suo aliquid aliis donare, aut promittere absolutè, aut etiam cum aliis pacisci sub conditione ab iis præstanda, quæ supponuntur antequam locus sit fidei servandæ. Nam hoc ipso quòd donatio libera eam ob causam valida est, propter quam constituitur dominium, in quo potestas donandi continetur, nempe propter Commune rationalium omnium bonum, eorum autem præsertim quibus hæc Potestas in quovis casu particulari conceditur, manifestum est Deum, omnésq; ipsi subordinatos dominii auctores, semper velle homines in hunc finem consentire in omnibus donis conferendis & recipiendis, sine quo talibus actionibus nullus à Lege Naturæ daretur locus. Quapropter qui beneficium accipit, intelligitur ipso facto convenisse, se velle donationem

nationem illam unde beneficium habet sub ea lege ac conditione valere, ut communitati melius sit, illi præsertim cujus à potestate beneficium provenit. Consensus autem hic in se includit tacitum quoddam Pactum vices rependendi, prout occasio tulerit, in quo Gratitudinis vires omnes sese explicant: atque insuper consensus ejusmodi est tantùm approbatio Legis universalissimæ de prosecutione Boni Communis, & de constitutione dominii eum in finem: ideoque Gratitudo hinc satis evidenter mandatur. Hinc etiam quòd quispiam alteri de suo largitur fit ut debeatur gratitudo, atque ut possimus agnoscere eorum benevolentiam, qui ultra id quod nostrum est in nos contulerunt. Porrò autem è mensura eorum quæ nostra sunt per respectum ad bonum publicum determinatâ (ut ostendimus) sumuntur limites honestæ φιλαυτίας, seu curæ nostrûm ipsorum: semper enim dum nobis consulimus, abstinendum est ab invasione alieni, curandúmque ut publico inserviamus. Limitata autem hæc φιλαυτία in Temperantia, Frugalitate & Modestia præcipuè se explicat. Denique eadem Lex Naturalis quæ dominia distribuit, eadémque justitia seu voluntas jura sic cuique data conservandi, quæ aliis prospicit & nobismet-ipsis, uti ostendimus, dirigit insuper, limitatque affectum illum parentum erga suos liberos qui στοργὴ dicitur, & communi bono præ cæteris utilissimus est. Sunt enim liberi mistum quiddam è nobismet-ipsis & aliis; ideoque necesse est ut virtus, quâ determinamur ad nostri & aliorum curam, peculiari ratione spectet eos in quibus nos cum aliis conjungimur & commiscemur, & utraque pars objecti hujus virtutis conjungitur. Atque hinc tam sedula est in omni Republica posteritatis cura, in Legibus de successionibus in bona & sæpe in officia defunctorum. Ex hoc autem articulo facilè cuivis patet & Beneficentiam erga alios, Pactorum vim ac fidem, Gratitudinem, Temperantiam, Frugalitatem & Modestiam, στοργὴν non posse plenè explicari, nisi priùs tradatur, aut supponatur jurium divisio

quâ

quâ nostrum ab alieno distinguitur; & præterea elucescit eandem Legem universalem, quâ hæc divisio fit & conservatur, ad harum omnium virtutum exercitium homines obligare, atque ad omnes reliquas quæ aut in his continentur, aut exinde prosеminantur.

§. VI. Denique omnes particulares morum Regulæ, seu Leges, tam quibus populorum diversorum jura ab invasione aliorum muniuntur, quàm quibus summorum imperiorum auctoritas fundatur, ac conservatur à seditionibus res novas molientium, & subditorum jura à potentiorum vi defenduntur, ex eodem præcepto de distribuendis dominiis, cum respectu ad Commune Bonum, derivantur. Dixi autem in hoc præcepto auctoritatem Civilem fundari, quoniam manifestum est regiminis Civilis cõstitutionem longè efficacius esse medium ad communem humani generis fœlicitatem pacemq; tuendam, quàm æqualis divisio rerum, quæ cum dominio civili non consistit. Hobbius tamen æqualem hujusmodi distributionem rerum, juriumque omnium Lege Naturali præcipi contendit, & in hac æquitatem naturalem voluit consistere, vocabulorum scilicet similitudine ductus; uti illum decuit qui ratiocinationem omnem à verbis pendere frequenter inculcat. Hanc autem doctrinam de æquali jurium distributione guttatim instillat, *Lib. de Civ. cap.* à *sect.* 13. ad 19. Non tamen libet iis refutandis immorari, quoniam & nihil habent quod prudentem fallere possit, & præterea id cui cætera omnia innituntur, nempe necessarium esse ad pacem consequendam ut pro æqualibus habeantur omnes homines, *artic.* 13. ipsi Hobbio non videtur idoneum medium ad eundem finem, nempe pacem & securitatem acquirendam, sed potestatis coercivæ constitutionem requirit quæ ejusmodi æqualitatem statim absorbebit, ut patet ex ejus *capite* 50. Perniciosum nihilominus est docuisse distributionem æqualem Legibus Naturalibus prҿcipi, quoniam ipso fatente illæ sunt prorsus immutabiles *cap.* 3. §. 29. ideoque ex illius prin-

cipiis inæqualis distributio dominiorum, etsi necessaria sit prorsus ad constitutionem Monarchiæ, nunquam esse poterit licita, quia erit Legi Naturali contraria.

§. XII. Id potiùs hîc annotandum est, distributionem omnigenorum dominiorum à nobis deductam esse è Lege quæ Civitatis nullius constitutionem supponit, adeoque non pendet à voluntate Magistratus Civilis, unde apta est dirigendis actionibus Civitatum diversarum, & limitibus assignandis qui ne à principibus quidem sunt perrumpendi. Quoniam autem tali tantùm Lege necessaria ad singulorum fœlicitatem contra omnium omnino hominũ invasionem muniuntur, sequitur tali tantùm Lege pacem inter omnes posse stabiliri, & eam re ipsâ stabilitam fore quantum fieri potest virtute Legis, & potestatis seu juris hominibus inde concessi, nec majus quicquam quærendum. E contrario autem si dominiorum limites è sola voluntate eorum qui summâ rerũ potiuntur in qualibet Civitate figantur, & refigantur pro libitu, nullaque sit regula à natura finis optimi seu Boni Communis mediorúmque illuc naturaliter tendentium determinata cui parere tenentur illorum voluntates in actibus externis (quod ubique docet Hobbius,) nihil est quod Legis vigorem habet quo civitates omnes à perpetuis inter se bellis coerceat; nulla Lex Civitatum rectores ad quærendum bonum publicum subditorum, & ad conservanda ipsis sua jura in actibus externis obligabit; ipsorum enim voluntas, quam solam Legem is agnoscit, in contrariam partem ferri potest. Nulla insuper Lex factionem satis potentem ad evertendam Civitatem prohibebit à læsæ Majestatis crimine. Hoc enim ipso quòd ponitur factio Civitate potentior, nulla restat in Civitate potentia coerciva quâ vel obedientes tueatur vel rebelles puniat; ideoque juxta principia Hobbiana non datur securitas necessariò requisita ut Leges naturales, *v. g.* de servanda fide, obligent ad externos actus, ideoque hæc Lex non obligabit, sed licebit Civitatem pactis constitutam dissol-

dissolvere: adeoque quælibet Civitas in plures comminui poterit in infinitum, idque licitè per Hobbianam doctrinam, quoniam non violabitur ulla Lex eo in casu obligans; scilicet nec Lex Naturæ, quia illa propter defectum securitatis eo in casu non obligabit ad actus externos, juxta ejus *cap*.3.§.27. nec lex Civilis, quia illæ rebellione aut crimine læsæ Majestatis non violantur juxta illius dicta *cap*. 14. §.21.

§. XIII. Lex autem illa universalis justitiæ quam proposuimus, hoc ipso quòd in respectu ad Cōmune Bonum generale ponit fundamentum dominii divini & humani in res & personas, Regimen omne naturaliter constitutum (quale est Dei in omnes creaturas, & Parentum in suam sobolem) docet agnoscere ac tueri; Atque hoc inprimis medio succurrit humanæ naturæ necessitatibus, & secundùm hæc exemplaria commodissimas politiæ formas, sicubi desint, constituendas esse monet, ac pacem cum iis colere qui non sunt sub eodem regimine. Ideoque hinc fit ut & auctoritas Legum Divinarum concedatur dictatis Rationis multa generaliter circa bonum universi clarè præcipientibus naturaliter, id est à voluntate Primæ Causæ naturam rerum constituentis: & ut locus amplissimus relinquatur Legibus (uti appellant) positivis, quas specialiùs in datis circumstantiis dirigentes, aut Revelatio Divina, aut auctoritas humana in eundem finem superaddit. Quin etiam generales illæ Leges Naturales de cura Boni Publici, & de constitutione & conservatione Dominii postulant, ut & Deus & homines videant, ut, si quando Legem ullam positivam ferre velint, evidentia satis dent indicia voluntatis suæ de novæ Legis sanctione; hæc enim ad illius promulgationem sunt necessaria, sine qua nemo potest obligari. Hinc necesse est ut si Deus per Revelationem quicquam velit imperare, manifestum priùs fiat illud imperium cum ejus Legibus immutabilibus naturâ notis per omnia consistere. Certum enim est divinam rationem sibimet non posse contradicere; atque

quæ juribus præcipitur ejusmodi voluntas, seu animi propensio, ita virtutes omnes particulares ideo nobis inesse debent, seu ideo obligamur ad eas, quia à particulari aliqua lege Naturæ, quæ in universali illa quam diximus continetur, imperantur. Suâ quidem naturâ, si nulla foret Lex, bonæ sunt, quia ad Bonum universi statum faciunt: Sed obligatio Moralis, &, inde nata debiti natura sine respectu ad Legem saltem Naturalem intelligi non potest. Quin etiam ipse honos, à quo actus suâ naturâ boni *honestatis* titulo insigniuntur, seu *honesti* dicuntur, inde totus videtur provenire, quòd illi Lege Naturaliter patefactâ summi Rectoris laudantur, præmiisque maximis (inter quæ censenda est Bonorum laus consentiens) cohonestantur. Rectè tamen illi dicuntur naturaliter liciti, & honesti, quoniam lex illa quâ tales fiunt non pendet ab arbitrio potestatis Civilis, sed ex ipsis rerum naturis modo antea explicato necessariò nascitur, estque naturâ non mutatâ prorsus immutabilis.

§. II. Leges autem speciales Virtutum Moralium hâc ratione ex universalis justitiæ Lege deduci possunt. Datâ lege singulorum jura constituente, ac conservante unicè propter Commune omnium Bonum à singulis promovendum, ad hæc duo tenebuntur singuli in ordine ad hunc finem: (1) ad tribuendum aliis talem portionem eorum quæ ipsorum fidei committuntur, quæ partem sibimet-ipsis eundem ob finem necessariam non absorbeat: (2) ad reservandum sibimet-ipsis eum suorum usum, quo aliis etiam plurimùm prosint, aut qui cum aliorum Bono saltem consistat.

Ad harum Legum explicationem observandam venit, (1) quòd alii & nos ipsi sunt termini totum systema Rationalium in cujuslibet animo dividentes; quique ad Deum atque ad homines indifferenter referantur: unde & illius honos in consideratione Boni Communis ab hominibus erit spectandus; & ipse erga alios Rationales secúdùm regu-

las virtutum moralium agere ex analogia facillima possit intelligi. Lex autem prior quæ propter Bonum Commune alios spectare jubet, *Liberalitatem* præcipit, & virtutes illas quæ stricto sensu *homiletica* dicuntur (lato enim sensu omnis pars justitiæ universalis conservationem cum aliis juvat, adeoque *homiletica* dicatur:) posterior autem Lex *Temperantiam* imperat & *Modestiam* circa ea quæ nobis ipsis ita reservanda sunt ut nos interim toti publicis utilitatibus inserviamus, Deo scilicet, humano generi, & patriæ ac familiæ nostræ peculiari modo. In utraque autem utrumque membrum divisionis, id est totum cujus nos & alii partes sumus, in considerationem venit, adeoque singulæ virtutes publico bono præ cujusvis privato prospiciunt, licèt harum aliæ unam totius partem respicere dicantur immediatiùs quàm aliam. Hanc ob causam videantur fortè hæ justitiæ partes, adeoque speciales omnes virtutes, non satìs à se invicem distingui sed confundi. Verùm qui diligentiùs rem perpenderit, videbit mutuam tantùm earum inter se connexionem naturalem, & reciproca quæ ipsæ sibi invicem ac communi fœlicitati afferunt auxilia, vix aliter commodiùs posse exprimi. Ideoque virtutes hæ à nemine dici debent confundi, nisi qui Naturam ipsam confusionis insimularet; quoniam iisdem motibus sanguinis, & iisdem arteriis ac venis totius corporis valetudini prospicit, & unius partis speciatim. Sic, exempli gratia, Natura Animalis colatione sanguinis per vasa hepatis hæc duo præstat: (1) aliis omnibus partibus sanguinem idoneum præparat (qui aliter icterum induceret) hepatis nutriendi non obliviscens: (2) hepati nutrimentum affert, aliarum simul partium non oblita. Sic munus hepatis publicum cum privato naturaliter quidem complicatur, at non confunditur. Seorsim hæc duo intelligi possunt, & iis sic consideratis nonnulla propria possunt attribui; atque hoc sufficit ad negandam confusionem. Hæc tamen duo à se invicem re ipsâ separari non possunt in statu valetudinis, seu dum na-

tura

tura manet imperturbata. Sic nec salvâ Justitiâ aut Bono publico, subordinatæ illæ virtutes à se invicem realiter divelli possunt; nulla tamen est confusio dum singulæ seorsim considerari possint, per respectum ad partes quibus immediatè prospiciunt, licèt ultimò totius fœlicitati inserviant. Idem est utriusque legis, adeoque omnium virtutum in iis imperatarum finis ac effectus ultimus; proximi autem quos spectant fines, & effectus quos assequuntur, non minùs sunt varii quàm variæ sunt partes systematis Rationalium agentium, quibus singulis in ordine ad totius statum optimum consulere licèt.

§. III. Hinc autem intelligere licet, quam ob causam (non admodum explicitè) hominum animis semper obversatur Commune Bonum, etiam cùm secundùm virtutis normam agunt; Partem scilicet ejus aliquam immediatè prosequuntur, sed quam aliunde probè nôrunt cum cæteris ejus partibus fœliciter cōgruere, & ad totius hujus constitutionem requiri. In omni autem actu secundùm virtutem multa sunt quæ evincunt Communis Boni curam nunquam seponi. In iis enim semper curatur ut unusquisque se intra fines suorum jurium contineat, ac ut aliena non invadat. Limitata autem hujusmodi jura spectari nequeunt, sine aliquo respectu ad aliorum jura, adeoque ad aliorum omnium Bonum, propter quod singulorum dominia sunt limitata. Civitates omnes earumque fundatores explicitè respiciunt & agnoscunt divisionem generalem Dominiorum, quâ Deo quædam tribuuntur velut sacra, aliisque Gentibus sui assignantur limites, hoc ipso quòd ditionis suæ terminos agnoscunt, Religionem exercent, cum aliis Civitatibus ineunt fœdera & commercia. Privati autem hoc ipso quòd se suæ civitatis legibus subjiciunt, ac intra earum fines se continent, dum virtutibus operam navant, necessariò hactenus cum sua Civitate cæterisque consentiunt de generali illa Dominiorum divisione velut necessariâ ad universi Bonum. Denique quoniam in singulis virtutibus pa-

ratus habetur animus ad jura sua tribuenda Deo hominibusq; omnibus, nempe tum aliarum Civitatum, tum concivibus nostris, eâdemque familiâ sociatis, idque hoc semper ordine ut primas partes teneant jura Dei, secundas eas quæ pluribus Gentibus communia sunt, tertias Civilia, & sequantur minorum Societatum vincula, qualia sunt Municipia, Collegia, Familiæ; hinc facilè infertur præcipuum finem earum esse Commune totius Systematis Rationalium Bonum: quippe hoc re ipsâ non distinguitur à Bono partium illarum in eo inter se ordine consideratarum, iisq; societatis vinculis inter se unitarum. Ex hoc fine, ejusque partibus ordine jam insinuato spectatis sumenda est mensura actuum, & affectuum omnium, ita ut illi excessu aut defectu peccare meritò dicantur, si quando plus vel minus ulli parti tribuerint quàm totius Bonum hoc modo conservandum patiatur. Hâc ratione è certis notisque regulis, nempe Legibus quæ jura Dei, Gentium, Civitatis cujusque propriæ, partiumque singularum minorum Societatum determinant, certus modus actionum facilè inveniri potest, ut extra dubium sit eos omnes actus intra mediocritatem consistere, qui nullam ex his Legibus violent; certum etiam omnem actum inde discedere seu vitiosum esse qui aliquam harum Legum violet. Supponimus autem Leges has intra se consentire ita ut minorum Societatum jura cum juribus Superiorum per omnia consistant. Nempe in familiis nihil imperari jure posse quod adversetur Legibus Civitatis, cujus eæ partes sunt. In Civitatibus nihil juberi contrarium Legibus omnes Gentes obligantibus, (quales sunt de dividendis dominiis, seu proprietatibus non violandis, de fide servanda &c.) In his nihil adversari Dominio Dei in suas creaturas. Tota enim obligandi vis quæ inferioribus Legibus inest, ab illa Superiorum derivatur; ideoque eâ penitùs caret quicquid prioribus illis Legibus repugnat. Inferior enim Potestas superioris Legem nequit abrogare, quanquàm libertatem à superioris lege relictam multis modis

dis limitare possit; quoniam potestas ulteriùs determinandi in casibus à superiore non determinatis cum subordinatione optimè consistit, immò & præcipua est ratio ob quam subordinati Rectores constituuntur.

§. IV. Explicata jam mensurâ mediocritatis quæ in Virtutibus Moralibus requiri solet, facile est ipsas sigillatim describere, quoniam earum essentia cõsistit in propensione voluntatis ad obsequium præstandum Legibus è generali Lege Justitiæ deductis. Consideremus itaque duas illas Leges quas è Lege dominica propter Bonum Commune constituente derivari paulò antè indicavimus. Earum prior hunc in finem jubet ita aliis nostra communicare, ut interim nobis reservemus id quo nostram fœlicitatem prosequamur. Satis intelligitur hoc imperari, quoniam manifestò necessarium est ad Communem fœlicitatem, sine qua ineptum est privatam nostram sperare, uti antehac latè deductum est. Hâc Lege continentur tum monitum de donationibus, in quibus retributio vel nulla expectatur, vel tota relinquitur voluntati & opportunitatibus illius qui beneficium accipit; tum etiam præceptum de illa benevolentia, minore quidem sed utilissimâ, quæ in omnigenis conventionibus, pactis & commerciis exercetur, in quibus aliquid aut pollicemur, aut præstamus aliis sub conditione ab illis implendâ. Impertiamus autem aliis vel res nostras, vel operam, vel utrumque. Voluntas huic Legi obsequendi spectatur vel in operibus beneficis, quæ ejus effecta sunt propria, adeoque signa naturalia; vel in ejus signis voluntariis. Ad caput prius pertinet Liberalitas; ad posterius homileticæ virtutes.

§. V. Liberalitas itaque est justitia in operibus conspicua, aliis nostra gratìs impertiens. Placuit autem justitiam loco generis ponere, ne cogerer pluribus verbis voluntatem Legi Naturæ obsequendi exprimere; atque ut eodem verbo ejus necessitatem, veramque mensuram à Lege sumendam indicarem. Justitiæ enim omnis pars ad Legem

exigenda est, immò & omnis Lex cui agens subest consideranda est, nempe Dei tam naturalis lex quàm positiva, leges Gentium, & Civiles, & Municipales, atque minorum Societatum, antequam actio pronunciari possit justa seu virtutis naturæ congrua. In his enim omnibus finis optimus ejusque partes singulæ spectantur; nempe Dei honos, Civitatum diversarum pax & commercia inter se, propria singularum politia, minorum societatum ac familiarum opulentia & securitas: & vetatur omnis excessus ac defectus in donationibus liberis quo quicquam horum labefactetur; præcipitur autem ejusmodi rerum, operarumque erogatio libera, quæ singulis partibus hujusce finis suo ordine stabiliendis & ampliandis inserviat.

Quoniam autem impossibile est erogationem liberalem tueri nisi accedat honestum acquirendi, & quæsita conservandi studium, jubetur hoc etiam præceptis monitisque deductis à consideratione ejusdem finis ejusque partium singularum eodem ordine consideratarum; adeoque eadem liberalitas quæ primariò rectè erogandi voluntatem denotat, secundariò saltem connotat voluntatem ejusmodi præceptis obsequentem in acquirendo & conservando: illa dicitur *Providentia*, & opponitur tum *Rapacitati*, tum *improvidæ Negligentiæ*: hæc autem *Frugalitas* aut *Parsimonia*; quæ opponitur hinc *Sordidæ* Euclionum *parcitati*, illinc *τρυφῇ σπατάλῃ*. Sic scilicet Justitia in acquirendo, & in conservando sint definitiones Providētiæ hujusce & Frugalitatis, eędemque justitiæ in erogando analogæ sunt, iique ministrant.

Pro varietate autem objectorum in quæ præcipitur erogatio, variis nominibus insignitur Liberalitas: Nam si illa se exerat in rebus quæ publicis usibus insigniter deserviunt, *Generositas* dicitur, cui opponitur hinc ambitiosorum profusio, illinc sordidorum homunculorum abjectus animus, Erga miseros *Misericordia* appellatur, & speciatim erga pauperes *Eleemosynarum donatio*. Erga peregrinos *Hospitalitas* dicitur, præsertim si domo excipiantur. In his autem omnibus

bus beneficentiæ mensura desumitur ex eo quod maximè ad varias summi finis partes, scilicet ad Pietatem quâ Societas quædam inter Deum & homines continetur, ad mutua auxilia, fidem & commercia inter varias Civitates, ad Concordiam reliquaque officia partium ejusdem Civitatis, & ad florentissimum statum minorum Societatum ac familiarum, qui salvis prioribus obtineri potest. Hoc autẽ visum est distinctiùs inculcare in determinanda hujus primæ specialis virtutis mediocritate, ut non esset opus plura adjicere ad indicandam rationem quâ sequentium virtutum vera mensura certissimè investigetur.

§. VI. Transeamus jam ad homileticas virtutes quæ in obsequio eidem huic Legi præstito consistunt. Universaliter autem eas sic definio. Virtus homiletica est justitia aliis benefaciens per signorum voluntariorum usum Communi Bono opportunum.

Finis expressam mentionem feci in definitione non propter necessitatem, quia respectus ad illum in justitiæ generali notione includitur quippe illa tota eò collimat, sed propter perspicuitatem.

Signorum autem *arbitrariorum* nomine intelligo, præcipuè quidem Sermonem, verùm etiam præterea respicio ad corporis gestum, & habitum, nec non ad omnes vultûs motus qui animi indicium voluntarium significant. In his omnibus verum modum servant *Gravitas*, & *Comitas*. In sermonibus autem speciatim intra optimos limites nos coercent *Tranquillitas*, *Veracitas*, quæ in promissis *Fidelitas* dicatur, & *Urbanitas*: de quibus sigillatim pauca dicemus.

Gravitatem & Comitatem meliùs explicare nequeo quàm considerando quòd in actibus omnigenis justitiæ erga alios requiruntur vera agentium Prudentia, & Benevolentia amplissima, uti antea ostendimus. Conversatio autem hominis in qua omnimoda cõspiciuntur justæ Prudentiæ signa, *Gravis* dicitur. Ea autem in qua eximiæ Benevolentiæ signa omnia relucent, *Comis* est. Quapropter *Gravitatem* definirem

finirem virtutẽ homileticam quæ Prudentiæ signis idoneis conspicua est. *Comitatem* verò virtutem homileticam eximiæ benignitatis indiciis insignem. Facilè autem hæc duo inter se conveniunt, utì Prudentia & Benignitas vera, quatum indicia proferunt. Hinc eorum opposita facilè intelliguntur: nempe Gravitati repugnant, hinc affectata quædam *Severitas* morum & rigor, cùm quis aut pluribus hujusmodi signis utitur quàm finis natura postulat, aut iis quæ vel honori divino, vel hominum fœlicitati (quæ partes illius sunt) commodè non inserviunt, aut ubi quisquam dum signa studiosè sectatur, rem ipsam negligit: illinc autem eidem repugnat *Levitas*, quàm è contrariæ virtutis vitiique descriptione facilè intellegit lector. Pari ratione *Comitati*, ac morum benignæ elegantiæ opponuntur illinc *Assentatio*, seu adulatoriæ Gnathonis artes, illinc *Morositas*. Verùm quoniam Sermo Mentis interpres est præcipuus, & humano generi proprius, ideoque Lex Naturæ de prudenti benevolentia erga alios opportunè significanda specialiùs & distinctiùs verbis nostris modum præscribit, eumque variæ virtutes diligenter observant. Inprimis enim præcipitur ut aliquando à sermone abstineamus, quoties nempe aut Reverentia erga Deum, aut alios nobis superiores id postulat; aut ne arcana imperii Civilis, aut amicorum, aut familiæ, aut quæ nos ipsos spectant, revelentur in ullius detrimẽtum, dum salvo Communi Bono fœliciùs celari possent; hujusmodi Legibus obsequitur *Taciturnitas*, quæ est virtus homiletica silentium agens communi Bono opportunum. Huic in excessu opponitur tempestiva sermonis parcitas, quæ communicationi scientiæ, præcipuisque societatis humanæ beneficiis mirum in modum officit. Deinde verò eâdem lege præcipitur ad Bonum commune opportunè alios alloqueremur; non autem occurrit unius virtutis nomen quod observantiam huic Legi præstandam adæquatè uno verbo exprimat: *Prudens* fortasse illa dici possit *παρρησία*, seu loquendi libertas justa debitaq; & consistit in animi

mi promptitudine ad ea omnia verbis exprimenda quæ ratio dictat cõmunitati rationalium ullatenus profutura. Verba autem de quibus hæc lex præcipit vel respiciunt præterita ac præsentia, de quibus hunc in finem jubet ita rem enunciare uti illa se habet, quatenus nobis compertum est, atque hoc præstat *veracitas*; vel respiciunt futura à nobis facienda, de quibus præcipit ut ea promittamus aliis quæ in communem cedant utilitatem; idque vel absque conditione, vel sub conditione, prout finis optimi natura postulaverit. E promissis autem de quibus inter plures convenit fit conventio, contractus aut pactum, atque hinc omne fere commercium inter rationales. Non occurrit tamen speciale aliquod nomen virtutis quæ ad faciendas promissiones hujusmodi ac contractus bono publico utilissimos rationales determinet, at virtus illa quæ promissa ac pacta ejusmodi servet, *Fidei* aut *Fidelitatis* nomine ubique celebratur. Ejusdem interim est animi & virtutis pacta talia inire velle, & inita observare: Nec licitum quidem est pacta observare, nisi talia sint quæ per leges naturæ salvo communi Bono, seu licitè fieri possent. Tantumque abest ut justitia omnis (quæ propriè consistit in Legum observantia) resolvi possit in fidem pactis præstandam, ut è contrà antea quàm sciri possit an pactum aliquod implendum sit, certum esse debet illud pactum Legum Naturalium jussu aut saltem permissu initum esse. Denique summa Benevolentia in sermonibus nostris non exprimitur, nisi jucundum quiddam iis opportunè, pro cujusque facultate, admisceatur; quod præstat *urbanitas*. Huic autem virtuti ab omnibus maximi finis partibus limites iidem figuntur, qui cæteris. Cautum enim est universaliter ut nihil, ne per jocum quidem, dicatur quod Dei honorem aut humani generis fœlicitatem minuat; atque hoc fiet si nec Religionis Leges, nec jura Gentium, nec Civilia, nec minorum Societatum, ac familiarum, aut singulorum hominũ, turpi & procaci dicacitate omnibus contemnendâ & deridendâ

pro-

propinentur. Illi autem qui dum jocos sectantur in has Leges impingunt, *Scurrilitatis* meritò insimulantur. Illi autem qui sermonis *Festivitatem* innocuam aut in suâ conversatione prorsus negligunt, aut in aliena condemnant, in *Rusticitatem* incidunt. Sufficiat autem hæc dixisse de prima Lege speciali, è justitiæ Lege universali derivatâ, ac de ejus ramulis diversis, unà cum virtutibus quę iis sunt conformes.

§. VII. Secunda autem Lex specialis virtutum Moralium sic derivatur ex universalis justitiæ lege. Datâ lege (justitiæ universalis) singulorum jura constituente ac conservante, unicè propter Commune omnium Bonum à singulis promovendum, tenentur singuli secundò sibimet-ipsis in Bonorum suorum usu ita consulere ut aliis etiam universis plurimùm inserviant, aut illorum saltem Communi bono nihil detrahant. Hæc autem verba eandem habent sententiam cum iis quæ scripta sunt paulò antè, ubi duas Leges speciales è justitiæ Lege generali deduximus. Huic Legi obsequium præstat limitatus ille erga nosmet-ipsos amor, qui intra illos limites se continet quos unversalis justitiæ Lex, Deo, hominibusque aliis omnibus sua jura tribuens, præscribit. Quoniam autem limitata hæc φιλαυτία in hâc lege naturali imperatur, idque in ordine ad finem nobilissimum, non potest non esse justa & honesta. Immò verò quemadmodum ostendimus singulis quædam jura necessariò danda fuisse, ut omnibus bene esset; pari ratione colligendum est, necesse esse ut singulis imperetur constans rerum suarum usus in suam ipsorum Fœlicitatem, totius communitatis fœlicitati subordinatam; quoniam totius Fœlicitas è singularum partium fœlicitate constat; ideoque illius curâ imperatâ, hujus quoque curam in illa imperari necesse est; nec singulorum fœlicitas ab aliis procurari potest, si ipsi se ipsos negligant.

Quandoquidem autem singulorũ partes essentiales sunt Animus & Corpus; utriusque cultus idoneus ad Communis Boni procurationem; isque per media huic fini aptè

con-

congruentia (qualia sunt tantùm jura nostra in res & personas) imperari intelligitur. Non opus est autem quicquam de cultu animi specialiter hîc inculcare, quoniam tota Moralis Philosophia, eaque omnia quæ ipsi inserviunt, est ille cultus Mentis quo ipsa in hunc finem instituitur. Corporis autem nostri cura in ordine ad hunc finem imperatur in iis Moralis Philosophiæ præceptis, seu legibus, quorum observatio *Temperantiæ* nomine insignitur. Leges enim Morales de cibo, potu, somno, exercitiis & Venere hinc distinguuntur à præceptis Diæteticis de iisdem rebus quæ traduntur à Medicis, quòd ad finem superiorem in Moralibus dirigantur hæc omnia, quæ Medici ad singulorum valetudinem (qui finis Medicinæ est immediatus) facere contenti sunt indicâsse. Ego certè illum Temperantiâ, *i. e.* virtute præditum non dixerim, qui præcepta Diætetica universa diligentissimè observârit, si ad Leges communi Bono prospicientes, atque adeò ad earum finem nullatenus respexerit. Sufficiet tamen ad virtutem si in agentis animo generalis sit propensio ad ea facienda quæ Deo, & hominibus universim grata sunt, quæ ex habituali intentione hunc finem prosequendi oritur, adeoque ex assensu practicis ejusmodi propositionibus, legibusque olim dato. Tota enim vis habituum practicorum oritur ex assensu intellectûs practicis propositionibus olim dato, & in memoria adhuc permanente.

§. VII. *Temperantiæ* itaque Definitio sit hujusmodi; Est Justitia erga nosmet-ipsos in corporis cura bono Communi subordinatâ occupata. Si quis enim dum corpori suo indulget adeò mentis suæ oblivíscitur ut ejus facultates obruat, vel minuat, ut rebus sacris aut humanis, civilibus aut domesticis minùs aptus sit, intemperans erit, etsi id aliquando salvâ suâ valetudine ideoque salvis Medicorum Regulis Diæteticis fieri possit. *E. g.* Si quis jejunium Religiosum, quod salvâ sanitate vel observari possit, vel negligi, violârit, aut absque Valetudinis dispendio adeò lautè epuletur ut

rem

rem familiarem perdat, & tributis Reip. causâ solvendis impar sit, omnino intemperantiæ insimulandus erit. Quin etiam qui voluptates sectando suam labefactant valetudinem, nō sibi solùm, sed & amicis suis, suæq; civitati quadātenus obsunt; quatenus nempe valetudinis defectu minùs apti sunt omnibus demerendis. Hoc æstimare licet è certa proportione quam habet valetudo ad vitam. Leges autem Civiles (quæ de rebus majoris tantùm momenti sollicitæ sunt) judicare solent hominem qui sibimet-ipsi vitam eripit, non sibi solùm, sed & Reipublicæ noxium esse; illam enim cive spoliat, idque inter flagitia maxima meritò numeratur. Huic autem crimini contra bonum publicum commisso eatenus accedit omnis voluntaria valetudinis nostræ diminutio, quatenus vera valetudinis æstimatio ad æstimationem vitæ appropinquat, in ordine præcipuè ad munera publica, quorum functio aliqualis ab omnibus expectatur.

Res adhuc clarior evadet si speciatim consideremus, curam corporis nostri consistere in moderatione cupiditatum naturalium quæ spectant ad conservationem vel individui, vel speciei.

Ad Individui conservationem pertinet *Appetitio (1) Ciborum*, cui à fine prædicto, ejúsque omnibus partibus modum præscribit *Abstinentia*: cui opponuntur & nimia sui *Maceratio*, & *Ingluvies*. (2) *Potuum*, quorum desiderio limites ponit *Sobrietas*, cui *Ebrietas* opponitur. (3) *Somni*, cujus appetitioni præsidet *vigilantia*, quæ sibi oppositam excutit *somnolentiam*. (4) *Recreationum* seu *exercitiorum*, cui virtus mensuram statuens nomen proprium non habet (quantum nemini) nec vitia ei in defectu, aut excessu opposita. (5) *Ornamentorum* ad decorem externum in utensilibus, vestibus, & ædificiis pertinentium. In his modum observat *Mundities* & *Elegantia* singulorum conditioni proportionata; cum autem superat animus delicatus, & ab eo deficit *Sorditiæ* ac *Squalor*.

§. IX. Ad

§. IX. Ad speciei denique Conservationem pertinet *appetitus Veneris*, cui ab iisdem regulis terminos figit *Castitas*, quos perrumpit *Incontinentia*: illius autem varias species nimis sanè notas non opus est enumerare. Atque facile hinc perspicere licet, quâ ratione multis modis injurii simus aliis dum Genio nostro indulgemus; nempe, tum quatenus qui se ipsum lædit, vulnus infligit membro Familiæ, Civitatis, humani generis quod, dum sanum est, innumeris modis in aliorum cedit emolumentum; tum quatenus hinc sequitur neglectus aliquis pietatis, ac omnium severiorum studiorum, quibus prorsus inidoneus fit *intemperans*, unde detrimentum pariter totum systema Rationalium, quod hinc emolumentum jure possit postulare. Mitto quòd ex Intemperantia stimulatur animus ad aliena rapienda quo suis cupiditatibus satisfiat; quòd annonæ accendatur pretium in egenorum grave incommodum. *Quid non ebrietas designat?* &c. Publica autem incommoda quæ ex Incontinentia fluunt, & turpiora sunt quàm ut salvâ Verecundiâ enarrari possint, & magìs manifesta quàm ut ea dicere opus sit. Sufficiat dixisse in perpetratione scelerum hujus generis socium necessariò requiri, unde vitium intra unius pectoris claustra contineri nequit, sed ad plures dimanat; hinc familiæ & hæreditatum jura perturbantur; unde malum latens serpit, omnésque premit qui è læsa familia, aut hæreditate quicquam jure speraverant; atque adeò Civitates integræ in angustias hinc rediguntur, totiúsque generis humani conditio fit deterior.

Nec minùs manifestum est notas Civitatis leges tam in Cælibatu, quàm in Conjugio id agere ut non solùm castorum mentes ac corpora juventur, verùm etiam ut familiæ subinde novæ fundentur, veterésque conserventur, ut amicitiæ per affinitates è nuptiis ortæ latiùs spargantur; unde oritur arctior necessitudo, & societas inter partes ejusdem civitatis, atque etiam inter membra diversorum regnorum, totiúsque adeò generis humani.

Hanc opinor ob causam Ratio naturalis gentes plerasque omnes docuit, postquam auctum esset multarum familiarum numero genus humanum, & avitæ cognationis per originem ab iisdem primis parentibus tractam memoria penè esset extincta, conjugia prohibere inter personas quæ sanguine se mutuò proximè contingerent, ut amicitiæ, & necessitudines arctiores contraherentur inter familias à se invicem longiùs disjunctas, ubi nullam vim haberet cognatio ad eas sibi invicem conciliandas, *e. g.* Nuptiæ inter fratres & sorores dictatis rationis Communi hominum bono consulentis per latiorem sparsionem amicitiæ ex affinitate orituræ nunc prohibentur, quæ in mundi primordiis licitæ fuerunt; quia necessariæ ad ejusdem generis humani propagationem, atque ad ortum earum familiarum quas nunc (prohibendo ejusmodi nuptias ad latiùs spargendas amicitias) conservare conatur ratio.

Sic ejusdem Finis summa bonitas justum facit & illam libertatem in initio concedere, & eandem mutato rerum humanarum statu denegare.

Denique quoniam appetitus prolem conservandi, qui στοργὴ dicitur, est tantùm continuatio illius appetitûs quo animalia feruntur ad procurandam primam prolis suæ existentiam. Manifestum est στοργὴν à respectu ad eundem summum finem, ejúsque partes singulas, & excitandam esse & limitandam. Eatenus, scilicet, diligendos esse liberos, quatenus id conferat ad servandum Deo suum in terris honorem, ad gentium omnium, singularum civitatum, ac familiarum fœlicitatem. Manifestum interim est fœlicitatem totius generis humani quod præsenti sæculo succedet, à prolis educandæ cura dependere. Et quoniam proles nostra mistum quiddam est è nobis & aliis, patet ejus curam specimen exhibere virtutum tam ad nos, quàm ad alios relatarum.

§. X. Verùm ut rite quisque seipsum curet in ordine ad Commune Bonum, non spectandæ sunt tantùm partes è

qui-

quibus singuli constamus, Mens nempe & Corpus, de quibus hactenus egimus; sed consideranda sunt insuper media etiam remota, quorum ope utraque pars nostrî nonnihil juvari possit, quæ generali nomine apud Juris-Consultos *Bona nostra* dicuntur, & *jura* in res & personas, è quorum copia consistunt *Divitiæ* & *Honores* singulorum.

Eadem itaque Lex naturalis quæ voluntatem, omnésque adeò affectus nostros erga nosmet-ipsos limitat è respectu ad finem optimum, pari ratione à consideratione omnium partium illis finis affectus omnes limitabit circa acquisitionem, & conservationem divitiarum & honorum. Hæc enim ab omnibus non aliâ ratione quæruntur quàm ut media ad possidentium fœlicitatem, cujus mensuram non aliam à singulis expectandam esse ostendimus, quàm quæ Communi omnium fœlicitati subordinatur, aut cum ea saltem consistit. De limitata cura acquirendi, conservandíque divitias tanquam de medio ad Liberalitatem necessario obiter antè diximus; eadémque sufficiant ad limitandas cupiditates nostras circa eas ut media ad nostram fœlicitatem.

Restat itaque ut paucis moneamus Lectorem hâc lege omnibus illud imperatum esse, ut sibimet honores quærant eâ tantùm mensurâ, iisque mediis quæ non solùm consistunt cum corporis, animíque sui sanitate, sed etiam cum familiæ suæ cura (ne illam pessundemus honores aucupando) & cum Reipublicæ pace, ne seditionem quis moliatur ut seipsum evehat; cum cæterarum gentium tranquillitate, ne jura gentium violentur ad ampliandos titulos nostros; cum pietate denique in Deum, ne quis in majestatem divinam, aut in res & officia sacra involet, ut hinc nominis sui gloriam adaugeat. Voluntas his legibus conformis mediocritatem veram adepta est circa honores appetendos, & circa vitandam infamiam; ejúsque Virtus *Modestia* dicitur, quæ definiatur Justitia erga nosmet-ipsos in honorum cura, Bono communi subordinata, consistens. Eadem autem

vera *modestia* quatenus voluntatem deprimit ne sublimiora quærat quàm quæ cum hoc fine consistunt, *Humilitas* dicitur: quatenus autem animum elevat ad maximorum honorum appetitionem, quia in rectâ hujus finis prosecutione se offerunt, vera est *Magnanimitas.* Notum interim suppono ejusdem esse virtutis honorem quærere, ac conservare, & infamiam evitare, ac depellere. Ex his autem, oppositorum natura facilè æstimatur: *Humilitati* enim directè repugnat *Superbia*, quæ in ambitione, arrogantiâ, & inani gloriatione se se exerit. *Magnanimitati* autem pariter contrariatur *Pusillanimitas.*

§. XI. Percurrimus tandem singulas virtutes, & in iis singulis contineri vidimus respectum aliquem ad Bonum totius systematis Rationalium (quod Civitatem, vel regnum Dei latissimo sensu liceat appellare) sive illæ aliis prospiciant sive nobis ipsis; utrobique tamen id in fine semper agitur ut omnibus optimè consulatur. Mens autem hominis secundùm virtutem agentis Commune hoc bonum prosequitur ordine tam generico, quàm analytico. Priorem imitatur methodum privatus, dum incipiens à suis unius rebus ita curat ut constitutio, conservatio, aut exornatio familiæ suæ suadet, aut saltem patitur; familiæ interim suæ non aliter prospicit, quàm major civitatem conservandi cura permittit: Civitatis autem suæ eam tantùm habet rationem quam suadet, aut sinit gentium aliarum quarumcunque fœlicitas illibata, aut etiam promovenda: Genus humanum denique non aliter curat quàm ut salvus sit majestatis divinæ honos, conserventúrque jura Regni Dei, quibus res humanæ divinæque omnes continentur. Jura autem omnium jam antè constituta & distributa ut plurimùm supponit. At qui præsunt aliis, & potestatem habent hujusmodi distributionem jurium faciendi à respectu ad totum systema initium faciunt, adeoque analyticam methodum potiùs sectantur. Civitati Dei satìs consultum esse pronunciant, si Deo velut summo Regi officia summi honoris

præ-

præstentur, & gentibus universis velut ejus subditis sua in res & personas limitatas jura tribuantur. In singulorum autem juribus propriis curanda sunt jura minorum societatum, præsertim familiarum, in his autem singularis cujusque bona. Hâc itaque mothodo uti in prima distributione potestatis in res & personas, seu in prima constitutione jurium propriorum, cùm primi parentes (juribus suis Deo reservatis) reliqua omnia inter filios suos dividebant, & facillimum erat, & planè necessarium. Quippe totius systematis rationalium fœlicitas finis est ille unicus, naturâ suâ optimus & maximus (quippe summa est omnium bonorum, adeoque naturaliter melior & major quâlibet sui parte, seu quovis alio bono,) quem qui rectè intelligunt non possunt non prosequi, ejúsque prosequendi necessitas necessariam facit distributionem, & limitationem potestatis in res & personas, *h. e.* & legibus universis, & singulorum juribus indè natis dat originem. A totius autem cura cùm ad partium curam procedimus, notum est hanc methodum locum habere. Stabilitis autem hisce legibus quibus societas cum Deo inter diversas gentes, nec non inter membra ejusdem civitatis ac familiæ continetur, dantur certæ normæ pietatis, omnigenarúmque virtutum, ut earum nomen actionibus jura religionis, gentium, civitatum, aut familiarum evertentibus impositum neminem post hæc deludat. Constat enim omnes partes Justitiæ universalis (quas breviter recensuimus) omnésque actus singularum virtutum, legibus hisce unicè propter Bonum Commune imperari, ídque quia perpetuâ experientiâ manifestum est tales actus humanos naturalem habere vim ac efficaciam aut honorem Deo exhibendi, aut promovendi gentium diversarum pacem & fœlicitatem, aut Civitatem aliquam, aut minorem societatem, aut singularem aliquem hominem bonis cumulandi: ex his autem partibus hoc ordine consideratis Commune Bonum integratur.

§. XII. Quin etiam hinc apertissimè explicari potest, quænam sit illa recta ratio prudentis qui justam actionibus humanis mediocritatem meritò præscribat. Tota enim consistit in hujusmodi propositionibus practicis quæ maximum nobis proponunt finem, & media in nostra potestate idonea indicant quibus illum consequamur. Illa autem sunt actus illi humani quos imperant (1) Cultûs leges, (2) cæteræque gentium inter se commercia conservantes; (3) deinde verò civiles & domesticæ, ac singularis cujusque dictata experientiæ de naturali efficacia actionum humanarum conformia. Sic ultima tandem resolutio fit in vires naturales actionum ad homines juvandos, aut nocendos, sive sigillatim, sive conjunctim spectatos, ut in familia, populóve uno, aut pluribus. Ex analogia autem ducta ab iis actibus qui ad honorandos homines faciunt, judicamus de iis quæ ad Dei honorem spectant. Experientia autem non minùs evidenter docet quales actus humani proficui sunt, aut nocivi plerisque omnibus, quàm ostendit qualia edulia plerosque nutriunt reficiúntque, qualia contrà morbos generant, mortémque accelerant.

§. XIII. Nec sanè difficiliùs experientiâ discimus harum propositionum veritatem (*Necesse esse ad Commune Bonum ut fiat distributio rerum, & operarum mutuarum; atque ut ea servetur, ita agendo tam erga alios quàm erga nosmet-ipsos, uti conservatio Gentium, Civitatum, familiarúmque, quarum pars sumus, postulaverit*) à quibus omnes leges naturæ & virtutes profluunt; quàm discimus necesse esse ad corporis animati vitam ac valetudinem, ut nutrimentum omnibus ejus partibus impertiatur, atque ut distributio à natura facta conservetur ejusmodi functionibus singulorum membrorum circa se cæterásque partes, quibus partes primò principales, deinde verò etiam minùs principales, infimæque ab obstructionibus liberentur & reparentur,

sic-

ſicubi quicquam abſumptum ſit, atque ad præſcriptam à natura menſuram ac vim creſcant.

Utrobique veritas in has, aliáſque ſimiles propoſitiones reſolvitur, quòd *Conſervantia totum conſervant omnes ejus partes*, & quòd *Conſervatio partium minus principalium ſeu ſubordinatarum profluit è conſervatione principalium*; quæ quia è definitionibus ejusmodi cauſarum patent, à natura rerum experientiæ noſtræ indicari meritò dicantur. *Definitiones enim è naturis rerum experientiâ cognitis diſcuntur.*

§. XIV. Quin etiam, quemadmodum ab immutabili efficacia cauſarum ejusmodi corporearum ad productionem ſuorum effectorum in corpore animato omnis Phyſiologiæ & Diæteticæ certitudo proficiſcitur; pariter ab immutabili influentia actuum humanorum in conſervationem, aut in detrimentum ſingulorum hominum, familiarum, Civitatum, Gentiúmque univerſarum provenit omnis certitudo propoſitionum practicarum, quæ Leges ſunt Naturales, quæque Moralem conſtituunt Philoſophiam, & virtutum omnium naturam determinant.

Porrò varietas actionum quæ hominibus præcipitur in variis eorum conditionibus, Familiis, Civitatibus, cæteríſque circumſtantiis non magìs repugnat neceſſariæ, & conſtanti curæ omnes quas ſæpe diximus finis optimi partes conſervandi & perficiendi, quàm diverſitas Diætæ in diverſis regionibus, ætatibus, & temperamentis hominum repugnat conſtanti omnium curæ ubique omnia ſua membra nutriendi, & ubique ſatisfaciendi naturalibus neceſſitatibus famem ſitímque arcendi, ſomnum capiendi, exercitiis, Veneri & affectibus modum præſcribendi, juxta naturæ cujusque exigentiam. Scilicet in his, ut in rebus ad bonum publicum neceſſariis, non poſſumus pro arbitrio quidlibet agendo finem aſſequi: Sed limites quosdam finis natura determinat, quanquam Intellectus noſter ad ἀκρίβειαν Mathematicam in his aſſignandis non perveniat.

Satis commodè vitam nostram curamus sine Lessiana alimentorum ponderatione: & Bono pariter communi pro virili verè inservimus, etsi quod præcisè optimum est in singulis casibus non poterimus assequi; si modò id, quantum in nobis est, in datis Circumstantiis assequi conemur.

Addendum hîc illud censeo, Commune Bonum rationalium omnium, eò ipso quòd bonorum omnium naturalium est Collectio adeoque bonum maximum, esse aptissimam mensuram à natura determinatam, ut è comparatione aliorum bonorum cum hoc pronunciare verè possimus, an illa magna sint an parva; adeoque an summoperè sint expetenda, an aliis postponenda. Eadem autem mensura quâ bonorum inter se ratio æstimatur, malorum pariter omnium æstimationem veram præbet, adeoque indicat quid magìs, aut minùs fugiendum aut dolendum sit. Hinc itaque discemus quinam affectus aliis prævalebunt, quinam etiam cedent; siquidem certum est eum tantum omnium affectuum modum naturæ rationali ac naturæ universi congruum esse, qui exactè respondet veræ æstimationi bonorum & malorum è quibus excitantur.

§. XV. Quoniam autem maximi momenti res est regimen affectuum nostrorum, utpote à quo omnis virtus, omnísque Fœlicitas (quatenus illa est in nostra ullatenus potestate) proficiscitur, illúdque (ut priùs innuimus) totum dependet ab agnitione veræ mensuræ bonorum malorúmque omnium, secundùm quam judicanda sunt magna vel exigua; ideoque paulò latiùs explicandum duxi quod paulò antè affirmavi, ne··pe, Commune Bonum hanc esse mensuram, eámque à natura rerum determinatam esse. Hoc autem ex eo patet, quod antea ostendimus, *viz. Bonum omnium rationalium commune, esse finem ad cujus prosecutionem omnes naturaliter tenentur.* Finis autem & notior mediis, & è naturæ rationalis conditione necessaria est mensura, ex qua mediorum omnium boni-

bonitas major aut minor æstimatur; & posito hoc, velut fine primario, bonum cujusvis singularis habebit rationem medii ad bonum totius systematis rationalium, uti sanitas membri cujuslibet in animali est medium ad sanitatem totius animalis.

Nec insolitum sanè est, rerum quantitates explorare ope mensuræ quæ rerum mensurandarum quantitatem excedat; modò hoc unum provisum fuerit, ut mensura dividatur in partes quantumlibet exiguas, quarum singulæ notam habeant ad totum rationem, *e. g.* Regulâ bipedali aut tripedali utamur quæ dividitur in pedes, pedúmve partes duodecimas, centesimas, aut millesimas ad explorandam lineæ longitudinem quæ decimâ pedis parte brevior sit: Pari planè modo quamquam Bonum Commune sit longè maximum, quoniam tamen notæ sunt ejus partes tam majusculæ, quàm admodum exiguæ, earúmque omnium ratio ad totum satìs intelligitur; ideoque hâc mensurâ commodissimè determinare possumus; & quantum sit unumquodque bonum, & inter bona quodnam sit majus, minúsve.

§. XVI. Partes autem in quas Bonum Commune, velut Regula consideratum, dividitur, sunt omnia omnium bona quæ in fœlicissimo systematis rationalium statu continentur, eidémque subordinantur: qualia sunt quæ pertinent ad Cultum Dei, seu Religionem; ad gentium pacem & subsidia mutua; quæque ad singularum civitatum, familiarum, personarúmve conditionem beatissimam, quæ servato hoc ordine partium inter se ad totius conservationem, per industriam humanam obtineri potest. Quin etiam quemadmodum è divisione regulæ in pedes, pedis in partes decimas, vel duodecimas, aliásve quaslibet, harúmque in centesimas, & sic deinceps, nota fit ratio minimæ particulæ ad totum; ita è noto ordine, ac ratione variorum bonorum, omniúmque ad Bonum commune, facilè investigatur ratio Boni cujuslibet dati ad maximum illud

quod ex omnibus aggregatur. Scilicet è nota ratione veræ alicujus propositionis ad scientiam, scientiæ ad animi tranquillitatem, & affectuum regimen, hujus ad personæ fœlicitatem, personæ ad familiam, familiæ ad Civitatem, Civitatis ad gentes universas, harum ad totum Systema rationalium; tandem intelligitur, quantum unius veritatis notitia conferat ad bonum universi. Similísque est ratio in æstimandis bonis corporis, ut in sanitate membri minimi, vel in vi vestis cujusvis, aut cibi ad corpus conservandum. Corporis etiam rationem ad hominem integrum, ad familiam, ad civitatem, & tandem ad universum pari modo invenire licet. Denique accuratissimi mensurarum Magistri, Geometras intelligo, hâc uti solent methodo quantitatum rationes determinandi, per collationem earum cum maxima ad quam ullatenus referantur. Hujus autem methodi ratio ad rem nostram facillimè accommodatur. Nempe, quoniam minimæ quantitates & sensum fugiunt & intellectum, mediæ inter maximas & minimas sunt infinitæ, nec ulla est ratio cur earum una potiùs mensura fieret, quàm altera; immò & eadem respectu minorum quantitatum magna dicitur, quæ respectu majorum parva habetur. Maxima autem una est, & præ cæteris intellectui nostro magìs exposita; quare *aptissima est quæ pro mensura sumeretur, in qua requiritur ut sit determinata & magìs nota.* Sic enim Mathematici linearum circulo inscriptarum magnitudinem investigant per earum collationem cum diametro quæ omnium inscriptarum maxima est. Eodémque recidit determinatio sinuum per collationem cum radio in canone mirifico. Sinus enim sunt semisses inscriptarum subtendentium duplum arcuum suorum, & radius est semissis diametri. Notúmque est eandem esse rationem semissis ad semissem, quæ totius ad totum. Sic etiam corpora Regularia mensurantur per comparationem cum sphæra; corpore nempe maximo cui cætera omnia inscribuntur. Verùm in hujusmodi exemplis nolo multus esse.

In

In eum tantùm finem hæc de mensura Bonorum diximus, ut bonum malúmve reputemus magnum, non prout nos solos magìs juverit aut læserit, sed prout communi Fœlicitati plus adjecerit, vel detraxerit: & in comparatione bonorum illud existimemus esse majus, quod publicæ fœlicitatis pars est major; illud minus, quod publicis utilitatibus minus adjicit.

§. XVII. Visum est enim hinc universale remedium deduci posse in omnes inordinatos affectus, è sui amore nimio plerumque ortos, quibus mens humana aut aliis infert injuriam, aut sibimet-ipsi adimit tranquillitatem. Nihil unquam ille perversè cupiet, cui inter bona nihil magnum videtur, præterquam quod ad communem salutem multùm confert: nunquam ille in publica commoda adeò peccabit ut criminis ullius conscientiâ perturbetur; quòd si quid detrimenti patiantur res humani generis ex aliorum flagitiis, aut è causis quæ vires humanas superent, hoc illi non eripiet mentis suæ tranquillitatem; partim quia hæc novit extra suam potestatem collocari, partim quia mutabilitatis cui omnia subjiciuntur probè conscius talia multa indies eventura præsentit & expectat; præsertim verò quia tot seculorum experientiâ certissimum est, innumeras rerum humanarum vicissitudines totius universi statum meliorem potiùs quàm deteriorem nobis reliquisse, unde spes justa nascitur vix fieri posse ut posteris res aliter succedat.

CAPUT IX.

Consectaria.

§. I. DEductis tandem è Natura præceptis circa mores generalissimis, & virtutibus Moralibus inde sigillatim explicatis, visum est paucis indicare, quomodo hæc

quæ

quæ tradidi præcepta generalia ad alia magis limitata, & vulgò magis uſitata nos deducant: hinc enim probabitur etiam ſpecialia illa à Deo per ſigna naturalia mentibus humanis ſimul imprimi, eáque iisdem præmiis & pœnis ſanciri: hoc autem oſtendemus conſiderando breviter Decalogum & leges Civiles.

Decalogus in duas ſolet dividi tabulas, quarum prior præcepta continet de moribus noſtris erga Deum, poſterior de iisdem erga homines tractat: utraque impletur Amore in Deum, hominésque. Manifeſtum autem eſt, præceptum quod è Natura hauſimus de Benevolentia univerſali, ſeu de ſtudio Boni Communis quatenus Deum reſpicit ut ſyſtematis intellectualis caput, & homines velut ei ſubditos, hæc duo in ſe complecti. Prima autem tabula ſpeciatim continetur in ea parte Legis Juſtitiæ univerſalis quâ oſtendimus doceri, neceſſe eſſe ad Bonum commune, atque adeò ad noſtram ſingulorum fœlicitatem indè ſolùm hauriendam, ut Deo tribuatur quod ſuum ſit, nempe omnia quæ neceſſaria ſunt ut ipſius honos ſuper omnes quantum poſſumus, emineat. Scilicet ut agnoſcatur omnium maximè intereſſe ut ipſe Dominium habeat in omnes & omnia ſupereminens. Exercitium talis Dominii percipimus eo ipſo quòd eſt cauſa omnium prima liberrima & prorſus independens. Jus autem ſeu neceſſitatem talis in eo Dominii, in ordine ad Bonum Commune, indè intelligitur; quòd hunc finem perfectiſſimè aſſequi poſſit & velit ille ſolus qui ſapientiâ præditus eſt perfectiſſimâ finis hujus omnes partes & media aptiſſima comprehendente, & voluntate finem optimum, mediáque maximè idonea propter intrinſecam cum ſapientia harmoniam ſemper amplectente, & potentiâ denique quæ in iis quæ ſapientiſſima voluntas elegit, præſtandis nunquam deficiat.

§. II. Cognitâ autem ex his naturalibus, atque adeò æternis Dei perfectionibus hâc neceſſitate Dominii Divini in ordine ad Commune, quod ſummum eſt, Bonum, cognoſci-

gnoscitur Lex naturalis illud ei tribuens secundùm ea quæ antehac explicuimus. Manifestum enim est rationem rectam Divinam (quæ Lex quædam est ei Naturalis) ab æterno illud sibi in hunc finem assumpturam esse; & rationem rectam humanam cùm primùm existit, & hoc percipit, necessariò consensuram esse; quippe quamdiu recta est, à ratione Divina nequit dissentire. Datâ autem lege de agnoscendo hoc dominio Divino, dantur leges imperantes summum erga illum Amorem, Fiduciam, Spem, Gratitudinem, Humilitatem, Timorem & Obedientiam, & si quid amplius est quod exprimitur in Invocatione Divini nominis, & Gratiarum actione, & auscultatione Verbi Divini, & in devovendo res, loca, tempora, & personas illius solius honori.

§. III. Hinc satìs cavetur, ne alium paris Cultûs consortem admittamus quod primo præcepto vetatur. Neve illum hominibus, aliísve animalibus similem, aut figurâ limitatum corporeâ reputemus; quod prohibetur in secundo. Ne perjurio iram ejus provocemus, quod tertium inculcat; atque ut idoneam temporis nostri partem ejus cultui destinemus, quod quartum præceptum insinuat, exemplo Sabbathi. Pari ratione secunda Decalogi tabula deduci potest ex ea parte legis naturalis de Justitia universali quâ diximus eam præcipi; Quia necessarium est ad commune Bonum ut constituantur, & inviolata serventur inter homines singulos distincta dominia in res & personas, eorúmque actus, *h. e.* ut fiat distributio ad optimum finem prudenter accommodata, atque ut ea servetur quam ita factam invenimus, quâ singulis saltem necessaria concedantur ut è suis singuli se conservent, & aliis usui sint, quorum utrumque ad publicam facit fœlicitatem. Ideo autem necessaria in hunc finem est hæc rerum & actionum seu operarum humanarum partitio inter singulos, quoniam nemo vivere potest nedum fœlix esse sine usu & rerum multarum, & ope ac permissu voluntario multorum homi-

hum;

num; & quoniam salus totius generis humani, quod Bonum Commune apertiùs respicit, in salute hominum singularium consistit. At si pressiùs quæramus quid necessariò singulis concedendum est ut omnibus bene sit, comperiemus hæc, (1) Vitam ac membrorum suorum integritatem conservandi potestatem singulis necessariò tribuendam esse, dum nihil in publica commoda, unius vitâ majora, peccent. Hanc autem salvam esse jubet præceptum sextum, atque adeò limitatam permittit, immò præcipit munítque, φιλαυτίαν. (2) Pactorum bono publico subordinatorum vim, fidémque singulis necessariò firmandam esse. Inter ejusmodi autem pacta illud de conjugio cumprimis est humano generi salutare; utpote quo spes omnis successionis, & ingruentis senectutis auxilium continetur. Hanc tori fidem ratam itaque esse jubet singulis præceptum septimum, atque adeò ad affectum eximium erga prolem cujusque hâc ratione certiùs cognitam munit viam. (3) Partem quandam in rebus aliis, & operis hominum, singulis necessariam esse, cujus ope vitam suam ac familiam in prioribus concessam sustentare valeant, ac aliorum insuper commodis inservire. Ad bonum itaque Commune requiritur ut & talia singulis bona in prima divisione faciendâ dentur, & postquam data sunt, inviolata conserventur. Hoc autem jubet præceptum octavum. Quin etiam ad publicum bonum facit ut singuli in omnibus quæ ipsis hactenus concessa sunt illæsi sint non solùm ab aliorum factis, sed etiam à verbis & cupiditatibus. De his autem præcipitur in nono, & decimo mandatis. Ex obsequio præceptis hisce negativis simul omnibus præstito consurgit *Innocentia*.

§. IV. Interim manifestum est ad Commune Bonum conducere non modò ut ab aliis lædendis abstineamus, sed ut porro affectibus, verbis & factis alios, datâ occasione, juvemus, in iis quæ mandata hæc innuunt ad finem esse necessaria, quo latissima exhibetur humanitas. Atque his equidem modis bono publico consulitur, tollendo

ejus

ejus impedimenta, & ponendo affectus benevolos qui per omnes systematis rationalis partes se spargant, & singulis necessaria impertiant. Verùm quemadmodum systema corporeum (juxta principia mechanica) conservatur quidem per motum in omnes ejus partes diffusum, sed requiritur ut ille motus in se recurrat, atque hâc ratione perennis fit: Pari ratione incepta semel universalis Benevolentia per reciprocas Gratitudinis vires reparatur indies, & illius auxiliis, sive etiam illius prospectu, ac spe novas acquirit vires, & in æternitatem adolescit. Per se satis manifestum est peculiarem Benevolentiam rectè ordinatam erga pridem benevolos (quæ definitio sit Gratitudinis) ad communis Boni perennitatem multùm conducere. Rectè autem ordinari intelligitur è dictis capite præcedente, quando ita Benefactori prodest ut jus nullius personæ, familiæ, civitatis, nedum Gentium invadat: eámque ob causam visum est de illa agere, postquam ex aliis præceptis ostendissem aliorum jura nullatenus esse violanda. Verùm hæc virtus in quinto Decalogi præcepto mandatur, ubi quidem expressiùs jubetur Gratitudo erga parentes, qui benefactores sunt primi post Deum communem omnium parentem; sed hoc exemplo propter rationis paritatem docemur omnibus, qui qualitercunque nobis profuerunt, vices rependere. In his paucis leges omnes naturales singulis præscriptas contineri arbitror, eisdémque legibus ad actus diversorum populorum inter se applicatis Juri Gentium omnia limitari.

§. V. Ab hac epitome Legum Naturæ universaliorum commodus dabitur transitus in considerationem illorum dictaminum rationis quæ omnes dirigunt ad constituendas servandásque societates in quibus imperium cum potestate coerciva intelligitur. Hæ enim ideo sunt necessariæ ut Leges hæ meliùs observentur in honorem Dei, generísque humani fœlicitatem; eorum verò speciatim, qui hujusmodi Societatum membra sunt. Ideoque datâ lege naturali

motus è quibus oriuntur ita se mutuò consequantur, ut posteriores è prioribus regantur; non autem si talis absit subordinatio. Nec dubium est quin ut linearum, ita etiam superficierum omnimodarum indè generabilium certa determinatio, eandem requirat motuum determinationem. Ab eadem itaque proveniet omnimodarum figurarum quibus corpora terminantur certa generatio. Deinde verò Physiologia (genuina scilicet illa quæ è Mathesi prognata est) effecta omnia naturalia è motibus implicatis, & è figuris corporum certâ hujusmodi subordinatione limitatis, produci docet. Ideoque etiam illa effecta naturalia, quibus publica commoda per hominum industriam promoveri certò possint, parili subordinatione motuum ab humanis corporibus proficiscentium esse producenda docebit. Manifestum certè est motus quosdam corporeos hominum requiri ut alii aliis prosint, præsertim in Dominii in res & personas acquisitione, usu, aut alienatione, in quibus summa Justitiæ continetur. Ideoque subordinationem inter ejusmodi illorum motus, atque adeò inter homines ipsos constitui necesse est, ut ad ejusdem effecti, Communis scilicet Boni, procurationem conspirent. Denique dum longiusculam hanc deductionem attentiùs considero, video illam plurimùm contrahi posse hoc modo. Si ne minimum quidem effectum motuum implicatorum, *v. g.* Descriptio Curvæ Geometricæ, absque subordinatione motuum certò peragi possit, multò minùs poterit tam complexum plurimarum causarum effectum, quale est Commune Bonum, sine tali subordinatione certâ ratione procurari.

Nolui tamen rejicere priorem deductionem, quoniam aliquibus fortasse gratum erit videre aliqualem esse nexum inter Physiologiam, & disciplinam Civilem.

Nihilominus quanquam necessitas ordinis constituendi ut plures fœliciter vires suas uniant in magno quovis effecto conficiendo, ex hujusmodi principiis demonstrari possit;

ea tamen non hinc primùm ab hominibus discitur, sed ex obviis quotidiè experimentis, qualia antè suggessimus.

Deductâ generaliter Regiminis necessitate ex ejus fine, facilè hæc applicari poterunt regimini domestico seu familiæ, & deinde regimini Civili, ut partes optimi finis obtineantur: nempe Fœlicitas Familiarum primò, mox Civitatum, tandem verò Universi.

§. VI. Ego de his hoc tantùm adjiciam, quòd quemadmodum in Geometria primum subordinationis exemplum est inter duos motus, quorum alter ab altero regitur, ordo autem magìs conspicuus ac notabilis est cùm inter causas paulò plures exhibetur subordinatio: Ita cùm de hominibus agitur, primum quidem exemplum ordinis esse inter virum ac fœminam, in qua naturaliter vir est superior, utpote qui plerumque majores habeat intellectûs vires, & majus corporis robur, adeoque plus confert ad effectum ex eorum societate quæsitum, Commune scilicet utriusque bonum in rebus sacris & humanis. Nihilominus magìs conspicuum est Imperium paternum, postquam liberi è priore illa Societate nati fuerint. Ideoque hinc sumendum est exemplar, hinc etiam petenda est vera origo potestatis tam Civilis, quàm Ecclesiasticæ. Utramque enim in patre primò fuisse necesse erat, propter finem quem dixi necessarium; atque adeò Familia prima erat Societas ordinata, prima scilicet Civitas, primaque simul Ecclesia. Ex auctis autem in numerum familiis, in numerum pariter creverunt Civitates & Ecclesiæ. Atque hæc sanè ut cum natura rerum, rectâque adeò ratione quæ indè derivatur, consentiunt, ita historiæ antiquissimæ, fidissimæque (Mosaicam intelligo, quæ etiam Divina est) per omnia consonant.

Notandum porro est, quòd ab eodem fine propter quem constituitur Imperium, seu Posteas Civilis, naturaliter & necessariò limitatur. Omne quippe medium fini suo exactè adaptandum est, ut nec ab eo deficiat, nec eum excedat.

Ideo-

Ideoque manifestum est, quòd in ordine ad honorem Dei, Gentiúmque omnium fœlicitatem ; non potest fundari Imperium quod jus habeat hæc evertendi. Verùm cùm omnia ad hæc absolutè necessaria pauca sint, & admodum manifesta, & in Decalogo uti ostendimus satis apertè exhibeantur, amplissimi sanè sunt limites Potestatis Civilis.

Nihil illis vetitum est, nisi ne necessariam Dominiorum divisionem violent, quâ Deo sua, hominibúsque aliis sua assignantur: neve cæteras leges naturales evertant, ad quas conservandas ipsa fundatur, & quarum viribus tota debetur regnantium securitas ac fœlicitas. Ideoque hinc nihil illis durius imperatur à Naturæ Conditore; quàm ne suæ fœlicitatis, suíque Dominii fundamenta subruant, neve ipsi se simul cum aliis perdant, necessaria ad Commune Bonum impugnando. Interim tamen, quoniam dictamen Rationis quo constitutio & conservatio regiminis præcipitur est Lex naturalis (uti constat è dictis,) sequitur illud à Deo originem suam trahere; atque ab eo solo assignari limites eos quos diximus, quod ad honorem Imperii plurimùm facit.

§. VII. Illud autem peculiare est summarum Potestatum privilegium, quòd Deus nullam infra se constituit potestatem Coercivam, cujus sit illas punire si quid in Leges Naturæ circa suos subditos peccaverint. Hoc enim si fieret, eâdem de causa, alia supra hanc constituenda esset Potestas, quæ ipsam puniret si iniquè punivisset summam quam priùs supposuimus potestatem; & pari ratione superiores summis in infinitum essent constituendi quo nihil absurdius cogitari possit. Subsistendum est itaque in iis quibus summum demandatur imperium, iique nullis pœnis à sua Civitate sunt obnoxii. Illi verò qui eos pœnis subjicere nituntur, ipsam essentiam Imperii Civilis hoc facto quantum in ipsis est tollunt; quia in subditorum statum summos redigunt. Non minùs enim repugnat naturæ regiminis

ut

ut in eo omnes sint subditi, quàm ut in eo omnes sint summi. Ordinis (qui regimini intrinsecus est) ratio necessariò postulat ut aliquod sit primum, eóque nihil prius: adeoque, in re nostra, necesse est ut sit inter homines in eadem Civitate aliquod primum subjectum Potestatis coercivæ, à quo illam cæteri omnes accipiant; at qui illam ab eo acceperunt, certum est nullam ab eo habere potestatem puniendi ipsum authorem suæ potestatis. Hæc autem non impediunt quo minùs à Deo puniantur, si quid in Leges Naturæ deliquerint summa inter homines imperia. Nam in Civitate Dei, seu Universo subditi sunt qui in Civitate humana sunt summi. Ideoque non potest dici eos jus habere ea faciendi, quæ impunè faciunt inter homines: quoniam Jus significat potestatem ab omni Lege cui subjicimur concessam, adeoque actus jure facti à nullo Legislatore puniri possunt; cùm tamen delicta etiam Imperatorum in Leges Naturæ admissa à Naturæ Conditore meritò puniantur. Verùm hâc ratione distinguendo inter impunitatem secundùm Leges Civiles, & plenum jus quod è Legibus Naturalibus & è fine Legum Civilium metiendum est, existimo & Cæsari datum esse quod suum est, & Deo reliquísque ejus subditis quod suum est esse reservatum.

§. VIII. Quàm ampla autem summis Imperiis intra fines Legum Naturalium tribuatur Potestas, facilè æstimabit qui perpenderit eas, juxta priùs dicta, se extendere universaliter ad res Divinas & Humanas, Exterorum & Concivium, Belli & Pacis; unde Magistratus ut secundùm eas Bonum Commune prosequatur, erit Custos utriusque Tabulæ Decalogi, & cum exteris jus habebit Bellum Pacémque faciendi, inter suos autem Leges ferendi, judicandi, puniendi, & honores, munera publica, commodáque omnigena conferendi. Quoniam autem publica fœlicitas tam totius generis humani, quàm singularis cujuslibet Civitatis, per instituta, mores, Legésque admodum varias perin-

perinde fere (quantum humana assequi potest prudentia) procuretur, & salvâ Republicâ nunc his, nunc illis honores commodáque diversa distribuantur, sæpe etiam peccatorum venia indulgeatur, aut rigidiùs pœna irrogetur, ubi in meritis nihil est discriminis, manifestum est innumera Regnantium arbitrio permitti, & tutò posse, & solere, quamvis semper ad finis immutabilis curam & permulta media naturaliter necessaria obligentur. Atque hæc sanè neminem latere possunt sine notabili detrimento suæ Reipublicæ, qui observavit mutationes quæ indies in subditorum fortunis è principum beneplacito licitè fiunt, aut qui variorum per Europam regnorum, aut rerum-publicarum instituta inter se contulerit, viderítque in singulis prudentes non infœliciter vivere posse, omnésque has Civitates multiplicibus commerciis in pace, & auxiliis mutuis in bello ita se invicem librare, ut à singulis multum conferatur ad eam quâ nunc floret Europa fœlicitatem. Quamquam enim in statu Europæ multa sint quæ adhuc desiderentur bona, multa etiam quæ meritò conqueramur, esse mala; est tamen ille valdè felix, si bona omnia quibus fruimur Societatis Civilis, & inter Gentes exteras, numeremus & rectè æstimemus; conferendo illa cum miseriis quæ sequentur, si omnes juxta rationem Hobbianam sibi solis consulerent, & singuli indè jus in omnia sibi vindicarent, séque in bellum contra omnes conjicerent. Oportet autem ea omnia bona tanquam effecta principiorum concordiæ & propensionum in Commune Bonum numerare, quæ abessent, si principia tantùm discordiæ & illimitatæ φιλαυτίας locum in hominibus obtinerent; qualia sunt ea quæ pro rationis rectæ dictatis in statu naturali suggessit Hobbius. His tandem universaliter ostensis, non opus erit ad nostrum institutum ad singula summorum Imperiorum jura minutim explicanda descendere; nec necesse erit varias Civitatum formas, causásque è quibus generentur aut corrumpantur, exponere, (quod opus est Politicorum)

ſed abundè ſufficiet ad evincendam noſtrorum principiorum utilitatem in diſciplina Civili, ſi paucis probavero adeò Civitatum omnium conſtitutioni & firmitati repugnare doctrinam Hobbianam iis oppoſitam, ut per eam aut nunquam conſtitui poſſint, aut ſtatim neceſſariò dilaberentur.

Huc faciunt inprimis omnia illa quæ in omnes homines Hobbius dixit probra, dicta etiam ſunt in ſumma Imperia cujuscunque generis, atque adeò in ipſos Reges, ideoque etiam in noſtrum Regem. Ipſi enim Reges humanam naturam non exuerunt cùm induebant purpuram. Immò Regum natura manet, qualis eſſet, ſi nulla unquam Civitas aut Regnum pactis Hobbianis conſtitueretur. Tantum ſcilicet abeſt ut ab iis mutetur principis animus in melius, ut apertè doceat Hobbius illis eum non obligari, *de Civ. cap. 7. §. 12.* adeò ut nullam Civibus injuriam fecere poſſint quantumcunque ipſos læſerint, §. *14.* Itaque quæ in homines univerſaliter tanquam naturaliter & neceſſariò vera dixit, & pro fundamentis doctrinæ ſuæ Civilis poſuit, ſcilicet eos lupos, urſos & ſerpentes (qui ultra famem rapaces non ſunt, & non niſi laceſſiti ſæviunt) ſævitiâ & rapacitate ſuperare, *Libro de Homine cap. 10.* Naturámque cos diſſociaviſſe, & ad mutuam cædem aptos produxiſſe, *Leviath. cap. 13.* aliáque id genus multa. Hæc inquam omnia in Regiam impingunt Majeſtatem. Ecquis quem talem eſſe credit, amare poſſit? Ecquis ei vitam ſuam ac bona, & ſpes omnes poterit concredere? Nonne neceſſariò ſinguli metuerent ne ipſos ſigillatim abſorberet? Eadem eſſet, aut major potiùs ratio cur ipſum fugerent, & pro hoſte haberent, quàm omnes alios; quia par illi ineſſet lædendi voluntas, quam omnibus Hobbius affinxit neceſſariam, & major potentia, quippe unitæ in eo eſſent omnium vires.

§. X. Eodem modo Dignitatem Monarcharum, omnémque prorſus Politiam ſubvertunt ea omnia quibùs

ſua-

suadere conatur Rationem humanam prorsus ineptam esse quæ sit morum regula; utpote quæ inter Bonum & Malum non discernat, nisi quatenus illud nobis ipsis fieri cupimus, hoc autem fugimus. *De Civ. cap. 14. §. 17. Bonum* (inquit) *& malum delectatione, aut molestiâ propriâ omnes æstimamus*. Scilicet nemo, ne Rex quidem, considerare potest aut vult quid aliis prosit aut obsit si doctrina Hobbiana esset vera. Nullâque relinqueretur ratio, cur ad Commune Bonum constitueretur aut reservaretur, quoniam natura hominis (ne Rege quidem excepto, aut Concilio cui summa rerum concreditur) juxta illum, ut in capite *de Bono* ostendimus, bonum aut malum non intelligit, nisi cum relatione ad personam quæ verbis illis utitur. Ideoque quicquid Rex imperat velut Bonum, intelligendum est Bonum Regi seu personæ Civitatem repræsentantis, *Leviath. cap. 6.* non autem ipsius Civitatis, nedum universi, ut alii existimant eos actus esse qui & Deo honorem offerunt, & aliquid conferunt ad generis humani fœlicitatem. Scilicet hâc ratione omne Regimen inidoneum esse facit ad finem propter quem expeteretur, ideoque nimis apertè insinuat illud prorsus rejiciendum esse. Nec sanari potest hoc vulnus summis imperiis inflictum ope omnium illarum blanditiarum quibus postea imperantes adulatur, Bonum nempe aut malum esse, justum aut injustum quicquid ipsi tale pronunciant, quodque justa omnia faciunt imperando, injusta vetando, *de Civ. cap. 12. §. 1.* unde sequitur ipsos in judiciis & pronunciatis hujusmodi esse infallibiles, nec opus illis esse ut Legis-Consultos interrogent, aut cum viris expertis consilium ineant, ut præsentiant quid in fœlicitatem suæ Civitatis, quid in ejus detrimentum cessurum sit. Nec juvabit quod definiverit; Peccatum id solum esse quod quis fecerit vel omiserit, dixerit aut voluerit, contra rationem Civitatis, *de Civ. cap. 14. §. 17.* seu illius qui personam Civitatis gesserit, ut alibi se se interpretatur: quodque hujus rationem pro recta semper à Civibus habendam

esse docuerit, *cap. 2. annot.* in §. 2. quoniam & ipse docuit Civitatum imperata esse posse contra rectam rationem (*de Civ. cap. 15. sect. 18.*) in rebus religionis, & contra leges naturales (in rebus humanis) quæ sunt dictamina rectæ rationis, *cap. 6. sect. 13.* & *cap. 7. sect. 14.* & præterea regulam omnem sustulit à natura rerum desumendam secundùm quam sua Civitates mandata efficere possint recta, cùm expressè docuerit *Leviath. cap. 6.* nullam esse Boni, mali ac vilis communem Regulam ab ipsorum objectorum natura derivatam. Quin & alibi satis apertè docet, se non credere Civitatis rationem esse reverà rectam rationem, sed ad finiendas Controversias debere litigantes pro recta ratione Judicis hujusce Rationem voluntariè constituere, cujus pronunciatis utraque pars obliganda est; alioquin controversia aut non omnino aut armis dijudicanda est, propter defectum rectæ Rationis à Natura constitutæ, *Leviath. cap. 5.* Ubi postea rectam Rationem comparat chartæ dominanti cui in lusu cum chartis pictis partes præcipuæ, partim ex consensu ludentium, partim etiam casu tribuuntur.

§. XI. In his hoc certè sanum est, in controversiis quas necesse est finiri, ad Commune Bonum facit quòd utraque pars litigans Rationi Civitatis earum decisionem libenter relinquat, & in ea planè acquiescat. Atque hoc communis rectissimáque suadet ratio; quoniam certum est, decisionem hanc aut omnino Rectam fore, aut rectiorem, salvo Communi Bono, haberi non posse. Atque hæc ratio & satis evidens est, & ideo Hobbianæ præferenda, quia supponit alicubi esse inter homines rectam rationem practicam; dirigítque eos ita ut eam vel præcisè assequantur, vel quod ei proximum est; quod ad fœlicitatem humanam, & ad officium nostrum sufficit. Hobbii autem Ratio supponit nullam esse rectam Rationem à natura constitutam; atque hoc nomine jubet nos stare Rationi Civitatis tanquam Rectæ, quo nihil absurdius aut perniciosius dici potest.

Con-

Contradicit enim præmissarum altera conclusioni indè deducendæ; adeò ut multò veriùs colligi possit, posito quòd nulla existeret recta Ratio à natura constituta, ideo Rationi Civitatis non est standum. Eò autem periculosius est Hobbianum hoc ratiocinium, quoniam apud incautos facilè eveniat ut perspecta præmissæ falsitas conclusionem quam indè deducere velit haud inutilem suspectam reddat; aut conclusionis nota veritas efficiat, ut præmissa illa falsissima è qua Hobbius eam deducit, videatur esse vera. Interim nihil imperantibus magìs contumeliosum dici potest, quàm ipsorum Leges non esse quidem dictata rectæ Rationis, sed tantùm habendas esse pro talibus, quia per ipsorum fortunam & nostrum consensum illi supremum jam locum occupârunt: aliàs autem & planè contradictorias hisce omnibus Leges pariter ducturas esse ad Communem fœlicitatem, parémque reverentiam sibi meritò vendicare posse, si ex alea belli, aut callidorum consiliorum successu contingat malè sani capitis hominem superiorem evadere, qui leges feret crudelitati, perfidiæ, ingratitudini, & libidini omnium dominandi in omnes & omnia faventes. Nihil est, quod homines perditissimos magìs animare possit ad seditiones moliendas, ut ipsi, excussis è throno dominis qui nunc regnant, in eorum loca succedant; atque ut indè ipsorum malè sanæ opiniones, pravíque affectus exinde profecti, rectæ Rationis justorúmque actuum honorem consequantur.

§. XII. 2. Hobbiana doctrina de jure omnium ad omnia (quam in primo capite explicavimus, & refutavimus) in statu naturali homines eâ imbutos in Societatem Civilem coire non patitur, eósque qui dum in statu Civili sunt eam imbiberint ad excutiendam omnem Legibus Civilibus obedientiam disponit, hoc est (ipso interprete) ad crimen læsæ Majestatis. Pars prior hujus assertionis sic probatur. Totum illud jus omnium ad omnia ab ipso Hobbio demonstrativè deducitur è jure se conservandi & defendendi quod

recta ratio unicuique tribuit (si credamus illius principiis *cap. 1. sect. 7. 8. 9. 10. lib. de Civ.* traditis.) Porro ipse etiam dixit jus quodvis hoc tantùm modo transferri posse in alterum, cùm signis idoneis quispiam declarat, velle se non ampliùs sibi licitum fore resistere alteri hoc juris accipere volenti, prout ei resistere jure antea poterat, *cap. 6. sect. 4.* neminem autem pactis hujusmodi obligari posse alteri non resistere mortem, vulnera, vel aliud damnum corporis inferenti, *cap. 2. sect. 18.* & unumquemque ait retinere jus seipsum contra vim defendendi, illúdque in Civitatem non transferre cùm consentit in unionem illam quâ fit Civitas, *cap. 5. sect. 7.* Ergo (inquam) retinet etiam jus ad omnia, & ad bellum contra omnas ipsámque Civitatem gerendum, si modò illud è jure se conservandi defendendique deduci potest, adeoque in statum Civilem non potest transire.

Facile esset hîc ostendere, quemlibet secundùm principia Hobbii esse judicem, an Civitas ipsi mortem aliúdve damnum sit illatura nec ne, adeoque an rebellio ad ipsius defensionem sit necessaria nec ne; illúdque ostendere necessarium esse medium ad cujusque conservationem aut defensionem quod ipse, utpote judex, tale esse pronunciaverit; immò & rectam illam rationem, quæ antea omnia ad singulorum conservationem necessaria esse docuerat, non postea posse sibimet contradicere, & affirmare pauciora sufficere. Sed hæc quivis Lector Hobbianæ doctrinæ gnarus ipsi objiciat, nec video quid Hobbius regerere possit. Propero itaque ad secundam assertionis nostræ partem quam ægriùs (opinor) feret Hobbius.

§. XIII. Probari possit hoc eodem argumento, quo modò probavimus, jus omnia sibi bello vendicandi transferri non posse; indè etiam sequitur unumquemque juxta Hobbium, retinere sibi jus in quemlibet adeoque in suam Civitatem bellum gerendi, nisi ipsa singulis jus ad omnia concedat, quod tamen manifestum est, in nulla Civitate

con-

concedi posse. Verùm potiùs audiamus Hobbium ipsum; is è jure se conservandi & defendendi prorsus illimitato apertè admodum Civibus concessit libertatem contra Civitatis summam Potestatem se defendendi conjunctis viribus armatis. Capite 21. *Leviathan*. his verbis quæstionem proponit, eique respondet. *Quid autem si multi simul, contra Civitatis summam Potestatem crimen aliquod commiserint capitale, propter quod nisi se defendant expectant mortem, quæret aliquis, utrùm libertatem illi conjunctis viribus se mutuò defendendi habeant? habeant certè. Nam vitas suas defendunt tantùm, id quod & Innocenti & Nocenti æquè licet. Injustitia quidem erat officii violatio prima, sed quòd arma postea ad se defendendos sumpserint, crimen novum non est.* In Anglicana Leviathanis editione hæc eadem habentur, sed & aliquid audacius, nam loco ultimæ clausulæ, hæ duæ ponuntur. *Armorum sumptio primam officii violationem subsequens, quamvis esset ut tuerentur id quod fecissent, non est novus actus injustus: & si sit tantùm ut suas tueantur personas, non est omnino actus injustus.* Ego sanè laudandum censeo quòd perversam adeò doctrinam in Latina editione aliquantum correxerit: nihilominus etiam secundæ illæ cogitationes perniciosæ admodum videntur, & perduellionem spirare. Cogitemus enim crimen illud capitale, quod supponit multos commisisse, hoc fuisse; Conjurârunt multi inter se Regem occidere, defertur hoc crimen ab ejus conscio ad Regis aures. Metuunt hinc conjuratores quam meruére mortem. Licet illis (inquit Casuista noster) arma sumere ut se mutuò defendant, atque id facere crimen novum non est. Egò verò existimo conjuratores hujusmodi arma capessentes contra suum Regem, ut pœnam quam meruêre, propulsent, bellum gerere illicitum, veréque perduellionis reos esse; adeoque hinc aliud eos crimen conjurationi adjicere; quanquam sub eodem aliquo generali nomine utrumque crimen pariter cadat, utrumque sit violatio fidei datæ, est

tamen

tamen novum crimen, hoc est aliud priori recèns additum, omniqne actu quo bellum hoc prosequantur, scelera sua cumulant. Ad seditionem enim & bellum Civile ducit armorum sumptio contra summam Potestatem flagitiosos ad meritum supplicium trahere conantem. Nec si hoc permissum sit, vetari possunt ipsum Regem manus alicui eorum injicientem interficere; quod quàm perniciosum sit, aliorum judicio relinquo.

§. XIV. 3. Nonnulla etiam quæ de Legibus Naturæ tradidit omni ImperioCivili ruinam minitantur; ea præsertim quæ de pactorum, de juramentorum obligatione tradidit. Periculosum est Civitatibus quòd pacta (quorum vi solâ illas constitui & conservari docuit) non obligare asserit, nisi cùm fides habetur promittenti. Hoc autem insinuatur in ipsa pacti definitione ab eo datâ, *de Civ. cap. 2.* §. *9.* quam explicat, ejúsque usum docet *cap. 8.* §. *3.* & *9.* ubi de servorum obligatione loquitur. *Obligatio* (*servorum scilicet*) *ex pacto oritur; pactum autem nisi fide habitâ nullum est, ut patet è cap. 2.* §. *9. ubi definitur; Pactum esse promissum ejus cui creditur. Cum beneficio ergo vitæ condonatæ conjuncta est fiducia quâ dominus eum in libertate corporali relinquit, ita ut nisi intervenissent obligatio & vincula pactitia non modò aufugere, sed etiam Dominum conservatorem vitæ ejus vitâ spoliare possit.* His paria subjungit sectione ejusdem capitis 9. ubi explicans, quibus modis servi à servitute sua liberantur, postremo in loco affirmat. *Servum qui in vincula conjicitur, vel quoquo modo libertate corporali privatur, alterâ illâ obligatione pactitiâ liberari. Non enim* (inquit) *existit pactum nisi ubi paciscenti creditur, nec violari potest fides quæ non sit habita.* Immò docet apertiùs §. *4.* ejusdem capitis, servos si carceribus aut vinculis cohibentur nihil facere contra Leges naturales si dominum suum interfecerint. Hæc autem omnia ab eo dicuntur ad explicanda jura imperii, seu Civitatis naturalis quæ acquiritur potentiâ aut viribus naturali-

talibus, quam tum demum constitui ait, cùm bello capti, vel victi, vel viribus suis diffidentes victori vel fortiori promittunt se ei servituros esse, ut patet è § 1. ejusdem capitis. Et ex historiis fidissimis notum est, pleraque omnia quæ nunc florent Imperia hâc ratione fuisse constituta. Perniciosum itaque est omnibus hujusmodi Imperiis, ut (per Hobbiana principia) statim postquam Princeps ullo indicio ostenderit, se aliquibus suorum subditorum obedientiam promittentibus non credere, liberentur illi suâ subjectione, & pactis non obstantibus, absque violatione Legum naturalium Regem suum illis interficere liceat. Si subditus incarceretur & carcerem perfringere possit, aut custodes corrumpere ut evadat, à pacta juratáque Regi fidelitate ab Hobbio absolvitur, rebellionem moveat sine crimine. Ideo autem periculosiora sunt hæc, quoniam signa quorum ope dijudicamus, an Principes nobis fidem habeant nec ne, valdè sunt incerta, eorúmque salus multam postulat cautelam, unde homines suspicaces facilè concludent fidem sibi non haberi, séque adeò à subjectione liberari. Quòd si solam incarcerationem seu privationem libertatis corporalis pro signo sufficiente fidei non habitæ sumamus (quod tamen Hobbius non probavit,) ea tamen sæpe fit ut custodiantur examinandi qui fortè sunt innocentes & ob leviora crimina, nunquam ut signum sit voluntatis Principis de subdito à subjectione pactis debita liberando.

§. XV. Præterea civitatum omnium fundamenta subruit quod in libro *de Cive c.2. §.11.* docuit, pacta in quibus paciscentes utrinque sibi invicem credunt, neutro quicquam statim præstante, si justus ex utravis parte metus oriatur, ne pars altera non sit præstitura quod promisit, esse invalida, seu non obligare. Certum enim est pacta quibus Civitates (juxta Hobbium) constituendæ forent, fieri in statu Naturæ, & utramque partem, nempe tam illam quæ regendi potestatem susceptura est, adeoque Protectionem

polli-

pollicetur, quàm illam quæ promittit Obedientiam, nondum posse ea præstare quæ pollicentur; nec dubium est quin metus aliquis in paciscentium animis subinde novus oriatur ne fides illorum fallatur; iique hunc suum metum justum esse censebunt, ideoque (Hobbio docente) justus est, quoniam ipsi sunt judices; & nemo est qui utramque partem cogere possit. Ergo pacta hæc invalida sunt; adeoque Civitas quæ iis videbatur constitui, velut ædificium labili nixum fundamento, corruit. Verùm sufficiat paucis hìc illud indicâsse, nam totam hanc rem de obligatione Legum Naturalium, illius præsertim quæ pacta respicit, latè tractavimus antea suo in loco.

§. XVI. Pergamus itaque ad ea quæ Hobbius tradidit de juramentis, quæ maximum certè Societatis Civilis stabilimentum inutile faciunt, adeoque Societatem re ipsâ tollunt. Quippe *cap. 2. §. 22.* in margine hoc habet; *Jusjurandum nihil superaddit obligationi quæ est ex pacto.* At in textu magis æquivocè loquitur. *Pactum nudum non minùs obligare quàm id in quod juravimus.* Libenter agnoscimus pactum, cùm nondum ei accesserit juramentum, esse obligatorium. Addimus etiam exinde certum esse, Deum juxta preces licitè jurantis, puniturum fidei datæ violationem, quoniam est transgressio legis naturalis quam Deus sanxit in commune bonum; atque hoc notum esse è natura rerum, adeò ut non opus sit revelatione, aut personâ aliquâ vicem Dei gerente qui votum hujusmodi acceptum esse indicet, quod insinuare videtur Hobbius *cap. 2. §. 12. 13.* Accedit tamen nova obligatio post juramentum, quia alteri tunc legi divinæ obsequium debetur, quâ vetamur sub pœna nova gravissimâque nomen Dei invocare temerè, & ad falsi confirmationem. Nec contra hoc valet exceptio Hobbiana, quâ asserit eum qui in juramento divinæ renunciat misericordiæ nisi præstiterit promissum non obligare se ad pœnam, quia semper licitum est pœnam utcunque provocatam deprecari, atque divinâ, se concedatur,

tur, frui indulgentiâ; Obligantur enim tum ad cautionem ne mereantur pœnam, tum etiam ad eam ferendam patienter etiam illi quibus licet pœnam commeritam deprecari. His probè expensis cogitent, oro, Lectores quid reliquit Hobbius stabile in Societate Civili, qui nullam obligationem è juramentis supervenire contendit. Falluntur Reges, frustraneæq; sunt eorum Leges quibus imperatur ut eorum subditi juramentum præstent fidelitatis. Frustra jurant qui illis in secretioribus inserviunt consiliis, aut qui iis proximè ministrant in rebus domesticis, aut armati quibus stipantur satellites. Nullatenus indè magis obligantur in judiciis publicis, aut Testes, aut Judices. Levi scilicet ratiocinio omnes ab obligatione hac absolvit Hobbius, eâdémque operâ Regimen Civile sustulit.

§. XVII. 4. Doctrina Hobbiana de Origine Potestatis Civilis principia quædam continent ejus stabilitati planè repugnantia. Ejus autem origo in civitate, quam vocat Institutivam, hæc est. Transferunt multi propter mutuum metum jura sua omnia in unam personam Civilem (hominē scilicet singularem aut Concilium) per pactum hujusmodi cum singulis Concivibus futuris factum. Ego transfero meum jus in hanc personam eâ conditione, si tu tuum jus transferas in eandem, *cap. 6. sect. 20.* & similiter *Leviath. cap. 17.* Hoc postquam accepit persona in imperium destinata, facta est Civitas. Reliqua duo genera Civitatum, Despoticum nempe quod est Imperium victoris in victos servatos qui servi dicuntur, & Paternum quod est in liberos susceptos & educatos, adeoque à morte quam parens inferre potuit servatos, ex iisdem pactis constitui innuit, non quidem expressis, sed implicitis & intellectis; quoniam Ratio scilicet docet Victores Parentésque non aliis conditionibus parcere vitis in sua jam potestate positis; eadémque ratio victósque liberósque jubet sub his conditionibus vitas suas accipere. Hæc facilè inferri possunt è dictis *cap. 1. sect. 14.* & *c. 8. sect. 1.* &c. & *c. 9. sect. 2.*

Bre-

Breviter itaque tota res resolvitur in translationem jurium per pacta. At si quæramus, quomodo secundùm Hobbium transferunt jura, docet *cap. 2. sect. 4.* id ait tum demum fieri, cùm quis declarat velle se non licitum sibi ampliùs fore alteri resistere, certum quid agenti, prout antea ei jure resistere poterat. Ideoque cives Hobbiani in pactis cum persona summum imperium gesturâ id solum illi promittunt, se nolle ei resistere quidlibet agenti, aut imperanti (salvâ semper sui conservandi curâ.) Atque ex hoc principio rectè infert Hobbius, *cap. 6. sect. 13.* obligationem ad præstandam obedientiam simplicem non immediatè nasci è pacto quo jus omne nostrum in Civitatem transtulimus. Illud scilicet pactum obligat tantùm ad non resistendum, non ad obediendum imperanti. Et profectò curta admodum erit potestas Civilis, si ex pacto illo quod integra est causa eam constituendi nemo teneantur illi obedire, sed tantùm non impedire, ne Rex, verbi gratiâ, faciat quæ potest suis manibus. At (inquit Hobbius) *ex hoc pacto mediatè nascitur obligatio ad obedientiam, nempe ex eo quòd sine obedientia jus imperii frustra esset, & per consequens omnino constituta civitas non fuisset.* Ego verò illud potiùs indè sequi assero, Hobbianum pactum de jure transferendo, quod nihil aliud in se continet quàm promissum de non resistendo, veram & sufficientem Civitatis genesin non explicare; quippe hujusmodi jus Imperii frustra conferri potest, adeò ut (ipso fatente) eo collato Civitas non sit constituta, quia nemo teneretur ad obedientiam imperanti præstandam. Et secundùm Hobbiana principia, translatio juris aliter fieri non potest; quoniam is in quem jus quodvis transferendum est, supponitur illud antea habere; habet enim jus in omnes & omnia, quo tamen uti non potuit, quia alii jus habebant illi resistendi; unde hoc tantùm pactis removendum erat obstaculum, ut jus in omnes regnandi, quod unicuique competit naturæ suæ coævum, (*c. 15. sect. 5.*) sublatis impedimentis se se exerat.

Verùm

Verùm transiliamus hanc difficultatem, & demus Hobbianos Cives cum pacto de translatione sui juris complicuisse pactum de præstatione tantæ obedientiæ quanta sufficeret ut jus imperii non esset planè frustra. Nimis tamen angustis limitibus clauditur Imperium, quod est tantùm non frustraneum seu nullum. Præterea, cùm ad nullam certam mensuram obedientiæ summis Imperiis præstandæ subditos obliget Hobbius, sed ad tantam solùm ut jus Imperii non sit frustra concessum, atque hoc ipsum per consequentiam è pactis de translatione suorum jurium ab ipsis deducendum sit, necessariò illos reliquit judices hujus quæstionis; *Quanta obedientia necessariò præstanda est ut jus imperii ab ipsis non sit frustra translatum?* ipsi enim finem ab ipsis intentum in tali pacto ineundo optimè intelligent; nec sciri potest, an actus aliquis sit frustraneus nisi ab eo qui finem illius actûs plenè intellexerit. Hoc autem quàm sit constituto Imperio periculosum nemo non videt. Arbitrio enim suo subditi limites ponent obedientiæ suæ, cùm solis legibus à Deo datis, quæ arbitrio hominum mutari non possent, limitandi erant Imperantes, ut antea ostendimus: iisdémque Legibus naturalibus obligandi erant subditi ad præstandam obedientiam in omnibus manifestâ Lege naturali non vetitis. Observabit ex his prudens Lector, primariam directámque causam summæ potestatis in unaquaque Civitate, secundùm Hobbium, esse jus illud imaginarium ad omnia quod fingit ille Naturam omnibus dedisse, adeoque inter cæteros illi qui in Imperium Civile destinatur: pacta autem cæterorum de translatione juris sui in illum tantùm removere impedimentum seu resistentiam aliorum quâ cohibeatur exercitium juris illius naturæ Imperantis coævum; metúmque non aliter esse causam constituendi Civitatem, quàm quatenus adegit ad remotionem illius impedimenti; & naturam quam hominibus affingit plusquam belluinam non aliter esse necessariam ad Hobbianæ Civitatis constitutionem, quàm ut est causa

hujusce metûs, id est, ut causa remota propter quam necesse sit pactis tollere resistentiam illam cæterorum quâ unius in omnes imperandi jus cohibebatur. Apertè satis hoc docet ubi de origine juris Civem puniendi disserit *Leviath*, *c.* 28. in initio, ubi hæc sunt verba; *Jus puniendi quod habet Civitas, id est is qui personam gerit Civitatis, fundatum non esse in concessione Civium. Sed ante Civitatis constitutionem unicuique quidlibet agendi quod ad conservationem sui videretur necessarium jus erat naturale. Atque hoc juris quod habet Civitas Civem puniendi fundamentum verum est.* Et postea. *Itaque illud jus illi (qui summam habet potestatem) non datum est sed relictum.* Manifestum autem est in hac potestate & vim Legis sanciendi, & easdem executioni mandandi, & bellum gerendi, adeoque omnes Imperii nervos contineri. Atquid hoc est aliud quàm dicere Imperii cujusvis jura omnibus illis argumentis everti posse quibus evertatur jus omnium in omnia, quod ipsum se perimit infinitis contradictionibus? quódque ostendimus in capite primo nullâ ratione niti? Hîc illud tantùm adjiciam, secundùm hæc principia quemlibet hostem ac invasorem Dominii alieni per habere jus interficiendi Reges legitimos, ei juri quod Hobbius dat Regibus quo rebelles suos subditos puniant; id quod subditos negligentiores faciet in Regibus suis defendendis ab hostium invasione. Nempe hostis jure invadit quia jus habet ad omnia. Atque Rex rebellem puniendi jus habet, quia jus habuit in statu Naturæ ad omnia, illúdque ei adhuc relictum est. Immò quoniam (Hobbio fatente) subditus rebellione hostis fit, hostis autem omnis jus habet illud primævum quemlibet pro suo arbitrio puniendi æquè ac Rex, sequitur rebellem subditum ipsâ rebellione jus idem obtinere ad Regem suum pro libitu suo puniendum, quod habet Rex ad subditum suum propter quævis flagitia mulctandum.

§. XVIII.

§. XVIII. 5. Omnia illa quæ jurium nomine summis Imperiis tribuit, ultra ea quæ reliqui de Civili Disciplina scriptores agnoscunt, Civitatum potentiam & stabilitatem necessariò minuunt, si in usum trahantur; eadémque ipse iis alibi denegat, unde adulationis causâ primùm ea scripsisse meritò suspicemur. Duas, sed eas quidem præcipuas, afferam instantias. (1) Jus quod illis tribuit quicquid illis libet statuendi per Leges Civiles de nostro & alieno, justo & injusto, honesto & inhonesto, bono & malo. (2) Quòd illos liberos pronunciat ab omni pactorum obligatione. De priore hæc Hobbius *de Cive cap. 12. §. 1. Quod Legislator præceperit id pro bono, quod vetuerit id pro malo habendum: is autem Legislator est qui in Civitate summum habet Imperium*; & paulò pòst, *Ante imperia justum & injustum non extitêre, ut quorum natura ad mandatum est relativa, Actióque omnis suâ naturâ est adiaphora.* Lib. de homine *cap. 13. sect. 9. Nisi in vita Civili virtutum & vitiorum communis mensura non invenitur, quæ alia esse non potest præter uniuscujusque Civitatis Leges.* Nam *Leges* (inquit) *naturales, constitutâ civitate, Legum Civilium fiunt pars.* Hinc *peccatum* definit, *quod quis fecerit, omiserit, dixerit vel voluerit contra rationem Civitatis*, id est *contra Leges Civiles*, cap. 14. sect. 17. Innumera sunt quibus hæc inculcat loca, præcipuè *cap. 6. §. 9.* ubi in fine addit: *Leges Civiles esse ejus, qui in Civitate summâ præditus est potestate, de Civium futuris actionibus mandata.* Scilicet quicquid ille facere jusserit, quanquam è subitaneo aliquo affectu illud provenerit, & scriptis Legibus ejusdem deliberatis contradictorium fecerit, Lex tamen est, & Honesti unicum indicium. Docet enim, quòd Leges promulgatæ procedant ab eo qui summum habet Imperium, sciri accuratè & philosophicè non posse nisi ab iis qui ab ore ipsis Imperantis eas acceperint, *cap. 14. §. 13.* Applicare autem singulis casibus Leges hujusmodi, mandata nempe arbitraria, hoc

est, judicare secundùm Leges, ut in fine ejusdem sectionis docet, sive illud fiat ab ipso summo Imperatore, sive ab alio cui commissa est potestas Leges has promulgandi aut interpretandi. Magnum autem illud Imperantium privilegium (si sic loqui liceat) quod hinc deducere conatur, hoc est, eos nempe peccare non posse, adeoque nec cum ratione culpandos unquam esse; quoniam scilicet non subjiciuntur Legibus Civilibus, quia nemo obligatur sibi, ut docet *cap. 12. §. 4.* Ideoque alienum invadere non possunt, cùm ex ipsorum voluntate quæ Lex est Civilis quicquid voluerint esse suum, suum est; nihil inhonestum perpetrare possunt, quoniam id solum est inhonestum quod ipsi inhonestum esse volunt, adeoque vetant; sibimet - ipsis autem nihil vetant, nemoque sibi obligatur. Et subdolè sanè dictum est ab Hobbio Imperantes Legibus Civilibus non teneri, quia sunt sanè multæ Leges Civiles quæ subditis tantùm feruntur, eósque ideo tantùm obligant. At Hobbius majus quoddam mysterium insinuare cupit, ipsos nempe nec Naturalibus Legibus, nec aliis per revelationem à Deo datis obligari. Quippe apertè docuit, Leges Naturales non esse propriè Leges, adeoque non propriè obligare, nisi quatenus pars sunt Legis Civilis, (ut antea ostendimus) ac impossibile esse ut iis contrarietur Lex Civilis *cap. 14. §. 10.* & præterea hujus syllogismi duas dedit præmissas, conclusionem à quolibet colligendam relinquens. Summum Imperium non tenetur Legibus Civilibus. Præcepta secundæ tabulæ Decalogi sunt Leges Civiles, *cap. 14. sect. 9. cap. 6. sect. 16. cap. 17. sect. 10.* Ergo præceptis illis Decalogi (quæ reverà Naturales sunt Leges) non tenetur. Alibi etiam docuit Scripturas sacras integras non aliter esse Leges nisi quatenus à summo Imperio in Legis Civilis (quam pro arbitrio licet mutare) partem assumuntur, ideo Scripturæ præceptis non tenebitur *Lev. cap. 33.* His scilicet rationibus curavit Hobbius pro summa sua erga Imperantes quoslibet veneratione, ut prorsus inculpabiles sint (quantum-

tumcunque flagitiosi ab aliis omnibus habeantur) immò ut justissimi sanctissimíque sint, quoniam illorum actiones suæ voluntati erunt conformes, adeoque semper conveniunt cum unica illa morum Regula. Ego verò nihil Principibus magis probrosum dici posse autumo, nihilque quod ipsos omnibus, tam subditis suis quàm extraneis magìs exosos, atque adeò nihil quod certiùs avertat omnium Benevolentiam, quæ firmissimum est regnantium præsidium. Hæc enim pro illis apologia apertè admodum concedit ea omnia, quæ contra principes objicere solent eorum hostes infensissimi. Eorum scilicet actiones nullis certis regulis seu Legibus depromptis è natura optimi finis aut mediorum naturaliter illi fini adaptatorum, ullatenus regi: atque adeò prorsus enormes esse. Apertè in his profitetur, se non aliter eos à criminibus objectis defendere posse, quàm conando ostendere eorum actiones non esse exigendas ad normam Legum naturalium aut scripturarum eo sensu quo alii iis obtemperare debent, sed flectendas esse has regulas ad arbitrium Principum ut nihil aliud significent quàm quod illi voluerint, & hâc tantùm ratione illos probari posse immunes à flagitiis, quæ falsò plerumque iis objiciunt seditiosi. At certè tale patrocinium rejicient omnes boni Principes, ut apertè falsum non minùs quàm ipsis contumeliosum. Immò inter malos nemo est adeò perditis ex omni parte moribus, quin aliquas suarum actionum certâ aliquâ regulâ præter suam voluntatem probari sustineat, cupiátque; ideoque Hobbianam hanc defensionem meritò aspernetur.

§. XIX. Præterea, dum hac ratione culpam omnem à Principibus amoliri conatur Hobbius, nequissimè iis injurius est; quoniam eâdem operâ omnem ab iis sustulit sapientiæ ac justitiæ laudem. Hæ enim virtutes (cæteræque ideo omnes quæ ab his profluunt) in operationibus illis

tantùm conspici possunt quæ reguntur à certis regulis è natura materiæ circa quam versantur derivatis. Sapientia enim practica consistit in ea peritia quâ finis seu effectus operâ nostrâ naturaliter dignus destinatur ; & quâ media naturalem vim habentia sufficientem ad effectûs destinati productionem, eliguntur & applicantur. Ipsáque justitia universalis nihil aliud significat quàm constantem voluntatem cum illa sapientia consentientem quæ effectum destinat aliis omnibus majorem & meliorem, Commune scilicet Bonum, ut antea ostensum est. Nulla itaque virtutis ullius laus relinquitur Principibus , si juxta doctrinam Hobbianam absque omni respectu ad naturam finis ac mediorum & agant ipsi, & alia agenda imperent. Nemo certè Principum sapiens aut justus est habitus, quia quicquid ipsi in animum venerit, aut quicquid voluerit, id absque respectu ad naturam Dei hominúmque, rerúmque ipsis inservire aptarum effecerit. Si quævis actio sapienter esset instituta, justáque & bona ideo solùm quia à Principe volita, nullum relinqueretur discrimen inter Neronem, hostem humani generis à Senatu judicatum , & Titum quem delicias humani generis dixerunt. Nihil in his laudum generibus quo distinguerentur Tiberius & Caligula, ab Antoninis, Pio nempe & Philosopho. Omnes pariter suæ quæ Imperantis erat voluntati actiones elicuerunt consentaneas. Atque hoc nomine pariter erant Bonæ, Justæ, Honestæ. Verùm humanum genus non potest adeò excæcari quin videat salutem Reipublicæ cujusvis (adeoque illam omnium Gentium) effectum esse naturale, quod non à quibuslibet actionibus Principis aut Civium produci potest , sed quod necessariò procurandum est quærendo applicandóque (in Legibus, Judiciis, totâque administratione Reipublicæ) causas naturales idoneas ad conservandas vitas, fortunas, mentésque hominum in statu perfecto, Illæ autem Causæ non aliæ sunt quàm actiones tales, quales

antea

antea ostendimus in Naturæ Legibus imperari. Voluntaria nempe divisio rerum & operarum mutuarum, quâ singulis saltem necessaria ad vitam, valetudinem, mentisque institutionem tribuantur, eadémque inviolata conserventur; virtutum omnigenarum exercitium, & Regiminis Civilis, sicubi deesset, constitutio, aut conservatio illius quam constitutam invenimus. Ideoque nisi Principes Leges ita condiderint, itáque summam Reipublicæ administrârint ut pateat eos ad finem hunc respicere, & media necessariis illis aliquatenus consentanea adhibere, Legum reverentia necessariò minuetur. Quippe naturâ suâ homines, utpote rationales veríque notitiâ aliquatenus præditi, illud solum necessariò magni faciunt quod constat esse magnum; adeoque illam Reipublicæ administrationem quam cernunt ad bonum publicum, quod omnium effectuum humanæ industriæ est longè maximum, maximi faciunt & velut divinam venerantur. At quoniam è contrà infra dignitatem vulgarium hominum subsidunt qui in rebus etiam levioribus agunt absque respectu ad finem, aut media sumunt inidonea; & multò magìs est infra dignitatem Principum in re gravissima, ubi interest totius Civitatis, cæco prorsus impetu agere sine communis salutis cura per media naturaliter huic fini accommodata; ideoque non possunt homines tanti facere Principum Leges, in quibus manifestò deprehendunt aliquid contrarium & repugnans mediis ad hunc finem necessariis, quæ in Legibus Naturæ antea explicatis continentur. Fatemur interim quòd ubi actibus diversorum generum idem finis bonus obtineatur, (tales autem actus adiaphori dicuntur) non est expectandum ut gravis aliqua indicaretur causa, cur unum genus adiaphorum potiùs imperetur quàm aliud. Sufficit quòd eo qui imperatur modo finis quærendus obtineatur. Tale enim Imperium est verè rationale; nec minùs rationale est obsequium tali imperio præstitum, sive in rebus Ecclesiasticis,

sive in Civilibus. Præterea etiam fatemur non opus esse ut Legis omnis tota ratio particulatim omnibus exponatur; sufficiat si summo fini mediisque necessariis eò ducentibus non repugnet, aut eò aliquatenus conducat; ideoque solent Principes in præfationibus Legum rationes ex utilitate publica, notísque æquitatis regulis breviter proponere, ut manifestum est è multis Constitutionibus Justiniani & Leonis in corpore juris Civilis conspiciendis, tum etiam in plerisque regni nostri statutis. At è contrario, apertè docere, è Civitatis seu Legis tantùm Imperio fieri ut actus ullus bonus sit, contrariúsque malus, adeoque utilissimos actus, si non imperentur, ad bonum publicum nihil facere, bonúmque effectum ex iis naturaliter secuturum esse præsciri non posse à Legislatoribus, (quæ sequuntur ex Hobbiana opinione) hoc est brutum seu irrationale facere Principum Imperium, & brutam Civium observantiam; quorum utrumque, & utrisque contumeliosum est, & Civitatis ruinam minatur. Quippe si quidlibet bonum fiat hoc ipso quòd à Principe imperetur, nullo opus concilio in quo deliberarent quibus tandem mediis Civitatis saluti optimè consuleretur. Quodlibet medium hoc ipso quòd imperatur optimum fieret. Eadem enim vis quæ dare potest actionibus naturam boni, dare poterit etiam gradus quoslibet bonitatis, adeoque quaslibet actiones optimas facere seu Reipublicæ præ cæteris omnibus maximè salutares. Princeps autem qui hanc suo Imperio vim inesse crediderit, frustra cum expertis consultabit. Imperium ejus, utcunque temerarium, optimum semper existimabit: Experietur autem talia sibi súisque perniciosissima.

§. XX. Ideo autem Principibus perniciosior est hæc doctrina, quoniam eâdem operâ quâ illos in temeritatem impellit, omnem simul spem tollit corrigendi quicquam in eorum Legibus, si forte quicquam in iis per humanam imbecillitatem minùs rectè statutum fuerit. Sustu-

Sustulit enim Hobbius omnem mensuram Boni præter solam voluntatem Imperantium, atque adeò nihil reliquit quo illa emendetur si fortè peccaverit. Nihilominus videmus omnes ubique civitates Regésque ingenuè & libenter agnoscere in Legibus subsequentibus se observâsse multa non satis provisa in Legibus priùs latis, multáque se per experientiam didicisse Reipublicæ esse minimè salutaria, quæ antea existimârunt fore saluberrima; adeoque apertè profitentur se ex effectis naturalibus actuum humanorum comperire quales tandem sint publicè utiles seu boni, nec posse bonos facere quoscunque actus libeat imperare. Huc pertinet omnis correctio Legum Civilium & Judiciorum secundùm eas latorum, per æquitatem & notas regulas Legis Naturalis. Cui nullus relinquitur locus si sola Lex Civilis (seu Principis voluntas iis signis promulgata) esset morum norma. Certum est autem nullam Civitatem diu consistere posse in qua tali æquitati non sit locus: Atque adeò in omnibus quas novimus Civitatibus multa (præter Legum sententiam) ex æquo & bono dijudicanda relinquuntur. Quapropter privilegium hoc quod Hobbius Principibus concedit, ab ipsis ubique rejicitur. Denique ipse etiam Hobbius sibimet hac in re contradicit, adimítque Civitatibus quod ipsis priùs indulserat. Sic *cap. 6. §. 13.* postquam attulisset exemplum aliquod mandatorum iniquorum in quibus obedientiam præstare Civitati negat Civem teneri, ut si jubeatur seipsum interficere, vel Imperantem, vel Parentem, addit hæc verba; *Multi alii sunt casus in quibus cùm mandata aliis quidem facta inhonesta sunt, aliis autem non sunt, obedientia ab his præstari, ab illis negari jure potest: atque id salvo jure quod Imperanti concessum est absolutum. Nam illi in nullo casu jus adimitur eos interficiendi, qui obedientiam negabunt. Cæterùm qui sic interficiunt, etsi jure concesso ab eo qui habet, tamen eo jure aliter atque recta ratio postulat utentes peccant*

contra Leges Naturales, id est contra Deum. In his verbis observo (1) Hobbium fateri, quædam esse quibusdam inhonesta quæ illis imperentur voluntate summæ potestatis seu Lege Civili; unde sequitur Legem Civilem non esse unicam mensuram Inhonesti, quod tamen alibi docuit. (2) Eum fateri Imperantes dum puniunt cives Legibus suis obedientiam negantes peccare posse contra rectam Rationem, Leges naturales, & Deum; quanquam alibi docuerat eorum mandata esse non posse contra Legem Naturæ, propter pacta subditorum de obedientia absoluta *cap. 14. §. 10.* (3) Contradictionem implicat quod affirmat Imperantes posse jure suo uti aliter atque recta ratio postulat. Nemo enim potest habere jus agendi contra rectam rationem, quoniam jus Hobbio ipso definiente est libertas quam quisque habet facultatibus naturalibus secundùm rectam rationem utendi *cap. 1. §. 7.* Quin & alibi, nempe *cap. 7. Sect. 14.* docet summa Imperia multis modis peccare contra cæteras Leges naturales, ut Crudelitate, Iniquitate, Contumeliâ, aliisque vitiis quæ sub stricta injuriæ significatione non veniunt, id est, non sunt pactorum violationes.

De postremo hoc crimine videbimus post hæc. Hîc notandum tantùm est eum agnoscere multis vitiis inquinari posse voluntates eorum qui jus habent Leges Civiles ferendi; unde sequitur, ipsum certum quendam agendi modum ipsis Imperantibus præscribere, adeoque non omnia relinquere illorum voluntati: unde colligere licet subditos certè non minùs talibus Naturæ Legibus obligari, adeoque non omnes eorum actus Imperantium arbitrio relinqui, nisi velint in Deum peccare ut homini obtemperent. Atque hæc sanè fassus est Hobbius, agens de officiis quæ hominibus debentur. His paria agnoscit in iis quæ ratio naturalis præcipit, circa cultum & observantiam Deo debitam. Nam *cap. 15. §. 18.* postquam docuisset obedientiam præstan-

stan-

standam esse Civitati Deum sub imagine colere jubenti (hoc est apertè imperanti idololatriam) aliáque id genus absurdissima, fatetur hujusmodi imperata esse posse contra rectam rationem, ideoque peccata esse in iis qui imperant: & *cap. 14. §. 10.* agnoscit Civitates respectu Dei non esse sui juris, nec dici Leges ferre, adeoque leges ferre non posse in contumeliam Dei. Unde infero rationem Civitatis non semper esse rectam, adeoque nec semper esse mensuram Boni, Honesti & Justi; sed tum demum cum conformis est naturæ rerum aut actionum de quibus pronunciat; atque ideo Hobbium sibi repugnare dum alibi, nempe *cap. 14. §. 17.* peccatum definit nihil aliud esse præterquam quod fit contra Rationem Civitatis.

§. XXI. Restat secundum exemplum enormis potestatis quam Civitatibus tribuit Hobbius, quod minùs latè patet quàm prius, & sub eo potuisset comprehendi: verùm quia seorsim illud tradidit Hobbius, & quia peculiaribus premitur absurditatibus, visum est illud seorsim considerare, nempe eos qui in summo sunt imperio, nullis cuiquam pactis obligari. Nostrum erit ostendere, hoc ipsis Juris nomine datum, ipsorum potestatem reverà minuere aut pessundare; ipsúmque ne hîc quidem sibi satìs constare. Hoc ab ipso generaliter pronunciatur *cap. 7. §. 14.* & deducitur è dictis *§. 7. 9. 12.* ejusdem capitis, in quibus de pactis tantùm cum Civibus suis loquitur, quibus Imperantes negat obligari, ideoque nullam Civibus suis injuriam facere posse.

Inauditum sanè hoc est dogma, & purè Hobbianum, Epicurus enim, à quo cætera pleraque hausit, quanquam reliquas justitiæ partes plurimùm labefactaverit, iisque non aliam tribuat vim quàm quæ à pactorum fide derivetur, hanc tamen in omni statu inconcussam esse voluit. Audiamus itaque rationem Hobbii quâ tam insolens

Para-

Paradoxum fulcitur. Ea vero tota petenda est è *cap. 7. sect. 7.* ubi Populum nemini Civium obligari docuit. Cætera enim summarum Potestatum genera, nempe Curia Optimatum, & Monarcha, à populo juxta doctrinam Hobbianam omnia sua jura recipiunt, adeoque eâdem ratione à pactorum obligatione liberantur quâ liberatur Populus. Eam autem Hobbii verbis dicto loco positis accipite. *Postquam Civitas constituitur, si Civis cum Populo paciscitur frustra est, quia Populus voluntate suâ voluntatem Civis illius (cui supponitur obligari) complectitur, ideoque liberare se potest arbitrio suo, & per consequens jam actu est liber.* Nempe vis hujus ratiocinii in hoc sita est, quoniam Civis potestatem habet quemlibet liberandi ab obligatione pactorum cum se initorum, renunciando nempe suo juri, omnémque suam potestatem transtulit in populum; ergo populus potest se liberare à suis pactis; & quod potest facere, vult. Respondemus autem (1) Nullâ ratione probari posse quod in Civitatis constitutione futuri Cives consenserint hoc etiam Populo dare, ut possit se omni pactorum cum ipsis faciendorum obligatione liberare. Non est enim hoc necessarium ad Civilis Imperii constitutionem; immò est prorsus contrarium fini propter quem constituitur, communi nempe omnium saluti. Necesse est (fatemur) ut renuncient omni juri cogendi eos qui summum Imperium obtinent. Verùm alia manet obligatio quâ tenetur Populus pacta cum Civibus inita servare. Obligatio nempe Legis naturalis, ex auctoritate & sanctione divinâ fluens. Hujus beneficium & tutò possint Cives sibi reservare, & præsumendum est quòd id volunt, quia ad finem communem est necessarium. Immò sanè credo nec licitum esse Civibus hanc dare Imperantibus licentiam fidem suam violandi, nec licitum Imperantibus eam oblatam accipere, propter vim Legis naturalis indispensabilem, qua propter

com-

commune Bonum utraque pars Dei auctoritate tenetur, quantum in ipsis est, facere ut fides pactorum sit inviolabilis. (2) Respondeo falsam esse illam consequentiam è qua immediatè deducitur Hobbii conclusio. Potest Populus se liberare arbitrio suo, ergo actu est liber. Ejus autem falsitas indè constat, quoniam pari planè consequentiâ contradictoria conclusioni Hobbianæ propositio inferri potest. Nempe sic. Potest populus se non liberare (à pactorum obligatione) arbitrio suo, ergo actu non est liber. Utrobique à posse ad velle in agentibus liberis non valet consequentia. Tota ratio propter quam, secundùm Principia Hobbiana, magìs valet prior quàm posterior consequentia, hæc est, quòd præsumat ille humanum genus, ipsósque adeò Imperantes, id semper necessariò velle quod aliis est malum, si vel tantillo major potentia volentibus indè accedat. Verùm observet obsecro Lector, quantopere Civibus suis exosos, indéque re ipsâ impotentes, hoc faciat Imperantes. Quidni pariter inferamus Populum velle negligere securitatem Civibus necessariam? quia potest hoc facere; indéque omnis statim Civitas dissolveretur, quia nemo (juxta Hobbium *cap.* 6. §. 3. 4.) intelligitur Civitati se submisisse, seu transiisse è statu belli adversùs omnes, si ipsius securitati non sit satìs consultum, pœnis nempe tantis ut apertè majus sit malum Civem læsisse quàm non læsisse. Potest autem Civitas licitè aliquando de pœnis sontibus infligendis dispensare. Nihilominus perniciosum est indè colligere eam liberam esse ab obligatione ad pœnas malis infligendas.

Manifestum opinor ex his factum est, Hobbium non satìs probâsse insolens hoc Dogma, quo Imperantes obligatione pactorum cum suis Civibus initorum liberos pronunciat. Eâdemque operâ nonnulla suggessimus è quibus patet illud Civitatibus perniciosum esse. His tamen hoc adjiciendum esse censeo. Summa Imperia nec constitui posse

nec

Paradoxum fulcitur. Ea vero tota petenda est è *cap. 7. sect. 7.* ubi Populum nemini Civium obligari docuit. Cætera enim summarum Potestatum genera, nempe Curia Optimatum, & Monarcha, à populo juxta doctrinam Hobbianam omnia sua jura recipiunt, adeoque eâdem ratione à pactorum obligatione liberantur quâ liberatur Populus. Eam autem Hobbii verbis dicto loco positis accipite. *Postquam Civitas constituitur, si Civis cum Populo paciscitur frustra est, quia Populus voluntate suâ voluntatem Civis illius (cui supponitur obligari) complectitur, ideoque liberare se potest arbitrio suo, & per consequens jam actu est liber.* Nempe vis hujus ratiocinii in hoc sita est, quoniam Civis potestatem habet quemlibet liberandi ab obligatione pactorum cum se initorum, renunciando nempe suo juri, omnémque suam potestatem transtulit in populum; ergo populus potest se liberare à suis pactis; & quod potest facere, vult. Respondemus autem (1) Nullâ ratione probari posse quod in Civitatis constitutione futuri Cives consenserint hoc etiam Populo dare, ut possit se omni pactorum cum ipsis faciendorum obligatione liberare. Non est enim hoc necessarium ad Civilis Imperii constitutionem, immò est prorsus contrarium fini propter quem constituitur, communi nempe omnium saluti. Necesse est (fatemur) ut renuncient omni juri cogendi eos qui summum Imperium obtinent. Verùm alia manet obligatio quâ tenetur Populus pacta cum Civibus inita servare. Obligatio nempe Legis naturalis, ex auctoritate & sanctione divinâ fluens. Hujus beneficium & tutò possint Cives sibi reservare, & præsumendum est quòd id volunt, quia ad finem communem est necessarium. Immò sanè credo nec licitum esse Civibus hanc dare Imperantibus licentiam fidem suam violandi, nec licitum Imperantibus eam oblatam accipere, propter vim Legis naturalis indispensabilem, qua propter com-

commune Bonum utraque pars Dei auctoritate tenetur, quantum in ipsis est, facere ut fides pactorum sit inviolabilis. (2) Respondeo falsam esse illam consequentiam è qua immediatè deducitur Hobbii conclusio. Potest Populus se liberare arbitrio suo, ergo actu est liber. Ejus autem falsitas indè constat, quoniam pari planè consequentiâ contradictoria conclusioni Hobbianæ propositio inferri potest. Nempe sic. Potest populus se non liberare (à pactorum obligatione) arbitrio suo, ergo actu non est liber. Utrobique à posse ad velle in agentibus liberis non valet consequentia. Tota ratio propter quam, secundùm Principia Hobbiana, magìs valet prior quàm posterior consequentia, hæc est, quòd præsumat ille humanum genus, ipsósque adeò Imperantes, id semper necessariò velle quod aliis est malum, si vel tantillo major potentia volentibus indè accedat. Verùm observet obsecro Lector, quantopere Civibus suis exosos, indéque re ipsâ impotentes, hoc faciat Imperantes. Quidni pariter inferamus Populum velle negligere securitatem Civibus necessariam? quia potest hoc facere; indéque omnis statim Civitas dissolveretur, quia nemo (juxta Hobbium *cap.* 6. §. 3. 4.) intelligitur Civitati se submisisse, seu transiisse è statu belli adversùs omnes, si ipsius securitati non sit satìs consultum, pœnis nempe tantis ut apertè majus sit malum Civem læsisse quàm non læsisse. Potest autem Civitas licitè aliquando de pœnis sontibus infligendis dispensare. Nihilominus perniciosum est indè colligere eam liberam esse ab obligatione ad pœnas malis infligendas.

Manifestum opinor ex his factum est, Hobbium non satìs probâsse insolens hoc Dogma, quo Imperantes obligatione pactorum cum suis Civibus initorum liberos pronunciat. Eâdemque operâ nonnulla suggessimus è quibus patet illud Civitatibus perniciosum esse. His tamen hoc adjiciendum esse censeo. Summa Imperia nec constitui posse

nec

nec conservari ab hominibus ratione suâ utentibus, nisi propter finem iis communem, id est, nisi constet eorum regimen futurum esse medium ad publicam salutem, eorum præsertim à quibus constituitur & conservatur. Hoc autem quoniam est futurum, dependens ab Imperantium voluntate, non aliter constare potest quàm è promissis pactísve (quibus addantur juramenta) imperium gerentium, & ex eorum cura ut hæc impleantur fidelissimè. Sublatâ itaque ab Hobbio talium pactorum obligatione, tollitur omnis ratio, cur subditi sperarent Imperantes hæc pacta præstituros esse; omnis pariter evanescit ratio cur Imperantes de fide sua servanda sint solliciti; adeoque omnis tollitur ratio cur aut constituerentur aut conservarentur Imperia, ipsáque ideo collabuntur necessariò. Porro, ut nulla prorsus securitas subditis relinqueretur è verbis imperantium, adjicit Hobbius Juramentum obligationi Pactorum nihil addere *cap. 2. §. 22.* Ideoque ubi obligatio pactorum ulla est (ut in casu quo Principes paciscuntur juxta doctrinam Hobbianam) Juramentorum similiter iis additorum in Coronatione & Fœderibus nonnullis, nulla erit obligatio. Hoc autem non solùm miseram facit subditorum conditionem, sed & Principum, quibus, si vera foret hæc assertio, nulla unquam fides à subditis suis deberetur, nulláque iis relinquitur via quâ certos faciant homines qui de iis bene merebuntur, eos præmiis quæ promiserunt esse fruituros. His autem sublatis vires Principum evanescunt, nervíque omnes Regiminis Civilis succiduntur, quibus suos ciere possint ad quicquam fideliter aut fortiter agendum in Bello aut Pace.

§. XXII. Videamus nunc quid sentiat Hobbius de Civitatum pactis cum aliis Civitatibus. Id autem facilè intelligamus ex iis quæ antea dicta sunt de statu Naturæ, in quo Leges naturales contendit non obligare ad actus exter-

externos. At fidem servare seu pacta præstare est Legis naturalis mandatum, actúsque externus hîc requiritur. Sic *cap. 5. sect. 2.* affirmat inter arma (seu in statu belli omnium contra omnes) silère Leges naturales, si ad actiones externas referantur. Modúmque illum qui observari solet in bello nationis contra nationem non esse ita accipiendum tanquam ad id astringerentur Lege naturali. Verùm apertiùs alibi quæstioni nostræ respondet, nempe *Cap. 13. §. 7. Status*, inquit, *Civitatum inter se naturalis, id est hostilis, est*; *neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut* cap. 2. artic. 11. *ostensum est, ex eo quòd pacta in statu naturæ quoties justus metus intercedit sunt invalida; ostensum est & in* Leviath. cap. 13. *Reges, inquit, & personæ summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt*, &c. *Quænam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit quod promisit, ea quæ metuit erit judex*, cap. 2. sect. 11. ideoque quælibet nova suspicionis causa sufficit, ut pactum mutuæ fidei (qualia sunt omnia fœdera inter Civitates) irritum fiat, ut patet partim ex antea citatis, partim è *Leviathanis cap. 14.* quoniam (scilicet) nulla est potentia coerciva supra ûtramque Civitatem, quæ faciat ut hæc ab illa non decipiatur. Ex his principiis Hobbius Principibus jus dedit quoties libuerit fidem aliis Principibus datam fallendi : Hoc autem etsi libertatis specie illis adblandiri videatur, re ipsâ tamen eorum vires plurimùm minuit, omnémque fere iis adimit securitatem. Nulla enim Civitas sibi sola sufficit, nec se tueri valet contra omnium vicinarum impetus, nisi cum aliis societur per fœdera commercii ac mutui auxilii. Atque hoc sentiunt etiam illi Principes qui aliis sæpiùs, & magis temerè fidem violant. Quippe statim postquam

cum

nec conservari ab hominibus ratione suâ utentibus, nisi propter finem iis communem, id est, nisi constet eorum regimen futurum esse medium ad publicam salutem, eorum præsertim à quibus constituitur & conservatur. Hoc autem quoniam est futurum, dependens ab Imperantium voluntate, non aliter constare potest quàm è promissis pactísve (quibus addantur juramenta) imperium gerentium, & ex eorum cura ut hæc impleantur fidelissimè. Sublatâ itaque ab Hobbio talium pactorum obligatione, tollitur omnis ratio, cur subditi sperarent Imperantes hæc pacta præstituros esse; omnis pariter evanescit ratio cur Imperantes de fide sua servanda sint solliciti; adeoque omnis tollitur ratio cur aut constituerentur aut conservarentur Imperia, ipsáque ideo collabuntur necessariò. Porro, ut nulla prorsus securitas subditis relinqueretur è verbis imperantium, adjicit Hobbius Juramentum obligationi Pactorum nihil addere *cap. 2. §. 22.* Ideoque ubi obligatio pactorum ulla est (ut in casu quo Principes paciscuntur juxta doctrinam Hobbianam) Juramentorum similiter iis additorum in Coronatione & Fœderibus nonnullis, nulla erit obligatio. Hoc autem non solùm miseram facit subditorum conditionem, sed & Principum, quibus, si vera foret hæc assertio, nulla unquam fides à subditis suis deberetur, nulláque iis relinquitur via quâ certos faciant homines qui de iis bene merebuntur, eos præmiis quæ promiserunt esse fruituros. His autem sublatis vires Principum evanescunt, nervíque omnes Regiminis Civilis succiduntur, quibus suos ciere possint ad quicquam fideliter aut fortiter agendum in Bello aut Pace.

§. XXII. Videamus nunc quid sentiat Hobbius de Civitatum pactis cum aliis Civitatibus. Id autem facilè intelligamus ex iis quæ antea dicta sunt de statu Naturæ, in quo Leges naturales contendit non obligare ad actus exter-

externos. At fidem servare seu pacta præstare est Legis naturalis mandatum, actúsque externus hîc requiritur. Sic *cap. 5. sect. 2.* affirmat inter arma (seu in statu belli omnium contra omnes) silère Leges naturales, si ad actiones externas referantur. Modúmque illum qui observari solet in bello nationis contra nationem non esse ita accipiendum tanquam ad id astringerentur Lege naturali. Verùm apertiùs alibi quæstioni nostræ respondet, nempe *Cap. 13. §. 7. Status*, inquit, *Civitatum inter se naturalis, id est hostilis, est; neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut* cap. 2. attic. 11. *ostensum est, ex eo quòd pacta in statu naturæ quoties justus metus intercedit sunt invalida; ostensum est & in* Leviath. cap. 13. *Reges, inquit, & personæ summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt*, &c. *Quænam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit quod promisit, ea quæ metuit erit judex*, cap. 2. sect. 11. ideoque quælibet nova suspicionis causa sufficit, ut pactum mutuæ fidei (qualia sunt omnia fœdera inter Civitates) irritum fiat, ut patet partim ex antea citatis, partim è *Leviathanis cap. 14.* quoniam (scilicet) nulla est potentia coerciva supra utramque Civitatem, quæ faciat ut hæc ab illa non decipiatur. Ex his principiis Hobbius Principibus jus dedit quoties libuerit fidem aliis Principibus datam fallendi: Hoc autem etsi libertatis specie illis adblandiri videatur, re ipsâ tamen eorum vires plurimùm minuit, omnémque fere iis adimit securitatem. Nulla enim Civitas sibi sola sufficit, nec se tueri valet contra omnium vicinarum impetus, nisi cum aliis societur per fœdera commercii ac mutui auxilii. Atque hoc sentiunt etiam illi Principes qui aliis sæpiùs, & magis temerè fidem violant. Quippe statim postquam

cum

cum uno populo aut Monarcha ruperunt fœdera, necesse habent se corroborare per fœdera cum aliis inita ne soli contra omnes dimicent. Ideoque mutant pacta, non omnia rejiciunt; & suam condemnant perfidiam hoc ipso quòd in aliorum fidem se recipiunt. Præterea manifestâ constat experientiâ, civitates omnes aliorum potentiam Fœderum ope limitare; & præcipuam partem Prudentiæ politicæ consistere in cognitione variorum modorum quibus per Fœdera librentur hostium vires: his autem nullus esset locus si pacta mutuæ fidei inter diversas Civitates essent invalida, juxta doctrinam Hobbianam. Hæc si vera fuissent Rex noster, dum per invalescentem in Britannia rebellionem è ditionibus suis exulabat, jure potuisset (horresco referens) occidi à Gallis, Hispanis, Batavisque apud quos commorabatur, idque postquàm amicitiam illi per pacta promisissent. Verùm Deus ipsos meliora docuit per Naturæ Leges eorum mentibus impressas; quamvis Hobbius eo ipso tempore doctrinam suam perfidiæ faventem, velut demonstratam in *Cive* suo per Galliam & Bataviam venditabat, eandémque in *Leviathane* tum edito inter Anglos inculcabat. Denique si status Civitatum inter se necessariò hostilis esset ac bellicus, & in eo vis & dolus essent virtutes cardinales ut docet Hobbius *Leviathan. 13.* nullum esset inter Civitates commercium, unde plurimis omnes carerent commodis quibus nunc fruuntur; nulla Regibus è commerciis accrescerent vectigalia, adeoque magna pars divitiarum quibus nunc muniuntur tolleretur; nulla esset Legatorum incolumitas, immò nullus eorum usus; frustra enim esset inire fœdera si cùm quælibet interveniat suspicio de præstatione statim fiunt invalida, juxta *Leviathan. 14.* Hæc scilicet sunt privilegia quæ munificè Regibus offert Hobbius, hæc δῶρα ἄδωρα quæ illis donat. Nihilominus operam adeò sedulam quam videri vult Principibus navare ipse meritò suspectam

fecit,

fecit, quoniam apertè profitetur, quòd adulari aliis est ipsos honorare, quia (scil.) signum est quòd Protectione vel auxilio eorum indigemus *Leviath.c.10*. Editionis Latinæ *p.45*. Notum autem est quòd falsa etiam, quæ non credimus de quopiam dicere, modò magna videantur, est essentiale adulationi. Meritò ergo suspicentur Principes Hobbium tanta illis tribuere, non quia vera crediderit, cùm sibi toties contradixerit; sed quia videbantur esse, & quia crediderit se illos honorare adulando.

§.XXIII. *6.* Quæ de crimine læsæ Majestatis in subditis docuit Hobbius, si conjunctim cum præcipuis illius opinionibus propriis considerentur, ad perpetrandum hoc crimen eos animant, adeoque ad Regiminis Civilis subversionem apertè faciunt. Docuit enim c.14.§.21.22. hoc peccatum Legis Naturalis transgressionem esse, non Civilis. Adeoq; hujus Criminis reos puniri non jure Imperii, sed jure belli; non ut Cives malos, sed ut hostes Civitatis. Pronum autem est hinc colligere, Civem rebellione suâ se eximere posse è statu subditi, & se transferre in statum hostis, seu statum naturalem. Indè verò mox sequetur rebellem hunc recuperasse jus naturale morte mulctandi Regem suum à quo defecit, pariter atque Rex jus habet illum occidendi. In statu enim hostili, seu naturali Hobbiano paria sunt utrinque jura. Sequetur insuper Civem non aliâ pœnâ dignum esse ob crimen læsæ Majestatis, quàm illâ cui exponitur, si jus suum ad necessaria vitæ conservandæ tueatur in statu naturæ. Tunc enim ut hostis tractabitur ab alio quovis, qui jus ad omnia sibimet vendicet. Immò verò apertè docuit Hobbius *Lev. c.28.* malum hostibus (quanquam antea Cives fuerint) inflictum nomine pœnæ obnoxios esse rebelles, quanquam exponantur calamitatibus statûs naturalis. Præterea cum innumeræ sint in plerisque Civitatibus, nostrâ præsertim, Leges Civiles, quæ pœnas gravissimas statuerint in reos criminis læsæ Majestatis, nihil Legibus magis repugnans dici

potest quàm eos sub pœna non cadere, aut eorum crimen non esse transgressionem Legis Civilis quæ pœnam illis interminatur. Ridicula est evasio, quâ dicit superfluam esse obligationem ad id ad quod antea obligati erant, per Legē nempe Naturalem. Pluribus certè vinculis fortiùs ligatur, qui uno priùs ligatus fuerat. Præterea ipse multis modis Legis naturalis obligationem minuere vel etiam tollere conatus est, ideoque auxiliis à Lege Civili ferendis opus erat, ut qui ab eo docti omnem iis reverentiam excusserant, Civilis potestatis metu in officio aliquatenus continerentur. Manifestum enim est omnia quæ obligationem Legum naturalium minuunt aut tollunt, illius præsertim quæ de pactorum fide servanda præcipit, eatenus crimen læsæ Majestatis aut extenuare aut tollere, adeoque homines in pessimum illud scelus pellicere. Ideoque, velit nolit Hobbius, in hoc crimen homines sollicitat, quoties affirmat Dictamina hæc rationis impropriè dici Leges, & esse tantùm Theoremata de iis rebus quæ ad conservationem hominum conducunt, ut *Leviath. cap. 15.* & *de Cive, cap. 3. sect 33.* ubi dicit ea quatenus à Deo in scriptura lata sunt propriè esse Leges, sed si ab illo quæramus unde Scriptura sacra Lex sit? Respondet *Leviath. cap. 33.* Illos quibus Deus non revelavit supernaturaliter quòd Scripturæ ab illo sint, nullâ, ut eas recipiant, Authoritate obligari præterquam ejus qui summam habet in Civitate potestatem. Is enim solùs est Legislator. Ex his colligitur, Legem naturalem etiam quatenus in Scriptura continetur, propriè non esse Legem nisi per auctoritatem Civilem. Quanquam enim agnoscit paulò antè esse eam Legem Dei, & auctoritatem habere manifestam. Quoniam tamen auctoritatem hanc non aliam esse docet quàm quæ omni doctrinæ morali, si vera sit, attribuenda est, innuere vult eam non esse sufficientem ut Leges propriè dictæ fiant nisi civilis accesserit auctoritas. Ex his sequetur crimen læsæ Majestatis nullâ

Lege

Lege propriè dictâ vetari, adeoque propriè non esse crimen. Nam Lex naturalis quæ eam vetat, non est Lex propriè dicta secundùm Hobbium, & secundùm eundem, hoc crimen non est transgressio Legis à Civili Auctoritate stabilitæ. Huic etiam Crimini favent illa omnia loca quibus docuit Leges naturales (sumamus exempli gratiâ hanc de pactis servandis, quâ perduellio vetatur) non obligare ad actus externos (v.g. non vetare actum externum Regicidii) nisi sufficiens cuivis detur securitas ab injuriis aliorum omnium, ut *cap.5.§.1.2,&c.* per Civilem potestatem, quæ cogere possit utramque partem ad obedientiam Legibus naturalibus præstandam. At hic docet Imperium illud Civile nec constitui, nec conservari posse tutum à crimine læsæ Majestatis, nisi virtute obligationis Legis naturalis; quæ si ad externos etiam actus non pertingat, non erunt securi Reges à perduellione. Quapropter necesse est ut fateatur Imperium Civile, atque obligationem ad obedientiam Civilem è cujus violatione totali nascitur crimen læsæ Majestatis, fundamento niti quod ipse docuit esse planè invalidum, nisi dum sui effecti viribus fulciatur. Impossibile autem est ut effectum dum nondum existit vires subministret suæ causæ, cujus ope producendum est primò, & deinde conservandum. Quicquid autem invalidum facit fundamentum obligationis ad obedientiam civilem, id crimen læsæ Majestatis (quâ tota simul obedientia Civilis excutitur) minuit, vel potiùs nullum esse declarat. Denique ad perduellionem homines animant principia Hobbiana, quatenus omnia summi Imperii jura æqualiter concedunt iis, qui per seditionem, aut nefarium Regicidium ad thronum ascenderunt, ac Regibus titulo justissimo actoritatem suam acquirentibus. Patet hoc, quoniam apertè profitetur *c.15. §.5.* è naturali jure omnium in omnia unicuique esse jus in omnes regnandi ipsi naturæ coævum. Ideoque quicunq; potentiam omnem superiorem quâcunq; ratione excutere potest, hoc ipso re-

movet impedimentum omne quo prohibetur jure suo uti; & postquam thronum occupaverit, secundùm hæc principia dicetur jure imperare, adeoque non erit Tyrannus. Hinc est quòd Hobbius suis opinionibus satìs congrue affirmat, in tempore seditionis & belli Civilis duo fieri summa Imperia ex uno, *c.6.§.13*. Scilicet Belli Civilis auctor rebellione suâ summum acquisivit in ejusdem sceleris conscios Imperium, & jure se suosque contra Regem suum defendere potest; ut antea ostendimus è disertis verbis *Leviathanis*. Hinc etiam rectissimè, in Epistola *Leviathani* præmissâ, fatetur, se ita summas potestates defendere uti olim Anseres Capitolini Romanos, qui Capitolium tenuerunt, clangore suo defendebant; non enim illis magis favebant, quàm Gallis eorum hostibus, sed parati fuerunt eodem modo Gallos defendere, si illi Capitolium occupâssent. Comparet Lector (si tanti videatur) epistolam præmissam Anglicanæ Editioni *Leviathanis*, quæ prodiit quo tempore triumphabat in Britannia rebellio, & Rex legitimus exulabat (ubi apertiùs hoc profitetur) cum eadem Latinè editâ & aliquantisper immutatâ, ubi visum est illud tectiùs innuere, postquam Rex optimus jura sua recuperâsset. Mihi ea quæ hactenus dicta sunt satis videntur probare, Hobbium, dum præ se fert munera Principibus unâ manu offerre, alterâ manu gladium in eorum pectora perfidè adigere.

F I N I S.





nec conſervari ab hominibus ratione ſuâ utentibus, niſi propter finem iis communem, id eſt, niſi conſtet eorum regimen futurum eſſe medium ad publicam ſalutem, eorum præſertim à quibus conſtituitur & conſervatur. Hoc autem quoniam eſt futurum, dependens ab Imperantium voluntate, non aliter conſtare poteſt quàm è promiſſis pactiſve (quibus addantur juramenta) imperium gerentium, & ex eorum cura ut hæc impleantur fideliſſimè. Sublatâ itaque ab Hobbio talium pactorum obligatione, tollitur omnis ratio, cur ſubditi ſperarent Imperantes hæc pacta præſtituros eſſe; omnis pariter evaneſcit ratio cur Imperantes de fide ſua ſervanda ſint ſolliciti; adeoque omnis tollitur ratio cur aut conſtituerentur aut conſervarentur Imperia, ipſáque ideo collabuntur neceſſariò. Porro, ut nulla prorſus ſecuritas ſubditis relinqueretur è verbis imperantium, adjicit Hobbius Juramentum obligationi Pactorum nihil addere *cap. 2. §. 22.* Ideoque ubi obligatio pactorum ulla eſt (ut in caſu quo Principes paciſcuntur juxta doctrinam Hobbianam) Juramentorum ſimiliter iis additorum in Coronatione & Fœderibus nonnullis, nulla erit obligatio. Hoc autem non ſolùm miſeram facit ſubditorum conditionem, ſed & Principum, quibus, ſi vera foret hæc aſſertio, nulla unquam fides à ſubditis ſuis deberetur, nulláque iis relinquitur via quâ certos faciant homines qui de iis bene merebuntur, eos præmiis quæ promiſerunt eſſe fruituros. His autem ſublatis vires Principum evaneſcunt, nervíque omnes Regiminis Civilis ſucciduntur, quibus ſuos ciere poſſint ad quicquam fideliter aut fortiter agendum in Bello aut Pace.

§. XXII. Videamus nunc quid ſentiat Hobbius de Civitatum pactis cum aliis Civitatibus. Id autem facilè intelligamus ex iis quæ antea dicta ſunt de ſtatu Naturæ, in quo Leges naturales contendit non obligare ad actus exter-

externos. At fidem servare seu pacta præstare est Legis naturalis mandatum, actúsque externus hîc requiritur. Sic *cap. 5. sect. 2.* affirmat inter arma (seu in statu belli omnium contra omnes) silere Leges naturales, si ad actiones externas referantur. Modúmque illum qui observari solet in bello nationis contra nationem non esse ita accipiendum tanquam ad id astringerentur Lege naturali. Verùm apertiùs alibi quæstioni nostræ respondet, nempe *Cap. 13. §. 7. Status*, inquit, *Civitatum inter se naturalis, id est hostilis, est; neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut* cap. 2. artic. 11. *ostensum est, ex eo quòd pacta in statu naturæ quoties justus metus intercedit sunt invalida; ostensum est & in* Leviath. cap. 13. *Reges, inquit, & personæ summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt*, &c. *Quanam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit quod promisit, ea quæ metuit erit judex*, cap. 2. sect. 11. ideoque quælibet nova suspicionis causa sufficit, ut pactum mutuæ fidei (qualia sunt omnia fœdera inter Civitates) irritum fiat, ut patet partim ex antea citatis, partim è *Leviathanis cap. 14.* quoniam (scilicet) nulla est potentia coerciva supra utramque Civitatem, quæ faciat ut hæc ab illa non decipiatur. Ex his principiis Hobbius Principibus jus dedit quoties libuerit fidem aliis Principibus datam fallendi : Hoc autem etsi libertatis specie illis adblandiri videatur, re ipsâ tamen eorum vires plurimùm minuit, omnémque fere iis adimit securitatem. Nulla enim Civitas sibi sola sufficit, nec se tueri valet contra omnium vicinarum impetus, nisi cum aliis societur per fœdera commercii ac mutui auxilii. Atque hoc sentiunt etiam illi Principes qui aliis sæpiùs, & magis temerè fidem violant. Quippe statim postquam

cum

cum uno populo aut Monarcha ruperunt fœdera, necess habent se corroborare per fœdera cum aliis inita ne sol contra omnes dimicent. Ideoque mutant pacta, non omni: rejiciunt; & suam condemnant perfidiam hoc ipso quòc in aliorum fidem se recipiunt. Præterea manifestâ consta experientiâ, civitates omnes aliorum potentiam Fœderum ope limitare; & præcipuam partem Prudentiæ politica consistere in cognitione variorum modorum quibus pei Fœdera librentur hostium vires: his autem nullus esset locus si pacta mutuæ fidei inter diversas Civitates essent invalida, juxta doctrinam Hobbianam. Hæc si vera fuissent Rex noster, dum per invalescentem in Britannia rebellionem è ditionibus suis exulabat, jure potuisset (horresco referens) occidi à Gallis, Hispanis, Batavisque apud quos commorabatur, idque postquàm amicitiam illi per pacta promisissent. Verùm Deus ipsos melior: docuit per Naturæ Leges eorum mentibus impressas: quamvis Hobbius eo ipso tempore doctrinam suam perfidiæ faventem, velut demonstratam in *Cive* suo per Galliam & Bataviam venditabat, eandémque in *Leviathane* tum edito inter Anglos inculcabat. Denique si status Civitatum inter se necessariò hostilis esset ac bellicus, & in eo vis & dolus essent virtutes cardinales ut docet Hobbius *Leviathan. 13.* nullum esset inter Civitates commercium, unde plurimis omnes carerent commodis quibus nunc fruuntur; nulla Regibus è commerciis accrescerent vectigalia, adeoque magna pars divitiarum quibus nunc muniuntur tolleretur; nulla esset Legatorum incolumitas, immò nullus eorum usus; frustra enim esset inire fœdera si cùm quælibet interveniat suspicio de præstatione statim fiunt invalida, juxta *Leviathan. 14.* Hæc scilicet sunt privilegia quæ munificè Regibus offert Hobbius, hæc δῶρα ἄδωρα quæ illis donat. Nihilominus operam adeò sedulam quam videri vult Principibus navare ipse meritò suspectam fecit,

fecit,quoniam apertè profitetur, quòd adulari aliis eſt ipſos honorare,quia(ſcil.) ſignum eſt quòd Protectione vel auxilio eorum indigemus *Leviath.c.10*. Editionis Latinæ *p.45*. Notum autem eſt quòd falſa etiam, quæ non credimus de quopiam dicere,modò magna videantur, eſt eſſentiale adulationi. Meritò ergo ſuſpicentur Principes Hobbium tanta illis tribuere,non quia vera crediderit,cùm ſibi toties contradixerit; ſed quia videbantur eſſe, & quia crediderit ſe illos honorare adulando.

§.XXIII. *6*. Quæ de crimine læſæ Majeſtatis in ſubditis docuit Hobbius,ſi conjunctim cum præcipuis illius opinionibus propriis conſiderentur, ad perpetrandum hoc crimen eos animant, adeoque ad Regiminis Civilis ſubverſionem apertè faciunt. Docuit enim c.14.§.21.22.hoc peccatum Legis Naturalis transgreſſionem eſſe,non Civilis. Adeoq; hujus Criminis reos puniri non jure Imperii, ſed jure belli; non ut Cives malos,ſed ut hoſtes Civitatis. Pronum autem eſt hinc colligere, Civem rebellione ſuâ ſe eximere poſſe è ſtatu ſubditi,& ſe transferre in ſtatum hoſtis,ſeu ſtatum naturalem.Indè verò mox ſequetur rebellem hunc recuperaſſe jus naturale mortc mulctandi Regem ſuum à quo defecit, pariter atque Rex jus habet illum occidendi. In ſtatu enim hoſtili,ſeu naturali Hobbiano paria ſunt utrinque jura. Sequetur inſuper Civem non aliâ pœnâ dignum eſſe ob crimen læſæ Majeſtatis,quàm illâ cui exponitur,ſi jus ſuum ad neceſſaria vitæ conſervandæ tueatur in ſtatu naturæ. Tunc enim ut hoſtis tractabitur ab alio quovis, qui jus ad omnia ſibimet vendicet. Immò verò apertè docuit Hobbius *Lev. c.28*. malum hoſtibus(quanquam antea Cives fuerint) inflictum nomine pœnæ obnoxios eſſe rebelles, quanquam exponantur calamitatibus ſtatûs naturalis.Præterea cum innumeræ ſint in plerisque Civitatibus,noſtrâ præſertim, Leges Civiles,quæ pœnas graviſſimas ſtatuerint in reos criminis læſæ Majeſtatis, nihil Legibus magis repugnans dici

 po-

potest quàm eos sub pœna non cadere, aut eorum crimen non esse transgressionem Legis Civilis quæ pœnam illis interminatur. Ridicula est evasio, quâ dicit superfluam esse obligationem ad id ad quod antea obligati erant, per Legē nempe Naturalem. Pluribus certè vinculis fortiùs ligatur, qui uno priùs ligatus fuerat. Præterea ipse multis modis Legis naturalis obligationem minuere vel etiam tollere conatus est, ideoque auxiliis à Lege Civili ferendis opus erat, ut qui ab eo docti omnem iis reverentiam excusserant, Civilis potestatis metu in officio aliquatenus continerentur. Manifestum enim est omnia quæ obligationem Legum naturalium minuunt aut tollunt, illius præsertim quæ de pactorum fide servanda præcipit, eatenus crimen læsæ Majestatis aut extenuare aut tollere, adeoque homines in pessimum illud scelus pellicere. Ideoque, velit nolit Hobbius, in hoc crimen homines sollicitat, quoties affirmat Dictamina hæc rationis impropriè dici Leges, & esse tantùm Theoremata de iis rebus quæ ad conservationem hominum conducunt, ut *Leviath, cap. 15.* & *de Cive, cap. 3. sect. 33.* ubi dicit ea quatenus à Deo in scriptura lata sunt propriè esse Leges, sed si ab illo quæramus unde Scriptura sacra Lex sit? Respondet *Leviath. cap. 33.* Illos quibus Deus non revelavit supernaturaliter quòd Scripturæ ab illo sint, nullâ, ut eas recipiant, Authoritate obligari præterquam ejus qui summam habet in Civitate potestatem. Is enim solus est Legislator. Ex his colligitur, Legem naturalem etiam quatenus in Scriptura continetur, propriè non esse Legem nisi per auctoritatem Civilem. Quanquam enim agnoscit paulò antè esse eam Legem Dei, & auctoritatem habere manifestam. Quoniam tamen auctoritatem hanc non aliam esse docet quàm quæ omni doctrinæ morali, si vera sit, attribuenda est, innuere vult eam non esse sufficientem ut Leges propriè dictæ fiant nisi civilis accesserit auctoritas. Ex his sequetur crimen læsæ Majestatis nullâ

Lege


Lege propriè dictâ vetari, adeoque propriè non esse crimen. Nam Lex naturalis quæ eam vetat, non est Lex propriè dicta secundùm Hobbium, & secundùm eundem, hoc crimen non est transgressio Legis à Civili Auctoritate stabilitæ. Huic etiam Crimini favent illa omnia loca quibus docuit Leges naturales (sumamus exempli gratiâ hanc de pactis servandis, quâ perduellio vetatur) non obligare ad actus externos (v,g. non vetare actum externum Regicidii) nisi sufficiens cuivis detur securitas ab injuriis aliorum omnium, ut *cap.5.§.1.2,&c.* per Civilem potestatem, quæ cogere possit utramque partem ad obedientiam Legibus naturalibus præstandam. At hic docet Imperium illud Civile nec constitui, nec conservari posse tutum à crimine læsæ Majestatis, nisi virtute obligationis Legis naturalis; quæ si ad externos etiam actus non pertingat, non erunt securi Reges à perduellione. Quapropter necesse est ut fateatur Imperium Civile, atque obligationem ad obedientiam Civilem è cujus violatione totali nascitur crimen læsæ Majestatis, fundamento niti quod ipse docuit esse planè invalidum, nisi dum sui effecti viribus fulciatur. Impossibile autem est ut effectum dum nondum existit vires subministret suæ causæ, cujus ope producendum est primò, & deinde conservandum. Quicquid autem invalidum facit fundamentum obligationis ad obedientiam civilem, id crimen læsæ Majestatis (quâ tota simul obedientia Civilis excutitur) minuit, vel potiùs nullum esse declarat. Denique ad perduellionem homines animant principia Hobbiana, quatenus omnia summi Imperii jura æqualiter concedunt iis, qui per seditionem, aut nefarium Regicidium ad thronum ascenderunt, ac Regibus titulo justissimo actoritatem suam acquirentibus. Patet hoc, quoniam apertè profitetur *c,15. §.5.* è naturali jure omnium in omnia unicuique esse jus in omnes regnandi ipsi naturæ coævum. Ideoque quicunq; potentiam omnem superiorem quâcunq; ratione excutere potest, hoc ipso re-

movet impedimentum omne quo prohibetur jure suo uti; & postquam thronum occupaverit, secundùm hæc principia dicetur jure imperare, adeoque non erit Tyrannus. Hinc est quòd Hobbius suis opinionibus satis congrue affirmat, in tempore seditionis & belli Civilis duo fieri summa Imperia ex uno, *c.6.§.13.* Scilicet Belli Civilis auctor rebellione suâ summum acquisivit in ejusdem sceleris conscios Imperium, & jure se suosque contra Regem suum defendere potest; ut antea ostendimus è disertis verbis *Leviathanis.* Hinc etiam rectissimè, in Epistola *Leviathani* præmissâ, fatetur, se ita summas potestates defendere uti olim Anseres Capitolini Romanos, qui Capitolium tenuerunt, clangore suo defendebant; non enim illis magis favebant, quàm Gallis eorum hostibus, sed parati fuerunt eodem modo Gallos defendere, si illi Capitolium occupâssent. Comparet Lector (si tanti videatur) epistolam præmissam Anglicanæ Editioni *Leviathanis*, quæ prodiit quo tempore triumphabat in Britannia rebellio, & Rex legitimus exulabat (ubi apertiùs hoc profitetur) cum eadem Latinè editâ & aliquantisper immutatâ, ubi visum est illud tectiùs innuere, postquam Rex optimus jura sua recuperâsset. Mihi ea quæ hactenus dicta sunt satis videntur probare, Hobbium, dum præ se fert munera Principibus unâ manu offerre, alterâ manu gladium in eorum pectora perfidè adigere.

F I N I S.







Paradoxum fulcitur. Ea vero tota petenda est è *cap. 7. sect. 7.* ubi Populum nemini Civium obligari docuit. Cætera enim summarum Potestatum genera, nempe Curia Optimatum, & Monarcha, à populo juxta doctrinam Hobbianam omnia sua jura recipiunt, adeoque eâdem ratione à pactorum obligatione liberantur quâ liberatur Populus. Eam autem Hobbii verbis dicto loco positis accipite. *Postquam Civitas constituitur, si Civis cum Populo paciscitur frustra est, quia Populus voluntate suâ voluntatem Civis illius (cui supponitur obligari) complectitur, ideoque liberare se potest arbitrio suo, & per consequens jam actu est liber.* Nempe vis hujus ratiocinii in hoc sita est, quoniam Civis potestatem habet quemlibet liberandi ab obligatione pactorum cum se initorum, renunciando nempe suo juri, omnémque suam potestatem transtulit in populum; ergo populus potest se liberare à suis pactis; & quod potest facere, vult. Respondemus autem (1) Nullâ ratione probari posse quod in Civitatis constitutione futuri Cives consenserint hoc etiam Populo dare, ut possit se omni pactorum cum ipsis faciendorum obligatione liberare. Non est enim hoc necessarium ad Civilis Imperii constitutionem, immò est prorsus contrarium fini propter quem constituitur, communi nempe omnium saluti. Necesse est (fatemur) ut renuncient omni juri cogendi eos qui summum Imperium obtinent. Verùm alia manet obligatio quâ tenetur Populus pacta cum Civibus inita servare. Obligatio nempe Legis naturalis, ex auctoritate & sanctione divinâ fluens. Hujus beneficium & tutò possint Cives sibi reservare, & præsumendum est quòd id volunt, quia ad finem communem est necessarium. Immò sanè credo nec licitum esse Civibus hanc dare Imperantibus licentiam fidem suam violandi, nec licitum Imperantibus eam oblatam accipere, propter vim Legis naturalis indispensabilem, qua propter com-

commune Bonum utraque pars Dei auctoritate tenetur, quantum in ipsis est, facere ut fides pactorum sit inviolabilis. (2) Respondeo falsam esse illam consequentiam è qua immediatè deducitur Hobbii conclusio. Potest Populus se liberare arbitrio suo, ergo actu est liber. Ejus autem falsitas indè constat, quoniam pari planè consequentiâ contradictoria conclusioni Hobbianæ propositio inferri potest. Nempe sic. Potest populus se non liberare (à pactorum obligatione) arbitrio suo, ergo actu non est liber. Utrobique à posse ad velle in agentibus liberis non valet consequentia. Tota ratio propter quam, secundùm Principia Hobbiana, magìs valet prior quàm posterior consequentia, hæc est, quòd præsumat ille humanum genus, ipsósque adeò Imperantes, id semper necessariò velle quod aliis est malum, si vel tantillo major potentia volentibus indè accedat. Verùm observet obsecro Lector, quantopere Civibus suis exosos, indéque re ipsâ impotentes, hoc faciat Imperantes. Quidni pariter inferamus Populum velle negligere securitatem Civibus necessariam? quia potest hoc facere; indéque omnis statim Civitas dissolveretur, quia nemo (juxta Hobbium *cap.* 6. §. 3. 4.) intelligitur Civitati se submisisse, seu transiisse è statu belli adversùs omnes, si ipsius securitati non sit satìs consultum, pœnis nempe tantis ut apertè majus sit malum Civem læsisse quàm non læsisse. Potest autem Civitas licitè aliquando de pœnis sontibus infligendis dispensare. Nihilominus perniciosum est indè colligere eam liberam esse ab obligatione ad pœnas malis infligendas.

Manifestum opinor ex his factum est, Hobbium non satìs probâsse insolens hoc Dogma, quo Imperantes obligatione pactorum cum suis Civibus initorum liberos pronunciat. Eâdemque operâ nonnulla suggessimus è quibus patet illud Civitatibus perniciosum esse. His tamen hoc adjiciendum esse censeo. Summa Imperia nec constitui posse

nec conservari ab hominibus ratione suâ utentibus, nisi propter finem iis communem, id est, nisi constet eorum regimen futurum esse medium ad publicam salutem, eorum præsertim à quibus constituitur & conservatur. Hoc autem quoniam est futurum, dependens ab Imperantium voluntate, non aliter constare potest quàm è promissis pactísve (quibus addantur juramenta) imperium gerentium, & ex eorum cura ut hæc impleantur fidelissimè. Sublatâ itaque ab Hobbio talium pactorum obligatione, tollitur omnis ratio, cur subditi sperarent Imperantes hæc pacta præstituros esse; omnis pariter evanescit ratio cur Imperantes de fide sua servanda sint solliciti; adeoque omnis tollitur ratio cur aut constituerentur aut conservarentur Imperia, ipsáque ideo collabuntur necessariò. Porro, ut nulla prorsus securitas subditis relinqueretur è verbis imperantium, adjicit Hobbius Juramentum obligationi Pactorum nihil addere *cap. 2. §. 22.* Ideoque ubi obligatio pactorum ulla est (ut in casu quo Principes paciscuntur juxta doctrinam Hobbianam) Juramentorum similiter iis additorum in Coronatione & Fœderibus nonnullis, nulla erit obligatio. Hoc autem non solùm miseram facit subditorum conditionem, sed & Principum, quibus, si vera foret hæc assertio, nulla unquam fides à subditis suis deberetur, nulláque iis relinquitur via quâ certos faciant homines qui de iis bene merebuntur, eos præmiis quæ promiserunt esse fruituros. His autem sublatis vires Principum evanescunt, nervíque omnes Regiminis Civilis succiduntur, quibus suos ciere possint ad quicquam fideliter aut fortiter agendum in Bello aut Pace.

§. XXII. Videamus nunc quid sentiat Hobbius de Civitatum pactis cum aliis Civitatibus. Id autem facilè intelligamus ex iis quæ antea dicta sunt de statu Naturæ, in quo Leges naturales contendit non obligare ad actus exter-

externos. At fidem servare seu pacta præstare est Legis naturalis mandatum, actúsque externus hîc requiritur. Sic *cap. 5. sect. 2.* affirmat inter arma (seu in statu belli omnium contra omnes) silere Leges naturales, si ad actiones externas referantur. Modúmque illum qui observari solet in bello nationis contra nationem non esse ita accipiendum tanquam ad id astringerentur Lege naturali. Verùm apertiùs alibi quæstioni nostræ respondet, nempe *Cap. 13. §. 7. Status*, inquit, *Civitatum inter se naturalis, id est hostilis, est; neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut* cap. 2. artic. 11. *ostensum est, ex eo quòd pacta in statu naturæ quoties justus metus intercedit sunt invalida; ostensum est & in* Leviath. cap. 13. *Reges, inquit, & personæ summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt*, &c. *Quænam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit quod promisit, ea quæ metuit erit judex*, cap. 2. sect. 11. ideoque quælibet nova suspicionis causa sufficit, ut pactum mutuæ fidei (qualia sunt omnia fœdera inter Civitates) irritum fiat, ut patet partim ex antea citatis, partim è *Leviathanis cap. 14.* quoniam (scilicet) nulla est potentia coerciva supra utramque Civitatem, quæ faciat ut hæc ab illa non decipiatur. Ex his principiis Hobbius Principibus jus dedit quoties libuerit fidem aliis Principibus datam fallendi: Hoc autem etsi libertatis specie illis adblandiri videatur, re ipsâ tamen eorum vires plurimùm minuit, omnémque fere iis adimit securitatem. Nulla enim Civitas sibi sola sufficit, nec se tueri valet contra omnium vicinarum impetus, nisi cum aliis societur per fœdera commercii ac mutui auxilii. Atque hoc sentiunt etiam illi Principes qui aliis sæpiùs, & magis temerè fidem violant. Quippe statim postquam

cum

cum uno populo aut Monarcha ruperunt fœdera, n
habent ſe corroborare per fœdera cum aliis inita n
contra omnes dimicent. Ideoque mutant pacta, non c
rejiciunt; & ſuam condemnant perfidiam hoc ipſo
in aliorum fidem ſe recipiunt. Præterea manifeſtâ cc
experientiâ, civitates omnes aliorum potentiam Fœd
ope limitare; & præcipuam partem Prudentiæ po
conſiſtere in cognitione variorum modorum quibı
Fœdera librentur hoſtium vires: his autem nullu:
locus ſi pacta mutuæ fidei inter diverſas Civitates
invalida, juxta doctrinam Hobbianam. Hæc ſi ver
ſent Rex noſter, dum per invaleſcentem in Britann
bellionem è ditionibus ſuis exulabat, jure potuiſſet
reſco referens) occidi à Gallis, Hiſpanis, Batav
apud quos commorabatur, idque poſtquàm ami
illi per pacta promiſiſſent. Verùm Deus ipſos m
docuit per Naturæ Leges eorum mentibus impı
quamvis Hobbius eo ipſo tempore doctrinam ſuaı
fidiæ faventem, velut demonſtratam in *Cive* ſu
Galliam & Bataviam venditabat, eandémque in
thane tum edito inter Anglos inculcabat. Deni
ſtatus Civitatum inter ſe neceſſariò hoſtilis eſſet ac b
& in eo vis & dolus eſſent virtutes cardinales ut docet
bius *Leviathan. 13.* nullum eſſet inter Civitates coı
cium, unde plurimis omnes carerent commodis
nunc fruuntur; nulla Regibus è commerciis accre
vectigalia, adeoque magna pars divitiarum quibu
muniuntur tolleretur; nulla eſſet Legatorum incolı
immò nullus eorum uſus; fruſtra enim eſſet inire
ſi cùm quælibet interveniat ſuſpicio de præſtatione
fiunt invalida, juxta *Leviathan. 14.* Hæc ſcilicet
vilegia quæ munificè Regibus offert Hobbius, h
ἄδωρα quæ illis donat. Nihilominus operam adeò
quam videri vult Principibus navare ipſe meritò ſu



fecit,quoniam apertè profitetur, quòd adulat
honorare,quia(scil.) signum est quòd Protect
lio eorum indigemus *Leviath.c.10*. Editionis
Notum autem est quòd falsa etiam, quæ non
quopiam dicere,modò magna videantur, est e
lationi. Meritò ergo suspicentur Principes H
ta illis tribuere,non quia vera crediderit,cùm f
tradixerit; sed quia videbantur esse, & qui
illos honorare adulando.

§.XXIII. 6. Quæ de crimine læsæ Majest
docuit Hobbius,si conjunctim cum præcipuis
nibus propriis considerentur, ad perpetrandu
eos animant, adeoque ad Regiminis Civilis
apertè faciunt. Docuit enim c.14.§.21.22.
Legis Naturalis transgressionem esse,non C
hujus Criminis reos puniri non jure Imperii,
non ut Cives malos,sed ut hostes Civitatis. P
est hinc colligere, Civem rebellione suâ se e
statu subditi,& se transferre in statum hostis,
turalem.Indè verò mox sequetur rebellem hu
jus naturale morte mulctandi Regem suum
pariter atque Rex jus habet illum occidendi.
hostili,seu naturali Hobbiano paria sunt utri
quetur insuper Civem non aliâ pœnâ dignu
men læsæ Majestatis,quàm illâ cui exponitur
necessaria vitæ conservandæ tueatur in statu
enim ut hostis tractabitur ab alio quovis, qu
sibimet vendicet. Immò verò apertè docuit
c.28. malum hostibus(quanquam antea Civ
flictum nomine pœnæ obnoxios esse rebelle
exponantur calamitatibus status naturalis.Pr
numeræ sint in plerisque Civitatibus,nostrâ
ges Civiles,quæ pœnas gravissimas statuerin
nis læsæ Majestatis, nihil Legibus magis

potest quàm eos sub pœna non cadere, aut eorum crimen non esse transgressionem Legis Civilis quæ pœnam illis interminatur. Ridicula est evasio, quâ dicit superfluam esse obligationem ad id ad quod antea obligati erant, per Legẽ nempe Naturalem. Pluribus certè vinculis fortiùs ligatur, qui uno priùs ligatus fuerat. Præterea ipse multis modis Legis naturalis obligationem minuere vel etiam tollere conatus est, ideoque auxiliis à Lege Civili ferendis opus erat, ut qui ab eo docti omnem iis reverentiam excusserant, Civilis potestatis metu in officio aliquatenus continerentur. Manifestum enim est omnia quæ obligationem Legum naturalium minuunt aut tollunt, illius præsertim quæ de pactorum fide servanda præcipit, eatenus crimen læsæ Majestatis aut extenuare aut tollere, adeoque homines in pessimum illud scelus pellicere. Ideoque, velit nolit Hobbius, in hoc crimen homines sollicitat, quoties affirmat Dictamina hæc rationis impropriè dici Leges, & esse tantùm Theoremata de iis rebus quæ ad conservationem hominum conducunt, ut *Leviath. cap. 15.* & *de Cive, cap. 3. sect. 33.* ubi dicit ea quatenus à Deo in scriptura lata sunt propriè esse Leges, sed si ab illo quæramus unde Scriptura sacra Lex sit? Respondet *Leviath. cap. 33.* Illos quibus Deus non revelavit supernaturaliter quòd Scripturæ ab illo sint, nullâ, ut eas recipiant, Authoritate obligari præterquam ejus qui summam habet in Civitate potestatem, Is enim solus est Legislator. Ex his colligitur, Legem naturalem etiam quatenus in Scriptura continetur, propriè non esse Legem nisi per auctoritatem Civilem. Quanquam enim agnoscit paulò antè esse eam Legem Dei, & auctoritatem habere manifestam. Quoniam tamen auctoritatem hanc non aliam esse docet quàm quæ omni doctrinæ morali, si vera sit, attribuenda est, innuere vult eam non esse sufficientem ut Leges propriè dictæ fiant nisi civilis accesserit auctoritas. Ex his sequetur crimen læsæ Majestatis nullâ

Lege

Lege propriè dictâ vetari, adeoque propriè non esse crimen. Nam Lex naturalis quæ eam vetat, non est Lex propriè dicta secundùm Hobbium, & secundùm eundem, hoc crimen non est transgressio Legis à Civili Auctoritate stabilitæ. Huic etiam Crimini favent illa omnia loca quibus docuit Leges naturales (sumamus exempli gratiâ hanc de pactis servandis, quâ perduellio vetatur) non obligare ad actus externos (v.g. non vetare actum externum Regicidii) nisi sufficiens cuivis detur securitas ab injuriis aliorum omnium, ut *cap.5.§.1.2,&c.* per Civilem potestatem, quæ cogere possit utramque partem ad obedientiam Legibus naturalibus præstandam. At hic docet Imperium illud Civile nec constitui, nec conservari posse tutum à crimine læsæ Majestatis, nisi virtute obligationis Legis naturalis; quæ si ad externos etiam actus non pertingat, non erunt securi Reges à perduellione. Quapropter necesse est ut fateatur Imperium Civile, atque obligationem ad obedientiam Civilem è cujus violatione totali nascitur crimen læsæ Majestatis, fundamento niti quod ipse docuit esse planè invalidum, nisi dum sui effecti viribus fulciatur. Impossibile autem est ut effectum dum nondum existit vires subministret suæ causæ, cujus ope producendum est primò, & deinde conservandum. Quicquid autem invalidum facit fundamentum obligationis ad obedientiam civilem, id crimen læsæ Majestatis (quâ tota simul obedientia Civilis excutitur) minuit, vel potiùs nullum esse declarat. Denique ad perduellionem homines animant principia Hobbiana, quatenus omnia summi Imperii jura æqualiter concedunt iis, qui per seditionem, aut nefarium Regicidium ad thronum ascenderunt, ac Regibus titulo justissimo actoritatem suam acquirentibus. Patet hoc, quoniam apertè profitetur *c.15.* §.5. è naturali jure omnium in omnia unicuique esse jus in omnes regnandi ipsi naturæ coævum. Ideoque quicunq; potentiam omnem superiorem quâcunq; ratione excutere potest, hoc ipso re-

movet impedimentum omne quo prohibetur jure suo uti; & postquam thronum occupaverit, secundùm hæc principia dicetur jure imperare, adeoque non erit Tyrannus. Hinc est quòd Hobbius suis opinionibus satis congrue affirmat, in tempore seditionis & belli Civilis duo fieri summa Imperia ex uno, *c.6.§.13.* Scilicet Belli Civilis auctor rebellione suâ summum acquisivit in ejusdem sceleris conscios Imperium, & jure se suosque contra Regem suum defendere potest; ut antea ostendimus è disertis verbis *Leviathanis.* Hinc etiam rectissimè, in Epistola *Leviathani* præmissâ, fatetur, se ita summas potestates defendere uti olim Anseres Capitolini Romanos, qui Capitolium tenuerunt, clangore suo defendebant; non enim illis magis favebant, quàm Gallis eorum hostibus, sed parati fuerunt eodem modo Gallos defendere, si illi Capitolium occupâssent. Comparet Lector (si tanti videatur) epistolam præmissam Anglicanæ Editioni *Leviathanis*, quæ prodiit quo tempore triumphabat in Britannia rebellio, & Rex legitimus exulabat (ubi apertiùs hoc profitetur) cum eadem Latinè editâ & aliquantisper immutatâ, ubi visum est illud tectiùs innuere, postquam Rex optimus jura sua recuperâsset. Mihi ea quæ hactenus dicta sunt satis videntur probare, Hobbium, dum præ se fert munera Principibus unâ manu offerre, alterâ manu gladium in eorum pectora perfidè adigere.

F I N I S.





contra Leges Naturales, id est contra Deum. In his verbis observo (1) Hobbium fateri, quædam esse quibusdam inhonesta quæ illis imperentur voluntate summæ potestatis seu Lege Civili; unde sequitur Legem Civilem non esse unicam mensuram Inhonesti, quod tamen alibi docuit. (2) Eum fateri Imperantes dum puniunt cives Legibus suis obedientiam negantes peccare posse contra rectam Rationem, Leges naturales, & Deum; quanquam alibi docuerat eorum mandata esse non posse contra Legem Naturæ, propter pacta subditorum de obedientia absoluta *cap. 14. §. 10.* (3) Contradictionem implicat quod affirmat Imperantes posse jure suo uti aliter atque recta ratio postulat. Nemo enim potest habere jus agendi contra rectam rationem, quoniam jus Hobbio ipso definiente est libertas quam quisque habet facultatibus naturalibus secundùm rectam rationem utendi *cap. 1. §. 7.* Quin & alibi, nempe *cap. 7. Sect. 14.* docet summa Imperia multis modis peccare contra cæteras Leges naturales, ut Crudelitate, Iniquitate, Contumeliâ, aliisque vitiis quæ sub stricta injuriæ significatione non veniunt, id est, non sunt pactorum violationes.

De postremo hoc crimine videbimus post hæc. Hic notandum tantùm est eum agnoscere multis vitiis inquinari posse voluntates eorum qui jus habent Leges Civiles ferendi; unde sequitur, ipsum certum quendam agendi modum ipsis Imperantibus præscribere, adeoque non omnia relinquere illorum voluntati; unde colligere licet subditos certè non minùs talibus Naturæ Legibus obligari, adeoque non omnes eorum actus Imperantium arbitrio relinqui, nisi velint in Deum peccare ut homini obtemperent. Atque hæc sanè fassus est Hobbius, agens de officiis quæ hominibus debentur. His paria agnoscit in iis quæ ratio naturalis præcipit, circa cultum & observantiam Deo debitam. Nam *cap. 15. §. 18.* postquam docuisset obedientiam præstan-

ſtandam eſſe Civitati Deum ſub imagine colere jubenti (hoc eſt apertè imperanti idololatriam) aliáque id genus abſurdiſſima, fatetur hujusmodi imperata eſſe poſſe contra rectam rationem, ideoque peccata eſſe in iis qui imperant: & *cap. 14. §. 10.* agnoſcit Civitates reſpectu Dei non eſſe ſui juris, nec dici Leges ferre, adeoque leges ferre non poſſe in contumeliam Dei. Unde infero rationem Civitatis non ſemper eſſe rectam, adeoque nec ſemper eſſe menſuram Boni, Honeſti & Juſti; ſed tum demum cum conformis eſt naturæ rerum aut actionum de quibus pronunciat; atque ideo Hobbium ſibi repugnare dum alibi, nempe *cap. 14. §. 17.* peccatum definit nihil aliud eſſe præterquam quod fit contra Rationem Civitatis.

§. XXI. Reſtat ſecundum exemplum enormis poteſtatis quam Civitatibus tribuit Hobbius, quod minùs latè patet quàm prius, & ſub eo potuiſſet comprehendi; verùm quia ſeorſim illud tradidit Hobbius, & quia peculiaribus premitur abſurditatibus, viſum eſt illud ſeorſim conſiderare, nempe eos qui in ſummo ſunt imperio, nullis cuiquam pactis obligari. Noſtrum erit oſtendere, hoc ipſis Juris nomine datum, ipſorum poteſtatem reverà minuere aut peſſundare; ipsúmque ne hîc quidem ſibi ſatìs conſtare. Hoc ab ipſo generaliter pronunciatur *cap. 7. §. 14.* & deducitur è dictis *§. 7. 9. 12.* ejusdem capitis, in quibus de pactis tantùm cum Civibus ſuis loquitur, quibus Imperantes negat obligari, ideoque nullam Civibus ſuis injuriam facere poſſe.

Inauditum ſanè hoc eſt dogma, & purè Hobbianum, Epicurus enim, à quo cætera pleraque hauſit, quanquam reliquas juſtitiæ partes plurimùm labefactaverit, iiſque non aliam tribuat vim quàm quæ à pactorum fide derivetur, hanc tamen in omni ſtatu inconcuſſam eſſe voluit. Audiamus itaque rationem Hobbii quâ tam inſolens

Para-

Paradoxum fulcitur. Ea vero tota petenda est è *cap. 7. sect. 7.* ubi Populum nemini Civium obligari docuit. Cætera enim summarum Potestatum genera, nempe Curia Optimatum, & Monarcha, à populo juxta doctrinam Hobbianam omnia sua jura recipiunt, adeoque eâdem ratione à pactorum obligatione liberantur quâ liberatur Populus. Eam autem Hobbii verbis dicto loco positis accipite. *Postquam Civitas constituitur, si Civis cum Populo paciscitur frustra est, quia Populus voluntate suâ voluntatem Civis illius (cui supponitur obligari) complectitur, ideoque liberare se potest arbitrio suo, & per consequens jam actu est liber.* Nempe vis hujus ratiocinii in hoc sita est, quoniam Civis potestatem habet quemlibet liberandi ab obligatione pactorum cum se initorum, renunciando nempe suo juri, omnémque suam potestatem transtulit in populum; ergo populus potest se liberare à suis pactis; & quod potest facere, vult. Respondemus autem (1) Nullâ ratione probari posse quod in Civitatis constitutione futuri Cives consenserint hoc etiam Populo dare, ut possit se omni pactorum cum ipsis faciendorum obligatione liberare. Non est enim hoc necessarium ad Civilis Imperii constitutionem; immò est prorsus contrarium fini propter quem constituitur, communi nempe omnium saluti. Necesse est (fatemur) ut renuncient omni juri cogendi eos qui summum Imperium obtinent. Verùm alia manet obligatio quâ tenetur Populus pacta cum Civibus inita servare. Obligatio nempe Legis naturalis, ex auctoritate & sanctione divinâ fluens. Hujus beneficium & tutò possint Cives sibi reservare, & præsumendum est quòd id volunt, quia ad finem communem est necessarium. Immò sanè credo nec licitum esse Civibus hanc dare Imperantibus licentiam fidem suam violandi, nec licitum Imperantibus eam oblatam accipere, propter vim Legis naturalis indispensabilem, qua propter

com-

commune Bonum utraque pars Dei auctoritate tenetur, quantum in ipsis est, facere ut fides pactorum sit inviolabilis. (2) Respondeo falsam esse illam consequentiam è qua immediatè deducitur Hobbii conclusio. Potest Populus se liberare arbitrio suo, ergo actu est liber. Ejus autem falsitas indè constat, quoniam pari planè consequentiâ contradictoria conclusioni Hobbianæ propositio inferri potest. Nempe sic. Potest populus se non liberare (à pactorum obligatione) arbitrio suo, ergo actu non est liber. Utrobique à posse ad velle in agentibus liberis non valet consequentia. Tota ratio propter quam, secundùm Principia Hobbiana, magìs valet prior quàm posterior consequentia, hæc est, quòd præsumat ille humanum genus, ipsósque adeò Imperantes, id semper necessariò velle quod aliis est malum, si vel tantillo major potentia volentibus indè accedat. Verùm observet obsecro Lector, quantopere Civibus suis exosos, indéque re ipsâ impotentes, hoc faciat Imperantes. Quidni pariter inferamus Populum velle negligere securitatem Civibus necessariam? quia potest hoc facere; indéque omnis statim Civitas dissolveretur, quia nemo (juxta Hobbium *cap.* 6. §. 3. 4.) intelligitur Civitati se submisisse, seu transiisse è statu belli adversùs omnes, si ipsius securitati non sit satìs consultum, pœnis nempe tantis ut apertè majus sit malum Civem læsisse quàm non læsisse. Potest autem Civitas licitè aliquando de pœnis sontibus infligendis dispensare. Nihilominus perniciosum est indè colligere eam liberam esse ab obligatione ad pœnas malis infligendas.

Manifestum opinor ex his factum est, Hobbium non satìs probâsse insolens hoc Dogma, quo Imperantes obligatione pactorum cum suis Civibus initorum liberos pronunciat. Eâdemque operâ nonnulla suggessimus è quibus patet illud Civitatibus perniciosum esse. His tamen hoc adjiciendum esse censeo. Summa Imperia nec constitui posse

nec

nec conservari ab hominibus ratione suâ utentibus, nisi propter finem iis communem, id est, nisi constet eorum regimen futurum esse medium ad publicam salutem, eorum præsertim à quibus constituitur & conservatur. Hoc autem quoniam est futurum, dependens ab Imperantium voluntate, non aliter constare potest quàm è promissis pactisve (quibus addantur juramenta) imperium gerentium, & ex eorum cura ut hæc impleantur fidelissimè. Sublatâ itaque ab Hobbio talium pactorum obligatione, tollitur omnis ratio, cur subditi sperarent Imperantes hæc pacta præstituros esse; omnis pariter evanescit ratio cur Imperantes de fide sua servanda sint solliciti; adeoque omnis tollitur ratio cur aut constituerentur aut conservarentur Imperia, ipsáque ideo collabuntur necessariò. Porro, ut nulla prorsus securitas subditis relinqueretur è verbis imperantium, adjicit Hobbius Juramentum obligationi Pactorum nihil addere *cap. 2. §. 22.* Ideoque ubi obligatio pactorum ulla est (ut in casu quo Principes paciscuntur juxta doctrinam Hobbianam) Juramentorum similiter iis additorum in Coronatione & Fœderibus nonnullis, nulla erit obligatio. Hoc autem non solùm miseram facit subditorum conditionem, sed & Principum, quibus, si vera foret hæc assertio, nulla unquam fides à subditis suis deberetur, nulláque iis relinquitur via quâ certos faciant homines qui de iis bene merebuntur, eos præmiis quæ promiserunt esse fruituros. His autem sublatis vires Principum evanescunt, nervíque omnes Regiminis Civilis succiduntur, quibus suos ciere possint ad quicquam fideliter aut fortiter agendum in Bello aut Pace.

§. XXII. Videamus nunc quid sentiat Hobbius de Civitatum pactis cum aliis Civitatibus. Id autem facilè intelligamus ex iis quæ antea dicta sunt de statu Naturæ, in quo Leges naturales contendit non obligare ad actus exter-

externos. At fidem servare seu pacta præstare est Legis naturalis mandatum, actúsque externus hîc requiritur. Sic *cap. 5. sect. 2.* affirmat inter arma (seu in statu belli omnium contra omnes) silère Leges naturales, si ad actiones externas referantur. Modúmque illum qui observari solet in bello nationis contra nationem non esse ita accipiendum tanquam ad id astringerentur Lege naturali. Verùm apertiùs alibi quæstioni nostræ respondet, nempe *Cap. 13. §. 7. Status*, inquit, *Civitatum inter se naturalis, id est hostilis, est; neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut* cap. 2. attic. 11. *ostensum est, ex eo quòd pacta in statu naturæ quoties justus metus intercedit sunt invalida; ostensum est & in* Leviath. cap. 13. *Reges, inquit, & personæ summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt*, &c. *Quanam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit quod promisit, ea quæ metuit erit judex*, cap. 2. sect. 11. ideoque quælibet nova suspicionis causa sufficit, ut pactum mutuæ fidei (qualia sunt omnia fœdera inter Civitates) irritum fiat, ut patet partim ex antea citatis, partim è *Leviathanis cap. 14.* quoniam (scilicet) nulla est potentia coerciva supra ûtramque Civitatem, quæ faciat ut hæc ab illa non decipiatur. Ex his principiis Hobbius Principibus jus dedit quoties libuerit fidem aliis Principibus datam fallendi : Hoc autem etsi libertatis specie illis adblandiri videatur, re ipsâ tamen eorum vires plurimùm minuit, omnémque fere iis adimit securitatem. Nulla enim Civitas sibi sola sufficit, nec se tueri valet contra omnium vicinarum impetus, nisi cum aliis societur per fœdera commercii ac mutui auxilii. Atque hoc sentiunt etiam illi Principes qui aliis sæpiùs, & magis temerè fidem violant. Quippe statim postquam

cum

cum uno populo aut Monarcha ruperunt fœdera, necesse habent se corroborare per fœdera cum aliis inita ne soli contra omnes dimicent. Ideoque mutant pacta, non omnia rejiciunt; & suam condemnant perfidiam hoc ipso quòd in aliorum fidem se recipiunt. Præterea manifestâ constat experientiâ, civitates omnes aliorum potentiam Fœderum ope limitare; & præcipuam partem Prudentiæ politicæ consistere in cognitione variorum modorum quibus per Fœdera librentur hostium vires: his autem nullus esset locus si pacta mutuæ fidei inter diversas Civitates essent invalida, juxta doctrinam Hobbianam. Hæc si vera fuissent Rex noster, dum per invalescentem in Britannia rebellionem è ditionibus suis exulabat, jure potuisset (horresco referens) occidi à Gallis, Hispanis, Batavísque apud quos commorabatur, idque postquám amicitiam illi per pacta promisissent. Verùm Deus ipsos meliora docuit per Naturæ Leges eorum mentibus impressas; quamvis Hobbius eo ipso tempore doctrinam suam perfidiæ faventem, velut demonstratam in *Cive* suo per Galliam & Bataviam venditabat, eàndémque in *Leviathane* tum edito inter Anglos inculcabat. Denique si status Civitatum inter se necessariò hostilis esset ac bellicus, & in eo vis & dolus essent virtutes cardinales ut docet Hobbius *Leviathan. 13.* nullum esset inter Civitates commercium, unde plurimis omnes carerent commodis quibus nunc fruuntur; nulla Regibus è commerciis accrescerent vectigalia, adeoque magna pars divitiarum quibus nunc muniuntur tolleretur; nulla esset Legatorum incolumitas, immò nullus eorum usus; frustra enim esset inire fœdera si cùm quælibet interveniat suspicio de præstatione statim fiunt invalida, juxta *Leviathan. 14.* Hæc scilicet sunt privilegia quæ munificè Regibus offert Hobbius, hæc *δῶρα ἄδωρα* quæ illis donat. Nihilominus operam adeò sedulam quam videri vult Principibus navare ipse meritò suspectam

fecit,





fecit, quoniam apertè profitetur, quòd adulari aliis est ipsos honorare, quia (scil.) signum est quòd Protectione vel auxilio eorum indigemus *Leviath.c.10.* Editionis Latinæ *p.45.* Notum autem est quòd falsa etiam, quæ non credimus de quopiam dicere, modò magna videantur, est essentiale adulationi. Meritò ergo suspicentur Principes Hobbium tanta illis tribuere, non quia vera crediderit, cùm sibi toties contradixerit; sed quia videbantur esse, & quia crediderit se illos honorare adulando.

§.XXIII. *6.* Quæ de crimine læsæ Majestatis in subditis docuit Hobbius, si conjunctim cum præcipuis illius opinionibus propriis considerentur, ad perpetrandum hoc crimen eos animant, adeoque ad Regiminis Civilis subversionem apertè faciunt. Docuit enim c. 14.§.21.22. hoc peccatum Legis Naturalis transgressionem esse, non Civilis. Adeoq; hujus Criminis reos puniri non jure Imperii, sed jure belli; non ut Cives malos, sed ut hostes Civitatis. Pronum autem est hinc colligere, Civem rebellione suâ se eximere posse è statu subditi, & se transferre in statum hostis, seu statum naturalem. Indè verò mox sequetur rebellem hunc recuperasse jus naturale morte mulctandi Regem suum à quo defecit, pariter atque Rex jus habet illum occidendi. In statu enim hostili, seu naturali Hobbiano paria sunt utrinque jura. Sequetur insuper Civem non aliâ pœnâ dignum esse ob crimen læsæ Majestatis, quàm illâ cui exponitur, si jus suum ad necessaria vitæ conservandæ tueatur in statu naturæ. Tunc enim ut hostis tractabitur ab alio quovis, qui jus ad omnia sibimet vendicet. Immò verò apertè docuit Hobbius *Lev. c.28.* malum hostibus (quanquam antea Cives fuerint) inflictum nomine pœnæ obnoxios esse rebelles, quanquam exponantur calamitatibus status naturalis. Præterea cum innumeræ sint in plerisque Civitatibus, nostrâ præsertim, Leges Civiles, quæ pœnas gravissimas statuerint in reos criminis læsæ Majestatis, nihil Legibus magis repugnans dici

 po-

potest quàm eos sub pœna non cadere, aut eorum crimen non esse transgressionem Legis Civilis quæ pœnam illis interminatur. Ridicula est evasio, quâ dicit superfluam esse obligationem ad id ad quod antea obligati erant, per Legē nempe Naturalem. Pluribus certè vinculis fortiùs ligatur, qui uno priùs ligatus fuerat. Præterea ipse multis modis Legis naturalis obligationem minuere vel etiam tollere conatus est, ideoque auxiliis à Lege Civili ferendis opus erat, ut qui ab eo docti omnem iis reverentiam excusserant, Civilis potestatis metu in officio aliquatenus continerentur. Manifestum enim est omnia quæ obligationem Legum naturalium minuunt aut tollunt, illius præsertim quæ de pactorum fide servanda præcipit, eatenus crimen læsæ Majestatis aut extenuare aut tollere, adeoque homines in pessimum illud scelus pellicere. Ideoque, velit nolit Hobbius, in hoc crimen homines sollicitat, quoties affirmat Dictamina hæc rationis impropriè dici Leges, & esse tantùm Theoremata de iis rebus quæ ad conservationem hominum conducunt, ut *Leviath, cap.15.* & *de Cive, cap.3. sect. 33.* ubi dicit ea quatenus à Deo in scriptura lata sunt propriè esse Leges, sed si ab illo quæramus unde Scriptura sacra Lex sit? Respondet *Leviath. cap. 33.* Illos quibus Deus non revelavit supernaturaliter quòd Scripturæ ab illo sint, nullâ, ut eas recipiant, Authoritate obligati præterquam ejus qui summam habet in Civitate potestatem, Is enim solus est Legislator. Ex his colligitur, Legem naturalem etiam quatenus in Scriptura continetur, propriè non esse Legem nisi per auctoritatem Civilem. Quanquam enim agnoscit paulò antè esse eam Legem Dei, & auctoritatem habere manifestam. Quoniam tamen auctoritatem hanc non aliam esse docet quàm quæ omni doctrinæ morali, si vera sit, attribuenda est, innuere vult eam non esse sufficientem ut Leges propriè dictæ fiant nisi civilis accesserit auctoritas. Ex his sequetur crimen læsæ Majestatis nullâ

Lege

Lege propriè dictâ vetari, adeoque propriè non esse crimen. Nam Lex naturalis quæ eam vetat, non est Lex propriè dicta secundùm Hobbium, & secundùm eundem, hoc crimen non est transgressio Legis à Civili Auctoritate stabilitæ. Huic etiam Crimini favent illa omnia loca quibus docuit Leges naturales (sumamus exempli gratiâ hanc de pactis servandis, quâ perduellio vetatur) non obligare ad actus externos (v.g. non vetare actum externum Regicidii) nisi sufficiens cuivis detur securitas ab injuriis aliorum omnium, ut *cap.5.§.1.2,&c.* per Civilem potestatem, quæ cogere possit utramque partem ad obedientiam Legibus naturalibus præstandam. At hic docet Imperium illud Civile nec constitui, nec conservari posse tutum à crimine læsæ Majestatis, nisi virtute obligationis Legis naturalis; quæ si ad externos etiam actus non pertingat, non erunt securi Reges à perduellione. Quapropter necesse est ut fateatur Imperium Civile, atque obligationem ad obedientiam Civilem è cujus violatione totali nascitur crimen læsæ Majestatis, fundamento niti quod ipse docuit esse planè invalidum, nisi dum sui effecti viribus fulciatur. Impossibile autem est ut effectum dum nondum existit vires subministret suæ causæ, cujus ope producendum est primò, & deinde conservandum. Quicquid autem invalidum facit fundamentum obligationis ad obedientiam civilem, id crimen læsæ Majestatis (quâ tota simul obedientia Civilis excutitur) minuit, vel potiùs nullum esse declarat. Denique ad perduellionem homines animant principia Hobbiana, quatenus omnia summi Imperii jura æqualiter concedunt iis, qui per seditionem, aut nefarium Regicidium ad thronum ascenderunt, ac Regibus titulo justissimo actoritatem suam acquirentibus. Patet hoc, quoniam apertè profitetur *c.15.* §.5. è naturali jure omnium in omnia unicuique esse jus in omnes regnandi ipsi naturæ coævum. Ideoque quicunq; potentiam omnem superiorem quâcunq; ratione excutere potest, hoc ipso re-

movet impedimentum omne quo prohibetur jure suo uti; & postquam thronum occupaverit, secundùm hæc principia dicetur jure imperare, adeoque non erit Tyrannus. Hinc est quòd Hobbius suis opinionibus satis congrue affirmat, in tempore seditionis & belli Civilis duo fieri summa Imperia ex uno, *c.6.§.13.* Scilicet Belli Civilis auctor rebellione suâ summum acquisivit in ejusdem sceleris conscios Imperium, & jure se suosque contra Regem suum defendere potest; ut antea ostendimus è disertis verbis *Leviathanis.* Hinc etiam rectissimè, in Epistola *Leviathani* præmissâ, fatetur, se ita summas potestates defendere uti olim Anseres Capitolini Romanos, qui Capitolium tenuerunt, clangore suo defendebant; non enim illis magis favebant, quàm Gallis eorum hostibus, sed parati fuerunt eodem modo Gallos defendere, si illi Capitolium occupâssent. Comparet Lector (si tanti videatur) epistolam præmissam Anglicanæ Editioni *Leviathanis*, quæ prodiit quo tempore triumphabat in Britannia rebellio, & Rex legitimus exulabat (ubi apertiùs hoc profitetur) cum eadem Latinè editâ & aliquantisper immutatâ, ubi visum est illud tectiùs innuere, postquam Rex optimus jura sua recuperâsset. Mihi ea quæ hactenus dicta sunt satis videntur probare, Hobbium, dum præ se fert munera Principibus unâ manu offerre, alterâ manu gladium in eorum pectora perfidè adigere.

F I N I S.





contra Leges Naturales, id est contra Deum. In his verbis observo (1) Hobbium fateri, quædam esse quibusdam inhonesta quæ illis imperentur voluntate summæ potestatis seu Lege Civili; unde sequitur Legem Civilem non esse unicam mensuram Inhonesti, quod tamen alibi docuit. (2) Eum fateri Imperantes dum puniunt cives Legibus suis obedientiam negantes peccare posse contra rectam Rationem, Leges naturales, & Deum; quanquam alibi docuerat eorum mandata esse non posse contra Legem Naturæ, propter pacta subditorum de obedientia absoluta *cap. 14. §. 10.* (3) Contradictionem implicat quod affirmat Imperantes posse jure suo uti aliter atque recta ratio postulat. Nemo enim potest habere jus agendi contra rectam rationem, quoniam jus Hobbio ipso definiente est libertas quam quisque habet facultatibus naturalibus secundùm rectam rationem utendi *cap. 1. §. 7.* Quin & alibi, nempe *cap. 7. Sect. 14.* docet summa Imperia multis modis peccare contra cæteras Leges naturales, ut Crudelitate, Iniquitate, Contumeliâ, aliísque vitiis quæ sub stricta injuriæ significatione non veniunt, id est, non sunt pactorum violationes.

De postremo hoc crimine videbimus post hæc. Hîc notandum tantùm est eum agnoscere multis vitiis inquinari posse voluntates eorum qui jus habent Leges Civiles ferendi; unde sequitur, ipsum certum quendam agendi modum ipsis Imperantibus præscribere, adeoque non omnia relinquere illorum voluntati: unde colligere licet subditos certè non minùs talibus Naturæ Legibus obligari, adeoque non omnes eorum actus Imperantium arbitrio relinqui, nisi velint in Deum peccare ut homini obtemperent. Atque hæc sanè fassus est Hobbius, agens de officiis quæ hominibus debentur. His paria agnoscit in iis quæ ratio naturalis præcipit, circa cultum & observantiam Deo debitam. Nam *cap. 15. §. 18.* postquam docuisset obedientiam præstan-

standam esse Civitati Deum sub imagine colere jubenti (hoc est apertè imperanti idololatriam) aliáque id genus absurdissima, fatetur hujusmodi imperata esse posse contra rectam rationem, ideoque peccata esse in iis qui imperant: & *cap. 14.* §. *10.* agnoscit Civitates respectu Dei non esse sui juris, nec dici Leges ferre, adeoque leges ferre non posse in contumeliam Dei. Unde infero rationem Civitatis non semper esse rectam, adeoque nec semper esse mensuram Boni, Honesti & Justi; sed tum demum cum conformis est naturæ rerum aut actionum de quibus pronunciat; atque ideo Hobbium sibi repugnare dum alibi, nempe *cap. 14.* §. *17.* peccatum definit nihil aliud esse præterquam quod fit contra Rationem Civitatis.

§. XXI. Restat secundum exemplum enormis potestatis quam Civitatibus tribuit Hobbius, quod minùs latè patet quàm prius, & sub eo potuisset comprehendi; verùm quia seorsim illud tradidit Hobbius, & quia peculiaribus premitur absurditatibus, visum est illud seorsim considerare, nempe eos qui in summo sunt imperio, nullis cuiquam pactis obligari. Nostrum erit ostendere, hoc ipsis Juris nomine datum, ipsorum potestatem reverà minuere aut pessundare; ipsúmque ne hîc quidem sibi satìs constare. Hoc ab ipso generaliter pronunciatur *cap. 7.* §. *14.* & deducitur è dictis §. *7. 9. 12.* ejusdem capitis, in quibus de pactis tantùm cum Civibus suis loquitur, quibus Imperantes negat obligari, ideoque nullam Civibus suis injuriam facere posse.

Inauditum sanè hoc est dogma, & purè Hobbianum, Epicurus enim, à quo cætera pleraque hausit, quanquam reliquas justitiæ partes plurimùm labefactaverit, iísque non aliam tribuat vim quàm quæ à pactorum fide derivetur, hanc tamen in omni statu inconcussam esse voluit. Audiamus itaque rationem Hobbii quâ tam insolens

Para-

Paradoxum fulcitur. Ea vero tota petenda est è *cap. 7. sect. 7.* ubi Populum nemini Civium obligari docuit. Cætera enim summarum Potestatum genera, nempe Curia Optimatum, & Monarcha, à populo juxta doctrinam Hobbianam omnia sua jura recipiunt, adeoque eâdem ratione à pactorum obligatione liberantur quâ liberatur Populus. Eam autem Hobbii verbis dicto loco positis accipite. *Postquam Civitas constituitur, si Civis cum Populo paciscitur frustra est, quia Populus voluntate suâ voluntatem Civis illius (cui supponitur obligari) complectitur, ideoque liberare se potest arbitrio suo, & per consequens jam actu est liber.* Nempe vis hujus ratiocinii in hoc sita est, quoniam Civis potestatem habet quemlibet liberandi ab obligatione pactorum cum se initorum, renunciando nempe suo juri, omnémque suam potestatem transtulit in populum; ergo populus potest se liberare à suis pactis; & quod potest facere, vult. Respondemus autem (1) Nullâ ratione probari posse quod in Civitatis constitutione futuri Cives consenserint hoc etiam Populo dare, ut possit se omni pactorum cum ipsis faciendorum obligatione liberare. Non est enim hoc necessarium ad Civilis Imperii constitutionem; immò est prorsus contrarium fini propter quem constituitur, communi nempe omnium saluti. Necesse est (fatemur) ut renuncient omni juri cogendi eos qui summum Imperium obtinent. Verùm alia manet obligatio quâ tenetur Populus pacta cum Civibus inita servare. Obligatio nempe Legis naturalis, ex auctoritate & sanctione divinâ fluens. Hujus beneficium & tutò possint Cives sibi reservare, & præsumendum est quòd id volunt, quia ad finem communem est necessarium. Immò sanè credo nec licitum esse Civibus hanc dare Imperantibus licentiam fidem suam violandi, nec licitum Imperantibus eam oblatam accipere, propter vim Legis naturalis indispensabilem, qua propter

com-

commune Bonum utraque pars Dei auctoritate tenetur, quantum in ipsis est, facere ut fides pactorum sit inviolabilis. (2) Respondeo falsam esse illam consequentiam è qua immediatè deducitur Hobbii conclusio. Potest Populus se liberare arbitrio suo, ergo actu est liber. Ejus autem falsitas indè constat, quoniam pari planè consequentiâ contradictoria conclusioni Hobbianæ propositio inferri potest. Nempe sic. Potest populus se non liberare (à pactorum obligatione) arbitrio suo, ergo actu non est liber. Utrobique à posse ad velle in agentibus liberis non valet consequentia. Tota ratio propter quam, secundùm Principia Hobbiana, magìs valet prior quàm posterior consequentia, hæc est, quòd præsumat ille humanum genus, ipsósque adeò Imperantes, id semper necessariò velle quod aliis est malum, si vel tantillo major potentia volentibus indè accedat. Verùm observet obsecro Lector, quantopere Civibus suis exosos, indéque re ipsâ impotentes, hoc faciat Imperantes. Quidni pariter inferamus Populum velle negligere securitatem Civibus necessariam? quia potest hoc facere; indéque omnis statim Civitas dissolveretur, quia nemo (juxta Hobbium *cap.* 6. §. 3. 4.) intelligitur Civitati se submisisse, seu transiisse è statu belli adversùs omnes, si ipsius securitati non sit satìs consultum, pœnis nempe tantis ut apertè majus sit malum Civem læsisse quàm non læsisse. Potest autem Civitas licitè aliquando de pœnis sontibus infligendis dispensare. Nihilominus perniciosum est indè colligere eam liberam esse ab obligatione ad pœnas malis infligendas.

Manifestum opinor ex his factum est, Hobbium non satìs probâsse insolens hoc Dogma, quo Imperantes obligatione pactorum cum suis Civibus initorum liberos pronunciat. Eâdemque operâ nonnulla suggessimus è quibus patet illud Civitatibus perniciosum esse. His tamen hoc adjiciendum esse censeo. Summa Imperia nec constitui posse

nec

nec conservari ab hominibus ratione suâ utentibus, nisi propter finem iis communem, idest, nisi constet eorum regimen futurum esse medium ad publicam salutem, eorum præsertim à quibus constituitur & conservatur. Hoc autem quoniam est futurum, dependens ab Imperantium voluntate, non aliter constare potest quàm è promissis pactísve (quibus addantur juramenta) imperium gerentium, & ex eorum cura ut hæc impleantur fidelissimè. Sublatâ itaque ab Hobbio talium pactorum obligatione, tollitur omnis ratio, cur subditi sperarent Imperantes hæc pacta præstituros esse; omnis pariter evanescit ratio cur Imperantes de fide sua servanda sint solliciti; adeoque omnis tollitur ratio cur aut constituerentur aut conservarentur Imperia, ipsáque ideo collabuntur necessariò. Porro, ut nulla prorsus securitas subditis relinqueretur è verbis imperantium, adjicit Hobbius Juramentum obligationi Pactorum nihil addere *cap. 2. §. 22.* Ideoque ubi obligatio pactorum ulla est (ut in casu quo Principes paciscuntur juxta doctrinam Hobbianam) Juramentorum similiter iis additorum in Coronatione & Fœderibus nonnullis, nulla erit obligatio. Hoc autem non solùm miseram facit subditorum conditionem, sed & Principum, quibus, si vera foret hæc assertio, nulla unquam fides à subditis suis deberetur, nulláque iis relinquitur via quâ certos faciant homines qui de iis bene merebuntur, eos præmiis quæ promiserunt esse fruituros. His autem sublatis vires Principum evanescunt, nervíque omnes Regiminis Civilis succiduntur, quibus suos ciere possint ad quicquam fideliter aut fortiter agendum in Bello aut Pace.

§. XXII. Videamus nunc quid sentiat Hobbius de Civitatum pactis cum aliis Civitatibus. Id autem facilè intelligamus ex iis quæ antea dicta sunt de statu Naturæ, in quo Leges naturales contendit non obligare ad actus exter-

externos. At fidem servare seu pacta præstare est Legis naturalis mandatum, actúsque externus hîc requiritur. Sic *cap. 5. sect. 2.* affirmat inter arma (seu in statu belli omnium contra omnes) silere Leges naturales, si ad actiones externas referantur. Modúmque illum qui observari solet in bello nationis contra nationem non esse ita accipiendum tanquam ad id astringerentur Lege naturali. Verùm apertiùs alibi quæstioni nostræ respondet, nempe *Cap. 13. §. 7. Status*, inquit, *Civitatum inter se naturalis, id est hostilis, est; neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultúmque observans securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut* cap. 2. artic. 11. *ostensum est, ex eo quòd pacta in statu naturæ quoties justus metus intercedit sunt invalida; ostensum est & in* Leviath. cap. 13. *Reges, inquit, & personæ summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt*, &c. *Quanam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit quod promisit, ea quæ metuit erit judex*, cap. 2. sect. 11. ideoque quælibet nova suspicionis causa sufficit, ut pactum mutuæ fidei (qualia sunt omnia fœdera inter Civitates) irritum fiat, ut patet partim ex antea citatis, partim è *Leviathanis cap. 14.* quoniam (scilicet) nulla est potentia coerciva supra utramque Civitatem, quæ faciat ut hæc ab illa non decipiatur. Ex his principiis Hobbius Principibus jus dedit quoties libuerit fidem aliis Principibus datam fallendi: Hoc autem etsi libertatis specie illis adblandiri videatur, re ipsâ tamen eorum vires plurimùm minuit, omnémque fere iis adimit securitatem. Nulla enim Civitas sibi sola sufficit, nec se tueri valet contra omnium vicinarum impetus, nisi cum aliis societur per fœdera commercii ac mutui auxilii. Atque hoc sentiunt etiam illi Principes qui aliis sæpiùs, & magis temerè fidem violant. Quippe statim postquam

cum

cum uno populo aut Monarcha ruperunt fœdera, necesse habent se corroborare per fœdera cum aliis inita ne soli contra omnes dimicent. Ideoque mutant pacta, non omnia rejiciunt; & suam condemnant perfidiam hoc ipso quòd in aliorum fidem se recipiunt. Præterea manifestâ constat experientiâ, civitates omnes aliorum potentiam Fœderum ope limitare; & præcipuam partem Prudentiæ politicæ consistere in cognitione variorum modorum quibus per Fœdera librentur hostium vires: his autem nullus esset locus si pacta mutuæ fidei inter diversas Civitates essent invalida, juxta doctrinam Hobbianam. Hæc si vera fuissent Rex noster, dum per invalescentem in Britannia rebellionem è ditionibus suis exulabat, jure potuisset (horresco referens) occidi à Gallis, Hispanis, Batavisque apud quos commorabatur, idque postquàm amicitiam illi per pacta promisissent. Verùm Deus ipsos meliora docuit per Naturæ Leges eorum mentibus impressas; quamvis Hobbius eo ipso tempore doctrinam suam perfidiæ faventem, velut demonstratam in *Cive* suo per Galliam & Bataviam venditabat, eandémque in *Leviathane* tum edito inter Anglos inculcabat. Denique si status Civitatum inter se necessariò hostilis esset ac bellicus, & in eo vis & dolus essent virtutes cardinales ut docet Hobbius *Leviathan. 13.* nullum esset inter Civitates commercium, unde plurimis omnes carerent commodis quibus nunc fruuntur; nulla Regibus è commerciis accrescerent vectigalia, adeoque magna pars divitiarum quibus nunc muniuntur tolleretur; nulla esset Legatorum incolumitas, immò nullus eorum usus; frustra enim esset inire fœdera si cùm quælibet interveniat suspicio de præstatione statim fiunt invalida, juxta *Leviathan. 14.* Hæc scilicet sunt privilegia quæ munificè Regibus offert Hobbius, hæc *δῶρα ἄδωρα* quæ illis donat. Nihilominus operam adeò sedulam quam videri vult Principibus navare ipse meritò suspectam

fecit,



fecit, quoniam apertè profitetur, quòd adulari aliis est ipsos honorare, quia (scil.) signum est quòd Protectione vel auxilio eorum indigemus *Leviath.c.10.* Editionis Latinæ *p.45.* Notum autem est quòd falsa etiam, quæ non credimus de quopiam dicere, modò magna videantur, est essentiale adulationi. Meritò ergo suspicentur Principes Hobbium tanta illis tribuere, non quia vera crediderit, cùm sibi toties contradixerit; sed quia videbantur esse, & quia crediderit se illos honorare adulando.

§.XXIII. 6. Quæ de crimine læsæ Majestatis in subditis docuit Hobbius, si conjunctim cum præcipuis illius opinionibus propriis considerentur, ad perpetrandum hoc crimen eos animant, adeoque ad Regiminis Civilis subversionem apertè faciunt. Docuit enim c. 14.§.21.22. hoc peccatum Legis Naturalis transgressionem esse, non Civilis. Adeoq; hujus Criminis reos puniri non jure Imperii, sed jure belli; non ut Cives malos, sed ut hostes Civitatis. Pronum autem est hinc colligere, Civem rebellione suâ se eximere posse è statu subditi, & se transferre in statum hostis, seu statum naturalem. Indè verò mox sequetur rebellem hunc recuperasse jus naturale morte mulctandi Regem suum à quo defecit, pariter atque Rex jus habet illum occidendi. In statu enim hostili, seu naturali Hobbiano paria sunt utrinque jura. Sequetur insuper Civem non aliâ pœnâ dignum esse ob crimen læsæ Majestatis, quàm illâ cui exponitur, si jus suum ad necessaria vitæ conservandæ tueatur in statu naturæ. Tunc enim ut hostis tractabitur ab alio quovis, qui jus ad omnia sibimet vendicet. Immò verò apertè docuit Hobbius *Lev. c.28.* malum hostibus (quanquam antea Cives fuerint) inflictum nomine pœnæ obnoxios esse rebelles, quanquam exponantur calamitatibus status naturalis. Præterea cum innumeræ sint in plerisque Civitatibus, nostrâ præsertim, Leges Civiles, quæ pœnas gravissimas statuerint in reos criminis læsæ Majestatis, nihil Legibus magis repugnans dici

 po-

potest quàm eos sub pœna non cadere, aut eorum crimen non esse transgressionem Legis Civilis quæ pœnam illis interminatur. Ridicula est evasio, quâ dicit superfluam esse obligationem ad id ad quod antea obligati erant, per Legē nempe Naturalem. Pluribus certè vinculis fortiùs ligatur, qui uno priùs ligatus fuerat. Præterea ipse multis modis Legis naturalis obligationem minuere vel etiam tollere conatus est, ideoque auxiliis à Lege Civili ferendis opus erat, ut qui ab eo docti omnem iis reverentiam excusserant, Civilis potestatis metu in officio aliquatenus continerentur. Manifestum enim est omnia quæ obligationem Legum naturalium minuunt aut tollunt, illius præsertim quæ de pactorum fide servanda præcipit, eatenus crimen læsæ Majestatis aut extenuare aut tollere, adeoque homines in pessimum illud scelus pellicere. Ideoque, velit nolit Hobbius, in hoc crimen homines sollicitat, quoties affirmat Dictamina hæc rationis impropriè dici Leges, & esse tantùm Theoremata de iis rebus quæ ad conservationem hominum conducunt, ut *Leviath, cap.15.* & *de Cive, cap.3. sect. 33.* ubi dicit ea quatenus à Deo in scriptura lata sunt propriè esse Leges, sed si ab illo quæramus unde Scriptura sacra Lex sit? Respondet *Leviath. cap. 33.* Illos quibus Deus non revelavit supernaturaliter quòd Scripturæ ab illo sint, nullâ, ut eas recipiant, Authoritate obligari præterquam ejus qui summam habet in Civitate potestatem, Is enim solus est Legislator. Ex his colligitur, Legem naturalem etiam quatenus in Scriptura continetur, propriè non esse Legem nisi per auctoritatem Civilem. Quanquam enim agnoscit paulò antè esse eam Legem Dei, & auctoritatem habere manifestam. Quoniam tamen auctoritatem hanc non aliam esse docet quàm quæ omni doctrinæ morali, si vera sit, attribuenda est, innuere vult eam non esse sufficientem ut Leges propriè dictæ fiant nisi civilis accesserit auctoritas. Ex his sequetur crimen læsæ Majestatis nullâ

Lege

Lege propriè dictâ vetari, adeoque propriè non esse crimen. Nam Lex naturalis quæ eam vetat, non est Lex propriè dicta secundùm Hobbium, & secundùm eundem, hoc crimen non est transgressio Legis à Civili Auctoritate stabilitæ. Huic etiam Crimini favent illa omnia loca quibus docuit Leges naturales (sumamus exempli gratiâ hanc de pactis servandis, quâ perduellio vetatur) non obligare ad actus externos (v.g. non vetare actum externum Regicidii) nisi sufficiens cuivis detur securitas ab injuriis aliorum omnium, ut *cap.5.* §.*1.2,&c.* per Civilem potestatem, quæ cogere possit utramque partem ad obedientiam Legibus naturalibus præstandam. At hic docet Imperium illud Civile nec constitui, nec conservari posse tutum à crimine læsæ Majestatis, nisi virtute obligationis Legis naturalis; quæ si ad externos etiam actus non pertingat, non erunt securi Reges à perduellione. Quapropter necesse est ut fateatur Imperium Civile, atque obligationem ad obedientiam Civilem è cujus violatione totali nascitur crimen læsæ Majestatis, fundamento niti quod ipse docuit esse planè invalidum, nisi dum sui effecti viribus fulciatur. Impossibile autem est ut effectum dum nondum existit vires subministret suæ causæ, cujus ope producendum est primò, & deinde conservandum. Quicquid autem invalidum facit fundamentum obligationis ad obedientiam civilem, id crimen læsæ Majestatis (quâ tota simul obedientia Civilis excutitur) minuit, vel potiùs nullum esse declarat. Denique ad perduellionem homines animant principia Hobbiana, quatenus omnia summi Imperii jura æqualiter concedunt iis, qui per seditionem, aut nefarium Regicidium ad thronum ascenderunt, ac Regibus titulo justissimo actoritatem suam acquirentibus. Patet hoc, quoniam apertè profitetur *c.15.* §.5. è naturali jure omnium in omnia unicuique esse jus in omnes regnandi ipsi naturæ coævum. Ideoque quicunq; potentiam omnem superiorem quâcunq; ratione excutere potest, hoc ipso re-

movet impedimentum omne quo prohibetur jure suo uti; & postquam thronum occupaverit, secundùm hæc principia dicetur jure imperare, adeoque non erit Tyrannus. Hinc est quòd Hobbius suis opinionibus satìs congrue affirmat, in tempore seditionis & belli Civilis duo fieri summa Imperia ex uno, *c.6.§.13.* Scilicet Belli Civilis auctor rebellione suâ summum acquisivit in ejusdem sceleris conscios Imperium, & jure se suosque contra Regem suum defendere potest; ut antea ostendimus è disertis verbis *Leviathanis.* Hinc etiam rectissimè, in Epistola *Leviathani* præmissâ, fatetur, se ita summas potestates defendere uti olim Anseres Capitolini Romanos, qui Capitolium tenuerunt, clangore suo defendebant; non enim illis magis favebant, quàm Gallis eorum hostibus, sed parati fuerunt eodem modo Gallos defendere, si illi Capitolium occupâssent. Comparet Lector (si tanti videatur) epistolam præmissam Anglicanæ Editioni *Leviathanis*, quæ prodiit quo tempore triumphabat in Britannia rebellio, & Rex legitimus exulabat (ubi apertiùs hoc profitetur) cum eadem Latinè editâ & aliquantisper immutatâ, ubi visum est illud tectiùs innuere, postquam Rex optimus jura sua recuperâsset. Mihi ea quæ hactenus dicta sunt satis videntur probare, Hobbium, dum præ se fert munera Principibus unâ manu offerre, alterâ manu gladium in eorum pectora perfidè adigere.

FINIS.





